GAUDEO
John Carter Brown
Library
Brown University

Nova Lipsiensia
104 Nos. = 426 ll.
1736.
Americanum!
Sehr selten!

tup
150.

NOVALIPSIENSIA

ANNI

MDCCXXXVII

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. I.
A. P. C. N.

PARTIC. I.
cIↃIↃcc xxxvi.

Roma. IV. Id. Dec. Poſt tres ipſe dies ſordeſcit piſcis & hoſpes, multo magis qui per plures, non dies, non hebdomades modo, verum & menſes integros hoſpitium pro lubitu ſibi ſumit & ſuis omnia commodis metitur. Cuius generis hoſpitibus ſua in ditione hyberna concedere negat & pernegat pontifex, ſed fruſtra, flocci enim eius monita habentes Germani nituntur in vetitum cupiuntque negata, quorum quotidie plures, Pado traiecto, in tractu Ferrarienſi & Bononienſi ſedem per hyemem ſibi quaerunt. Quae commoda vt ipſis ſit, Criſpenſes, ne quid dicam de reliquis, quadringentas triginta & duas portiones foeni, lignorum, panis & tritici, numeratae autem pecuniae ſexaginta & tres conferre ſcutatos tenentur, quibus carnem vinumque ſibi comparabunt. III. Non. Dec. Acquauiuam purpuratum per curſorem Neapolim tendentem Montemarius comes fecit certiorem de induciis, quas a rege Hiſpaniarum iuſſus ſit amplecti, remque hanc plane nouam idem purpuratus VIII. Id. Dec. pontifici expoſuit. In coniungendis agri Rauennatum fluminibus Bedeſi ſiue Ronco & Montomio opus ſtrenue fieri curat Alberonus purpuratus, praemiumque laboris valde gratum tulit. Nam varia antiquitatis monumenta offenderunt terram fodientes, in his vrnas aliquot marmoreas tabulamque lapideam, cuius inſcriptio docet, Martis olim templum a Longino, conſule Romano, ſtructum ibi extitiſſe, cuius hodie vix rudera quaedam ſuperſunt.

Caſtellione Mantuano. IV. Id. Dec. Dici non poteſt, quam opimam caeſariani ceperint praedam perſequendo Hiſpanos per fines Bononienſium & Ferrarienſium, praeter bis mille captiuos, quos duxerunt. Aegre admodum datus fuit locus argumentis Noallii mareſchalli, eum

in

in finem qui Kalendis Dec. Mantuam venerat, vt cum Kheuenhüllero comite, ſummo exercitus caeſariani duce de ſecuritate Hiſpanis praeſtanda ageret. Quod vero Hiſpanis reſtitutionem in integrum procurauerit, falſus in vulgus emanauerat rumor, reſtituti enim & libertate donati ſunt tantum militiae duces, minime vero milites gregarii, qui cum caeſarianis olim captis permutabuntur, impedimenta, annonam & bellicum adparatum rebus deperditis victi adſcribant, neceſſe eſt. Partem quidem paſſim ex horreis publicis ſubreptae annonae ſibi vindicare ſtuduerunt quidam mercatorum Ferrarienſium contendentes ſuam, non Hiſpanorum occupatam fuiſſe poſſeſſionem, ſed tulerunt repulſam contrarium defendentibus caeſarianis maxime cum ad fores aedium, in quibus annona adſeruata fuit, expoſita inuenerint Hiſpanorum inſignia. Pars exercitus caeſariani Mantuam iter facere dicitur, praeſidio quae ſit vrbi omni obſidionis metu liberatae. in locum praeſentis praeſidii valde imminuti, inque ſignum euidentiſſimum pacis, quam imperator cum Galliarum rege confecit.

Mediolano. XIX. Kal. Jan. Extra omnem dubitationis aleam poſitum cum ſit, Hiſpanos adprobaſſe inducias ſuoque in Hetruriam diſceſſu coeteris praebuiſſe occaſionem latius ſua extendendi hyberna, ſpes nos certa alit fore, vt & nobis militum onere preſſis res ea ſolatio ſit. Ex legibus induciarum, vt fama percrebuit, Galli & Parmam & Placentiam ſuo firmabunt praeſidio, donec cognitum fuerit factumque palam, cui vtraque prouincia nouo ex pacto debeatur. Noallius regni Galliae mareſchallus Montemarium ducem Hiſpanum apud Bononienſes in colloquium conuenire ſtatuit de rebus, quae in praeſenti aguntur. Noſtra in vrbe publicae inſtituuntur preces pro auertendo contagio bouino, quod latius iamque ad Cremonenſes ſerpere coepit omnemque curam & induſtriam hoc in caſu adhibet ſenatus, cui de ſanitate ſeruanda nomen eſt. Delegati oppidi Pompeiae Laudis * Noallium mareſchallum hortati ſunt, caueat ſibi, ne, per agros ſuos promouendo ſupellectilem, bouibus vtatur, ſed equis, quibus lues illa nil nocet.

* *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum. XVII. Kalend. Jan. Quo longius pacis haud dubiae dubia adhuc protrahitur promulgatio, eo latior his patet campus differendi, qui coniecturis dediti incerta pro certis venditare ſummopere delectantur. Certum effatum eſt Fleurii purpurati, qui ſuo in praedio Iſſenſi Hiſpanorum ad inducias acceſſum exterorum principum legatis fecit palam, incertum vero manet nec in totum apud omnes meretur fidem, quod ille adiecit, fore, vt Hiſpanis reſtituatur a caeſarianis, quicquid a tempore induciarum nos inter & imperatorem ſua in fuga amiſerunt, cuius rei auctor ſuaſorque Noallius regni Galliae mareſchallus

lus fuerit. Pari ambulat paſſu, quod de Eugenii Sabaudiae principis adventu in vulgus ſpargitur, cum in cauſa alleganda inter auctores fabulae non conueniat. Alii eum, ſub praetextu, quod aquas medicatas Pasſienſes adhibere velit, adfuturum contendunt, vt ſolus ſolo cum Fleurio purpurato coeptum Vindobonae pacis negotium conficiat. Alii praeſidem ipſum fore aiunt conſiliorum, quae, in pace conſtituenda fieri ſolita, vel in vrbe noſtra, vel ad Fanum S. Germani in Laia celebranda veniant, ſuaeque vt fucum faciant ſententiae, hoſpitium determinare non dubitant, quod in palatio S. Ebroici * comitis, quo ſuburbana S. Honorii ſuperbiunt, ſumpturus ſit. Non deſunt quoque qui Roma aduentaſſe tradunt curſorem, quo pontifex regis noſtri implorauerit operam in vindicando Parmae & Placentiae beneficio ſiue feudo, quod ſibi competere iudicat. * *Eureux.*

Londino. XVII. Kalend. Jan. Rex Chandoiſio duci detecta nuper in Staffordienſi comitatu metalla, ex quibus aurum argentumque redit, lege priuata addixit. Aluminis vero ex officina, quam Eboracenſi in prouincia habuit nuper defunctus Buckinghamius dux, proximo Incarnationis Dominicae feſto fructus capere incipit Cumbriae dux, ex dono patris, eum hoc beneficio cumulantis, quo Cumbriae principem quendam gauiſum fuiſſe hiſtoriarum monumenta docent. Nudius tertius bini curſores, Haga Comitum alter, alter Berolino aduentarunt, quo cum nuntio, non liquet. Eodem die Antonius Azeuedus, Luſitanorum legatus, diu multumque collocutus fuit cum Harringtono equite reduxque e Gallia Chauignius, regis Galliae, cuius legatum agit, cum imperatore initae pacis conditiones regi exhibuit. Oſorius eques, regem quoque Sardiniae, cuius legationem in aula noſtra adminiſtrat, ſocium vt belli ita & pacis factum eſſe nuntiauit. Luce heſterna Borckius baro, regis Prusſiae legatus, habuit cum Harringtono equite colloquium, quo finito vterque in aulam conceſſit, priorque regis ſui litteras praeſentem Europae ſtatum concernentes, regi tradidit. Qui, legato abſente Montiio comite, rebus Hiſpanorum praeeſt, Fitzgeraldus, prolixiores, quas per curſorem pridie Id. Dec. Mantua Carpetanorum acceperat litteras, poſtero ſtatim die aulae noſtrae adminiſtris exhibuit, vtque fama fert, rex Hiſpaniae ex legibus pacti Hiſpalenſis * Hetruriae, Parmae & Placentiae filio principi Carolo promiſſam haereditatem flagitat conſtans fidemque datam regis noſtri implorat.

* *Seuilien.*

Vindobona. XII. Kalend. Jan. Pallauicinus marchio, militum dux reique nauticae praefectus ſupremus, XV. Kalend. Jan. ex Italia reuerſus hybernorum conſignationem ſecum attuliſſe perhibetur. Eſtangius regis Galliae legatus, cui potisſimum pax noua debetur, cum Eugenio Sabau-

Sabaudiae principe, remotis arbitris, colloquium inſtituit. Qui nulli non gratus & acceptus quam frequentiſſime ab aulae noſtrae adminiſtris legatisque exterorum principum in conuiuium adhibetur, vt & a Neo-Wiedenſi comite, cuius in ſuburbanis Leopoldinis aedes inhabitat. Horum ab vno his diebus inuitatus, cum inter pocula, prandio ſumpto, ad animi ſui ſenſa liberius exprimenda ſe pellectum iri ſentiret, dixiſſe fertur: Hauſtus inter vini generoſi, quod Tockaia profert, de arcanis colloquium habere nec licet, nec decet. Nuptiarum, quae menſe Februario celebrandae dicuntur, Lotharingiae ducis cum archiduce Carolina, magnus fit adparatus. Suas vero VII. Id. Nov. Nihuſii in Bohemia celebraſſe Baadenſem principem cum Arembergica, teſtantur vota chronographica, quae incerti nominis auctor hunc in modum ſoluit:

PERENNET
CAROLVS SEXTVS SEMPER
EXALTANDVS!
VIVAT PRINCEPS AVGVSTVS
GEORGIVS MARCHIO
BAADENSIS.
VIVAT MARIA VICTORIA BAADENA
LVX ET GLORIA!
QVOS DEVS HODIE CONIVNXIT
HOS PERPETVA POSTERITATE
BENEDICAT!

VIVAT IN ANNOS TER FAVSTOS
ACTV REGNANS
MARCHIO BAADENSIS, VIVAT
LVDOVICVS GEORGIVS SIMPERTVS
PHILIPPVS!
VIVAT IN PERENNI PROSPERITATE
SVA SERENITAS
MARIA ANNA REGNANS PRINCIPISSA
BAADENSIS
NATA A SCHVVARTZENBERG.
VIVAT TER FORTVNATVS SERENISSIMVS LEOPOLDVS
PRINCEPS ARENBERGENSIS.
VIVAT PERPETVA PROSPERITATE
MARIA FRANCISCA DVX
ARENBERGENSIS!
VIVAT TER FAVSTE AC ANNOS
FELICES DEO FAVENTE
CRESCAT CAROLVS HAEREDITARIVS
PRINCEPS ARENBERGAE.
CONCORDIA FRATRVM *
MARIA VICTORIA DVCISSA.**
MARS CVNCTOS VEXAT, REDEAT
PAX AVREA, REGNET!
SIT SPONSIS IN PRETIO, SINE
PRETIO VNICVS VNIO
CORDIVM VNIO.
VIVAT IN SPE, EVENIAT IN RE
BONVS CONCEPTVS NOVODOMENSIS!

* *Eccl. XXV, 2. Annus natalis ſereniſſimi Sponſi.*

** *Annus natalis ſereniſſimae ſponſae.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. I. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc XXXVI.

Olyſſippone. X. Kalend. Dec. Benignitate ac clementia hoſtem quam armis praeſtat vincere, noſtraeque nationis praefecto Mazagamenſi Bernardo Pereirae Berredo etiam apud Barbaros laudi fuit. Ex his vnus, Azomotenſis nimirum praefectus, aditum ad illum petierat, de lytro vt ageret, quo redimendum ſtatuebat Aethiopicae militiae ducem, qui infeliciter pugnans a noſtratibus in captiuitatem ductus fuerat. XVIII. Kal. Oct. itaque acceſſit valido cinctus praeſidio equeſtri, eoque relicto ſolus cum Xerifo Gido Maymone, adiutore caſtrenſi, & paucis militiae praefectis ſtipatus adpropinquauit ad foſſae exterioris, quae Mazagamum cingit, accliuitatem, vbi eum noſter praeſtolabatur audiuitque non tantum benigne prolixius diſſerentem hoſpitem de pacis ſtudio, quod nobiscum alere rex Marochanus decreuerit, ſed in ſignum beneuolentiae quoque captiuum ſine lytro reddidit Aethiopum ducem, imo adfectis dono varioque delitiarum genere ſociis colloquii teſtibus, hoſpitem magno honoris cultu, vndecim excuſſis tormentis, a ſe dimiſit. Britannica claſſis, quae noſtrum tenet portum, praefecto Norriſio, vel tota, vel ex parte ad minimum, per brumam apud nos commorabitur. Tres ex America, itinere ſeptuaginta dierum feliciter confecto, naues redierunt, quarum vna in aerarium regis multum auri conferre dicitur.

Mantua Carpetanorum. III. Id. Dec. Ludouicus princeps regius III. Non. Dec. ordini equeſtri, qui de S. Jacobo nomen habet inque Hiſpania auctoritate, diuitiis & dignitate plurimum valet, multis ſolemnibus adſcriptus fuit. Poſtero die eoque natali Mariae Magdalenae Luſitanicae, principis Aſturiae coniugis, quae pridie Non. Dec. anni vndecimi lucem conſpexit, ad regem & reginam gratulatum acceſſerunt viri equeſtres, principum

variorum

variorum legati, & quos aula vrbsque noſtra capit optimates. His diebus, ſibi per curſorem nuntiata regis Sardiniae legatus Patinho expoſuit poſteroque die curſorem Auguſtam Taurinorum remiſit. Solito frequentiorem in praeſenti numerum curſorum auxerunt bini ex Italia, quorum alter Neapoli a Carolo principe, alter e terris Florentinis a duce Montemario ablegatus fuit. Per aliquot dies cum aulae noſtrae adminiſtris legatorum nonnulli de conditionibus pacis imperatorem inter & Galliae regem agitarunt conſilia, quorum concluſum alto premitur ſilentio, interea percrebuit rumor, regem dediſſe mandata ad Montemarium, ſummum exercitus noſtri ducem, vt inducias & ipſe amplectatur. Aula vniuerſa heri Scoriaco in vrbem noſtram translata eſt, nec per hyemem ſedem mutabit. Bini hodie curſores, in Angliam alter, alter in Belgium, abierunt. E finibus Luſitaniae nihil noui, nec hoſtile quid ad hunc vſque diem euenit. Nuntio e Barbaria accepto, Algerios & Tunetanos valida cum manu Oranum verſus iter facere, legiones aliquot pedeſtres paratas ſe exhibere tenentur, vt ad littus Africanum traiiciantur.

Lutetia Pariſiorum. XIV. Kal. Jan. Noallius regni Galliae mareſchallus maiorem hoc quam belli tempore ſibi laudem conciliauit, in eo ſtrenue occupatus, vt Germanis & Hiſpanis pacem ſuadeat, cuius etiam voti tandem compos factus eſſe nuntiatur. Nuntiatur & hoc, Hiſpanos in nos conceptum vix celare poſſe odium, ſed vanum, vana cum ſit ſine viribus ira. Viribus quadraginta vel quinquaginta millium ſe praeditos, ſontica quanquam de cauſa, gloriabantur olim nobiscum in foedere cum eſſent, iam vero numerus valde imminutus deprehenditur & quidem triginta modo peditum & quinquaginta equitum turmarum, caeſarianis e contrario turmas pedeſtres ſexaginta, equeſtres quatuor & octoginta ad manus eſſe conſtat. Rebus ita ſe habentibus, non dubium eſt, quin rex Hiſpaniarum, vrgentibus ſumptusque faſtidientibus regni ordinibus, ad pacem amplectendam faciliorem ſe exhibiturus ſit, poſthabito Montemarii ducis conſilio, qui traditur per litteras reginam feciſſe certiorem, ad minimum Hetruriam aduerſus Germanos tueri ſe velle & poſſe, ſi in ſupplementum exercitus triginta conſequatur millia. Montiius comes, Hiſpanorum apud magnae Britanniae regem legatus, quam primum Mantua Carpetanorum reuertetur, reuertetur autem proxime, ſine mora, collecta, quam in vrbe noſtra reliquit, familia, Londinum proficiſcetur. Qui Caroli principis Hiſpaniae legationem adminiſtraturus ante aliquod tempus ad nos acceſſit Torella Caracciolus princeps, nondum colloquio regis gauiſus eſt.

Ex eadem vrbe, eodem die. In recenti adhuc multorum erit memoria factum Capucini monachi, qui ad ſacram ſynaxin admittendo Grognetam, quae dramata muſica frequentans

tans in ſcenam prodire ſolet, paſtores noſtrae vrbis irritauerat. Querelis itaque ad archiepiſcopum delatis, edictum ille publicauit, quo monachis interdicitur diſpenſatione euchariſtica, niſi hac frui cupientibus apud monachos, vel ipſe archiepiſcopus vel paſtor dioeceſeos poteſtatem conceſſerit. Ne quid temporis perdant coniecturis dediti, ſitim, quam pacis narrando negotium nequeunt, reſtinguere quaerunt fabuloſis commentis de Luxemburgenſi & Tornacenſi tractu quindecim myriadibus ab imperatore emendo deque ope, quam Ragoczio principi rex noſter occaſione pacis laturus ſit. Rex gladium fieri curat pretioſis lapidibus trecentorum millium egregie coruſcantem, quo principem quendam donare ſecum conſtituit... Belislius comes proxima hebdomade e finibus Lotharingiae domum reuertetur. Laudunenſis * epiſcopus, auſus ſuae dioeceſeos vrbis primariae magiſtratum omnem conferre in ſacerdotes ſocietatis de Jeſu nomen habentis, nec ciuibus nec regiis mandatis facinus adprobantibus, haud ita pridem vocatus acceſſit, accedens confeſtim in ſeminarium Nicolaitanum ſe conferre iuſſus fuit. Voluuntur manibus curioſorum ſatyrica, quibus per aliquod tempus carendum fuit, ſcripta, in his vnum, quod inſcribitur: Epiſtolarum regis Ludouici decimi quarti ad decimum quintum refutatio.

* *Laon.*

Londino. XIII. Kalend. Jan. Sexta ſuperioris hebdomadis feria, habito cum Harringtono, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, equite, quam longisſime protracto colloquio, Chauignius regis Galliae legatus, curſorem protinus Lutetiam Pariſiorum ablegauit. Ad reducendum e Belgio Horatium Walpolium cum omnibus ſuis, Maria nauis regia adparatur. Briſtolio mirus rebus in adflictis prouidentiae diuinae caſus narratur, quem ſexagenarius Joſephus Smithus, Thomas Heminus, Eduardus Pakokius pater et filius ſubierunt. Deſcenderant illi ad operam faciendam in officinam carbonariam ad alterum ab vrbe lapidem eamque ſubterraneam profunditate orgyas nouem & triginta excedentem, quae foraminibus ſedecim orgyarum pasſim ſcatebat. Ex improuiſo vbi prorumpens aquarum ſcaturigo miſeros priuauit ſuccenſis luminibus ſpeque omni vitae, hanc leuisſimam iniecit Packokius iunior, locum paulo elatiorem qui primus rependo inuenerat, quo ſocios calamitatis clamore edito conuocauit. Tenuis erat ipſis victus, fruſtulum nempe panis atque portio carnis exigua, aquae non ſine periculo hauriendae tantus defectus, vt vrinae potus vix ſufficeret, fame eo tandem perducebantur, vt corium calceamentorum corticemque ligni dentibus arroderent. Vicini & cognatione coniuncti, quotidie tentauerant liberationem, ſed fruſtra, vapore ex abyſſo aſcendente, quo extinguebantur lucernae; donec eo prunis disſipato, Samſon Phippius, Thomas Somerus, Moſes Reinoldus, Thomas Boliſonus & miſeria patris commotus Thomas Smithus auderent tanti periculi facinus, ſeque demitterent ad locum,

cum,

cum, vbi miſeri degebant, excepto Thoma Boliſono, qui in itinere hoc ſubterraneo periit. Quatuor illi, qui per dies decem horasque nouendecim in carcere hoc ſubterraneo latuerant, vix quinque aut ſex dies praeterfluxiſſe rati, in lucem protracti per aliquod tempus oculorum lumine deſtituti externa facie mortuos referebant, viribus tandem recuperatis velut reuixiſſe videbantur.

Haga Comitum. VI. Kalend. Jan. Nondum ad hunc vſque diem ſtetere promiſſis tam imperatoris quam Galliae regis legati, vt ordinibus foederati Belgii offerrent nouae pacis conditiones, quarum interim exemplar a noſtro Vindobonae legato Hamelo Bruyninxio transmiſſum, his diebus in conuentu ordinum Hollandiae publice praelectum fuit. Solemnem publicationem proxima hebdomade futuram ab Vhlefeldio comite & Fenelone marchione conſtans opinio eſt, & quidem, vt aiunt, cum inuitatione, vt ordines reipublicae noſtrae in easdem conditiones deſcendant. Quicquid alii de horum conſenſu promptisſimo ſibi pollicentur, merito tamen ſubdubitant alii, rem altioris indaginis eſſe contendentes, quam vt ſine prouinciarum notitia conficiatur, negantes inſuper fidem mereri, quae de conſenſu regis magnae Britanniae in vulgus ſparguntur. Proxime praeterlapſis diebus curſor ex Hiſpania aduolauit cum litteris reginae, quibus Gilleſio marchioni mandat, omnem mouere lapidem nullus intermittat, ne conſenſum maturent ordines foederati Belgii, quibus ille moram, ſi quam nectere ſuſtineant, variis commodis compenſandam fore promiſit. Promiſit non minora regi magnae Britanniae, qui reſponſum, quod curſori non committendum duxit, per familiarem in Hiſpaniam miſſum, dare decreuit.

Lipſia. VIII. Id. Jan. Vix credo fore lectores, qui nouis noſtris non ſatis dignum iudicent, quum relatum quandoque legent rei litterariae & potisſimum poeſeos Latinae monumenta. Quare nec alienum putauimus adponere terſae Latinitatis epigramma, quod ingenium loquitur auctoris nec vulgare exemplar gratiarum actionis, quae plerumque generalibus abſolui ſolet verbis. Apud Goettingenſes D. Heumannum Geſnerus donauerat Scriptoribus rei ruſticae nuper a ſe editis, quod ille donum eleganti hoc excepit epigrammate;

Qui virtute CATO es, doctrina VARRO, CATONEM
 VARRONEMque tuos editione facis.
Euge, bonum factum! Florent nunc VARRO CATOque,
 Olim non vſi ſplendidiore toga.
Non ſolus VARRO, tibi ſe debere, fatetur;
 Quicquid VARRONVM eſt, te colit atque colet.
Apprecor, vt faciat te longa ſenecta CATONEM,
 VARRONEM faciat gloria magna nouum.
Apprecor, vt pergas bene ſcribere, PALLADIAEque
 Sis magnum COLVMEN, non COLVMELLA, rei.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. II. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Tetuano. VI. Kal. Dec. Dolo ac fraudi apud iguorantes locus eſt, ſcientibus vero dolum intendere, non aliud eſt, quam riſum mouere. Mouit riſum ſimul & indignationem Muleio Ali regi uoſtro fides dubia meritoque ſuſpecta Ripperdae ducis, qui eo potisſimum tempore excidit gratia, quo ea dignisſimum ſe fore ſperauerat. Menſe nimirum Auguſto ſuam regi nouo offerre operam non dubitauit atque polliceri, ſi dux conſtituatur exercitus viginti millium, eum ſe fore virum, qui Muleium Abdallahum regni aemulum clade adficiat, adfectum finibus egredi compellat, qui ſeditioſos ad obſequium reducat, qui diſciplinae amantes reddat milites, qui quietem imperio vniuerſo Marochano reſtituat. Cui rex in aurem dixit, quod tritum Hiſpanis eſt prouerbium: „Quo quis plura promittit, eo pau-„ciora praeſtare ſolet. Et quid in aurem? Palam reprehendit: Nonne familiarem te habuit, frater meus,„ Muleius Abdallahus? Nonne fidu-„ciam in te collocarunt ordines foe-„derati Belgii? Nonne ad ſupremum,„ dignitatis gradum te euexit aula Hi-„ſpanica? Haec & alia mihi ſunt no-„tisſima. Dic, quaeſo, qualem te,„ geſſeris in tot tantosque benefacto-„res tuos? Quantum ſcio, omnis fi-„dei expertem in Hiſpanos, fucum,„ facientem patriae, fraudatorem fra-„tris mei. O Ripperda! vel ſolus,„ Kulichamus vniuerſo orbi ſufficiat,„ cuius exemplo diſcant monarchae,„ imperare, diſcant aulae ſuae for-„mare adminiſtros, hisque nec ni-„mium confidere, nec plurimum au-„ctoritatis largiri, ne faſces imperii,„ ſui titubare ſentiant. Tutela, quae,„ tibi promiſſa eſt, perfruaris, meam,„ autem aulam frequentare caueto.„

Neapoli, Idibus Dec. Superiori hebdomade, captiuorum quidam e caſtello vrbis noſtrae fugam tentarunt, ſed minus feliciter, primus e-

nim

nim horum, rupto fune, decidit in terram, cum fractura vtriusque pedis, quo ſtrepitu & clamore prouocatae excubiae reliquos arctiori cuſtodiae tradiderunt. Triggiana Papacoda princeps, ſolum vertere iuſſa, iamiam Salerno diſcesſit. Muli grauati rei bellicae adparatu vario numero quatuor & quinquaginta Peſcaram abierunt totidemque Capua ſubſequentur, quibus qui praeerit caſtris Bercouicenſis dux iter eo proximis diebus aggredietur. Quae in animi quoque recreationibus delectat varietas, minus proſpere euenit Carolo Hiſpaniarum principi, qui venandi piſcandique ſtudio alias deditus pilam lapideam cum protruderet ad artis regulas per tabulam, * non ſine laeſione incautus in ſellam proximam offendit.

* *Billard.*

Roma. XVI. Kalend. Jan. Feria ſexta praeteritae hebdomadis S. Aignanus dux, regis Galliae legatus, pontificis gauiſus eſt colloquio, eique, vt aiunt, ſpem fecit fore, vt Germani e finibus Bononienſibus & Ferrarienſibus breui egrediantur. Poſtero die, poſt meridiem, quas e pontificis palatio acceperat litteras purpuratus curiae fiſci praeſes, ſine mora per curſorem ad Auguſtum regem Poloniarum transmiſit. Modo commemorati Gallorum legati, reduces e caſtris Rhenanis filii III. Id. Dec. pontificis in conſpectum venerunt. Pridie Id. Dec. Bononienſium delegatus nuntiatam ſibi equitum armaturae Hungaricae violentiam pontifici expoſuit, quodque horum cum duce ſupremo Lucheſio ſubortam hac occaſione litem Dauia pugna priuata confecerit. Tandem vero dicti equites, vtramque, quam occupauerant, portam domeſticae reſtituerunt militiae, atque ex vrbe Bononienſi diſceſſerunt, vtque fama fert, Kheuenhüllerus comes, ſummus Germanorum imperator militaris, impetum hunc, Marte licet ſecundo factum, non adprobauit. Die ſecundo, quo memoriam nati ſalvatoris recolit eccleſia, feſto, ludi ſcenici & muſici locum habebunt. Ludouicus Hiſpaniarum princeps natu minor, recens creatus archiepiſcopus Toletanus, in ſpe eſt conſequendi purpuram, quam primum conventus cleri celebrabitur.

Ferraria. XII. Kal. Jan. Seluam & Creſpinum reliquerunt Germani, minime vero noſtram atque Bononienſem ditionem, quam, rumore nuntio, plures ingredientur, ſpe tamen iniecta fore, vt menſe Januario e ditione pontificis diſcedant. Caeſariani culpam ſumti in terris his hoſpitii tribuunt Gallis, Cremonenſem prouinciam atque Mutinenſem vacuam facere recuſantibus, vt pontifex non de Germanis ſed Gallis conquerendi cauſam habeat. Valet vtique adlegata Germanorum ratio, quos tamen hoc Gallorum non offendit facinus, quia, hoc poſito & libenter conceſſo, nec hyberna nacti ſunt in terris onere belli exhauſtis, nec Mediolanenſis ducatus, imperatori olim reſtituendus, tantopere premitur,

quam ſi copias in vniuerſum omnes Gallorum, pasſim in vicinia diſpoſitas complecteretur. Noallii mareſchalli in aduentum conclauia coenobii S. Victoriae exornantur apud Mediolanenſes, quibus, ne ſua in prouincia ſumant Galli hyberna, precantibus ob annonae pabulique defectum futurum, reſpondit ille, rebus praeſentibus aliter fieri non poſſe. Cremonenſes agricolas contagium bouinum multum diuexat, quare ſenatus Mediolanenſis, cui cura eſt ſanitatis, mercatum ſuis cum Cremonae & Laudis Pompeii* ciuibus omnem prohibuit. * *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum. X. Kal. Jan. Ex litteris Guardiſtallo pridie Id. Dec. ad nos datis cognouimus, exercitum noſtrum, Atheſi fluuio relicto, ad Padum, eodem, quo praeteriti anni aeſtate cum caeſarianis Marte minus ſecundo pugnauimus, loco conſediſſe. Quem vbi Lautrecus comes eo perduceret Mantuamque ipſe tranſiret, omni honoris cultu, qui militum duces decet, exceptus, in luſtrandis vero vrbis munitionibus tam externis quam internis armatis quinquaginta cinctus vbique fuit. Idem in aulam noſtram reſcripſit, ſibi viſum eſſe caſtellum Mantuanum magnae molis, cuius munitiones exteriores nouis, terreis quidem ſatis tamen validis, auctas obſeruauerit. Ingenue profeſſus dicitur Wutgenauius baro, ſummus oppidi praefectus, ſibi has ſub initium ſtatim obſidionis animum fuiſſe deſerendi, cum vix mille & quingentorum armatorum præſidium ſuperfuerit, victu etiam deficiente, de caſtello opinione citius tradendo cogitandum fuiſſe, quod omnibus rebus inſtructum hoſtilem quemcunque impetum ſpreuiſſet. Quae tanti viri, ſi vera eſt, confesſio, edita videtur ad ſtomachum mouendum Hiſpanis & inprimis Montemario duci, qui expugnationem Mantuae minime difficilem &, neſcio quos, expeditionis glorioſae progreſſus crepare ſolitus fuit. Terminus induciarum cum Hiſpanis & Pedemontanis, niſi pacis in conditiones deſcendat rex Hiſpaniarum & Sardiniae, exſpirat poſt reditum curſoris, Mantuam Carpetanorum, Verſaliam & Vindobonam miſſi, nec dubium eſt, quin, termino hoc gratiae praeterlapſo, caeſariani arma ſua transferant ad Neapolitanos, neglectis Hiſpanis, qui ſua in Florentinis caſtra muniuerunt.

Ex eadem vrbe, eodem die. Caeſarianos non aeque Venetis, quorum in peninſula Rouiniana conſederunt, quam ſedis Romanae incolis & in his Ferrarienſibus moleſtos eſſe nemo mirabitur, ſecum perpendens, quantum hi prae illis, durante bello, Hiſpanis indulſerint. Sub initium praeſentis hebdomadis plures in aulam noſtram venerunt curſores extra ordinem, in his vnus Vindobona, cum adprobatione induciarum & conditionibus pacis, quas imperator regi Hiſpaniarum propoſuit. Summo omnia premuntur ſilentio, tam vero certum quamquod certisſimum eſt, noſtram cum imperatore pacem firmiſſimo niti talo, non prius, quantum coniicere licet, publicandam, quam, vt ſpes eſt, eandem reges Hiſpaniae & Sardiniae agnouerint. Qui luce heſterna vrbem noſtram intrauit, Beliſlio comiti rex protinus Verſaliae copiam ſui fecit, nec minori eum, ac an-

no

no ſuperiori e caſtris reducem, benevolentia excepit. Idem cum factum ſit Coignio mareſchallo, coniiciunt plerique, quicquid ille ſub finem expeditionis ad Moſellam ſuſceperit, ſuſceptum fuiſſe iubente & volente aula noſtra, vt nihil ipſi vitio vertendum ſit. De conſenſu vtriusque & Hiſpaniarum & Sardiniae regis in amplectenda pace ſpes eo certior adfulget, quo magis aequae videntur conditiones imperatoris, qui inſuper, maxime Hiſpanos quod concernit, omnia regis noſtri & purpurati aulae adminiſtri arbitrio permiſiſſe perhibetur.

Londino. X. Kal. Jan. Praeliminares futurae pacis articuli, quos Chauignius, Galliae regis legatus, noſtra in aula fecit palam, remisſi ſunt Verſaliam, vt in clauſula adiecta quaedam in gratiam principum, qui ad foedus inuitantur, mutentur. Nudius tertius Torringtoni equiti ex vxore filiolus natus eſt. Jamaicae inſulae praefecto in mandatis eſt, binas, quas ad Aethiopes compeſcendos accepit, per biennium retinere adhuc cohortes militum, vt praeſentia illarum nouam dictae gentis obedientiam confirmet iuvetque ciues reliquos in valore legum, quae, pro tollendis abuſibus, nuper ipſis datae ſunt. Soluit his diebus bellica nauis Louiſiae principis nomine inſignita cum nauigiis quinque onuſtis vario victu claſsi deſtinato, quae, duce Noriſio, portum Olyſſipponemſem tenet. Cui proximo vere domum reuocandae, niſi diſcordiarum interea cum Hiſpanis adpropinquauerit finis, vt ſuccedant viginti aliae naues bellicae ex ſenatus maritimi conſulto exornantur. Nouam quis conſignauit rationem prohibendi adpulſum mercium vetitarum tam facilem, vt nec numerum vectigalia exigentium augere, nec publicas mutare leges commerciorum opus ſit, multo minus alere naues exploratorias ad patrium littus ſumptibus quinquaginta aeris noſtri millium, quae quotannis veniunt, e contrario futurum eſſe, vt aerarium publicum quadringenta atque ſocietas Indica centena librarum Sterlingicarum millia per ſingulos annos lucrentur.

Haga Comitum. III. Kal. Jan. Falſum merito dixeris rumorem, Horatium Walpolium, vtpote qui cum omnibus ſuis Londinum redire parat, ab ordinibus foederati Belgii flagitaſſe delegatos, quibuscum deliberet, an & qua ratione deſcendere liceat in conditiones pacis, quam imperator cum Gallis pepigit famaque e contrario percrebuit, ordines reipublicae neutram in partem inclinare ſtatutum cum animo ac deliberatum habere. Interim negari non poteſt, regis magnae Britanniae ad palatum non eſſe in omnibus pacis conſtituendae articulos, idque vel ex eo colligere licet, quod litterae, quibus cauetur pecunia aerario credita, minoris vendantur, nouiſſimis ex Anglia nobis redditis epiſtolis, quae, ſi ſpes pacis dubio careret, pretio vtique maiori venirent, mouetque merito ſuſpicionem, quod imperator in finibus Belgii, quod ipſi paret, numeroſum contrahat exercitum, nec minorem, certe non aduerſus imperatorem foederis noui ſocium, rex Galliae colligat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. II. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. VII. Kal. Jan. Imperatorem oportet ſtantem, medicum ſenem mori, decetque longa ſenecta virum, qui caſtra ſecutus & militum & medicorum, in his ſcientiae, in illis aliquam virtutis laudem adfectauit. Mortuus nimirum eſt in vrbe noſtra XV. Kalend. Jan. ſenex nonaginta & plurium annorum Mottius, ſummus dux militaris, inuentor medicamenti, quod Arabum ex dialecto Elixir vulgo adpellamus, cuius arcani compoſitionem pretio adductus regi palam fecit atque expoſuit. Centurionem ille primum legionis Baſſignianae & architectum militarem egit, quem Ragozius princeps ad ſe a Ludouico decimo quarto rege miſſum rei ſuae tormentariae praefecit. Militauit dein in caſtris Poloniarum regis & electoris Saxoniae per annos quam plurimos tandemque praefectus fuit Cracouienſis, donec ad patrios lares in Galliam reuerteretur. Terminis hybernorum in Italia conſtitutis & occupatis, nihil inde dignum notatu relatum accepimus, in illis autem definiendis Noallius regni Galliae mareſchallus atque caeſarianus dux ſupremus Kheuenhüllerus comes multum laboris, nec ſine omni altercatione, conſumſerunt. Gaudent induciis quoque Hiſpani & Pedemontani, non tamen aeque firmis, donec valorem miſſi Vindobonam, Mantuam Carpetanorum atque Verſaliam curſores renuntiauerint. E contrario in terris Rhenanis arctiſſime conſtrictum Gallos inter & Germanos vinculum videtur, coeptum cum ſit Philippoburgo & Kehlenſi e fortalitio deduci Landauium aegros remque tormentariam, quae nobis in vtroque loco fuit. Olonnius dux Feruaqueſiam in matrimonium adſumſit.

Londino. VI. Kal. Jan. Ruſſorum auguſtae legatus Cantimirius princeps cum Roberto Walpolio X.

Kal.

Kal. Jan. quam diutisſime, de praeſenti, vt aiunt, pacis negotio, colloquium habuit. Dicitur rex Luſitanorum mouiſſe dubium, nec in totum ſtare promisſis velle de concedendo Anglis, vt quotannis nauem mittant in Braſiliam, ſi rex magnae Britanniae in ſecuritatem regionis & commerciorum aduerſus Hiſpanorum minas claſſem Olyſſipponem ablegaret, ſed dubium ſolutum iri cura & vigilantia Tyraulii equitis ibidem legati & Johannis Norriſii, clasſis praefecti, ſperamus. Scriptum prodiit in lucem, cuius auctor probare nititur Hiſpanis bina cedenda eſſe loca ex legibus iam transactionis Hiſpalenſis, ſed falſitatem loquitur aulae ſeueritas, qua opus hoc lectoris manibus eripere decretum fuit. Pactio nuptialis Walliae principis cum Saxoniae Gothana principe natu altera ante dies quinque aut ſex abſoluta cum ſit inque chartam coniecta, Northius eques, ſponſo ab interioribus cubiculi, Gotham proficiſcetur, qui procuratorem agat connubialem, duci vero Gothano hodie imperanti inſignia ordinis periſcelidis regis nomine offerat. Coquus, qui ante annum & quod excurrit, Chatillonium dominum ſuum nefanda caede ſuſtulit ſuccenſis inſuper aedibus, ad Surinamenſes profugus ſumpto veneno poenas ſceleris dedit, rebusque, quas reliquit, perluſtratis, inuenit praefectus ſupremus aliquot millium haereditatem, conſtantem litteris, quibus cauetur pecunia ſocietati Indicae & auſtrum verſus mercaturam exercenti credita.

Ex eadem vrbe, eodem die. Sexta feria ſuperioris hebdomadis regem reginam regiamque gentem ſalutarunt Cravvfordius comes, Scotiae procerum e numero, quos Pares vulgo dicimus, nec non Primeroſius eques, reduces e caſtris Rhenanis iisque caeſarianis, in quibus ſponte tyrocinia militiae depoſuerunt. Ante dies non ita multos, eiurata pontificiorum religione auita, noſtram publice profeſſus eſt Johannes Gonzaletzius, natione Hiſpanus, quam gentis huius legatus ſua in familia aluit. D. Thomas Tannerus, epiſcopus ad Fanum S. Aſaphi & Canonicus aedis de Chriſto nomen habentis apud Oxonienſes, naturae debitum ſoluit. Peterboroughius comes teſtamento legauit viduae ſuae Mountbeuiſanum, quod ipſi in agro Southhamptoniano eſt, praedium, ex quo duo librarum Sterlingicarum millia quotannis redeunt. Nouisſimae e Georgia ad nos datae litterae docent opinione maiorem fructum, quem incolae capiunt ex vini cultura & ſerico, quo etiam iter facturi ſunt centum & ſexaginta Scoti montani, vt, in finibus ſedem ſibi eligentes, eos aduerſus Indos tueantur.

Haga Comitum. III. Non. Jan. Spes tantum non omnis fruſtrata eſt ducem Arauſionenſem, maioris dignitatis militaris candidatum, ordinibus comitatus Hollandiae ſua firmiter perſtantibus ſententia, praeſentem ſummos militiae ducibus conferendi occaſionem minus commodam eſſe ideoque

dilatum

dilatum iri. Dilatum iri negant alii, nec tamen ſpem ducis renouant, ſed tantum non penitus tollunt, ſi vera ſunt quae narrantur, ordines dictos ſignificaſſe Wilhelmo Haſſiae principi Caſſellano, rem ſuam vt agat atque III. Id. Jan. praeſentem ſe ſiſtat, eo cum die collatio dignitatum militarium ſuſcipienda ſit. S. Gilleſius marchio ab ordinibus totius Belgii foederati flagitauit, vt, quam olim promiſerint, praeſtent ſecuritatem haereditatis Parmenſis & Placentinae, quae debeatur Carolo Hiſpaniarum principi, tulitque reſponſum, nihil reipublicae conſultum magis & antiquius fore, quam ſeruare neutram in partem inclinandi ſtudium, quod per omne hoc bellum excoluerint. Nec de amplectenda pace, ſi quando eius conditiones innotuerint, reſponſum maturabunt dicti ordines, cum patriae ex legibus res tanti momenti per ſingulas prouincias deliberatum mittenda veniat.

Manhemio, Kalendis Jan. Binae legiones circuli Franconici Brettenenſia Ruſſorum caſtra ingredientur, ad manus vt ſint praeſidio futurae Philippoburgo, quam primum inde Galli diſceſſerint, diſcedent autem proxime, quantum ex tormentis praemiſſis coniicere datur. Ferdinandus Bauariae princeps Hambacho litteras dedit ad electorem noſtrum, quibus excuſatum ſe voluit eſſe, quod ſuo in itinere Monachium diuerti in aulam hanc non potuerit. Rex Galliarum ex nouae pacis legibus Lotharingiam conſequutus, Falckenſteinenſem quoque adfectare dicitur comitatum, quem indiuulſo nexu cum illa cohaerere contendit. Vindobonenſium ad familiares teſtantur litterae munificentiam imperatoris in duumuiros, qui pacis praeſentis negotium opera ſua inſigniter promouerunt, Neuvviedium comitem atque Nierodum baronem, quorum hunc, cum ſalario quater mille florenorum, tribuni vicarium dixit, illum a conſiliis ſibi ſanctioribus eſſe iuſſit.

Vindobona, Kalendis Jan. Romam bini aduolarunt per breue tempus curſores eiusdem cum argumenti nuntio, pontifici caeſarianorum ſua in ditione praeſentiam taedio eſſe. Quantum conſtat, dux Hildburghuſanus cum manu ſatis valida Anconam vſque penetrauit aditumque patefecit Germanis in viſcera regni Neapolitani, progreſſus vlteriores meditantibus, exſpirantibus induciis, quorum terminus Hiſpanis IX. Kal. Febr. dies conſtitutus eſt. Alba Graeca relatum accepimus, vltimam ferme manum impoſitam eſſe operi eum in finem ſuſcepto, ruptis paſſim puluere pyrio petris, vt, alueo ducto per Croatiam, Sauo flumine, minori & temporis ſpatio & ſumptuum onere annona ad Italos tranſportari imposterum valeat. Poſtremus omnium e Gallia curſor, laeto grato que, quem attulit, nuntio praemium meruit, ab imperatore torque donatus paucorumque dierum poſt moram eo remiſſus vnde venerat. Sub auſpicium noui anni votis cum aures vndique circumſonent, quadripartitum liceat nobis in gratiam eorum, qui hoc ſcribendi genus in deliciis habent, adiicere epigramma, quod P. J. A. Bandlium, J. V. St. agnoſcit autorem:

Ad
AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM.
Cabalon Chronographicum.
D. G.

159	290	101	414	289	124	440
CAROLE	VI.	bIs	ViVe,	VIr	MIre	feLIX
					Summa	1736.

TE CAROLVM Sextum, ſextum quoque ſcribimus annum;
Sexto igitur ſextus iure ſecundus erit.
Te DEVS hoc ergo ſexto foecundet in anno,
Per CAROLVM Sextum ſeptimus vt veniat.
Quod ſi fata negent votum; Tu Viue perennis:
Vt ſanum & canum ſaecula cana canant.

Ad
AVGVSTISSIMAM IMPERATRICEM.
Programma Chronographicum.
D. G.
CAROLVs ſeXtVs aetat. L. IMperator aVgVſtVs.
Anagramma.
VXor sVa ter Laeta D. g. gVſtV parIet tres MasCVLos,
Tres pueros paries anagrammate indice: quando?
Multiplica pueros, ſextus hic annus erit.
Sed tres non petimus: ſatis eſt, ſi ceſſeris vnum,
Vnus qui mundum te releuare poteſt.
Vel ſi tres paries; vt trinum ſit perfectum.
Par, rogo, vita Tibi terque beata fluat.

AD SERENISSIMAS AVSTRIAE ARCHIDVCISSAS,
Vnam 19. alteram 17. coniunctim vero 36.
annos agentes.
Sex triginta (DEVM poſt natum) dicimus annos;
Sex triginta facit veſtra ſenecta quoque.
Huic igitur paribus anno cum curritis annis,
Annus fortunam iure parem tribuet.
HoC sVperI praeſtent: annI seX hIqVe trIgInta
AMbas Vos Donent fortIs Vt oCto pares.

AD SERENISSIMVM EVGENIVM.
Marſpiter Eugeni de te quae dixero verba?
Nam verbis inopem copia magna facit.
Pauca tamen dicam: Tu Spes Baſis atque Columna,
Sub qua Mauortis ſtat bene cauta ſtrues.
Augeat hancque ſtruem belli victoria multa,
Donec in empyriam deſinat illa domum.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. III. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Roma, IX. Kal. Jan. Senes bis pueros natura facit, facit fortuna pueros bis ſenes conferendo ipſis tenera aetate honores, quos aliquando ſenes pluribus augent ſenumque iuribus & beneficiis bis fruuntur. En! puerum octo annorum, menſium quatuor quatuorque & viginti dierum Ludouicum Hiſpaniarum principem, recens creatum archiepiſcopum Toletanum, quem inſuper ſingulari ex gratia pontifex XIV. Kal. Jan. ſolemni in conuentu donauit purpura eumque praefecit aedi S. Mariae, cui de ſcala cognomen eſt, quae res populo tormentis excuſſis ſignificata fuit. Ex concluſo praeuiae congregationis ſalutabitur ille impoſterum in litteris celſitudo regia & eminentiſſimus purpuratus Borbonius, princeps Hiſpaniarum, quique eas dabunt, in ſubſcriptionis formula ſe cum ſubiectione obſequioſos nominabunt. Finitis conſiliis vbi domum redierat Acquauiua purpuratus novo collegae triplicem habitum tranſmiſit, perque diem totam ad ſeram vſque noctem fiebant ſolemnia lampadibusque pulchro ordine poſitis aedes illuſtrabantur. E collegio, cuius eſt publicas res adminiſtrare, eodem adhuc die, laeto hoc cum nuntio & mitra, in Hiſpaniam curſor ablegatus fuit, vtque fama fert, quo maior electo habeatur honor, Philippus Corſinus dux deſtinatus eſt, qui pileum, purpurati quo vtuntur, Mantuam Carpetanorum profecturus ſecum ſumat. Nudius tertius bini adventarunt curſores, Vindobona alter, alter Ferraria, hicque inter alia nuntians, quod Germani, ſua qui ibidem ſumſerunt hyberna, diſciplinae militaris admodum ſtudioſi vivant. Pierius purpuratus morbo difficili laborat.

Florentia. IX. Kal. Jan. Poſtrema ſuperioris hebdomadis feria, Noallius, regni Galliae mareſchallus, vtroque cum filio ſuo e Longobardia ad

nos

nos venit, cui carpenta aulae noſtrae obuiam mittebantur. Sumſit ille hoſpitium in Caſtelli equitis palatio, ad quem, praeter magni ducis Hetruriae delegatum, viri equeſtres numero plures gratulatum acceſſerunt. Poſtero die mane in aulam ſe contulit atque poſt meridiem cum Montemario duce in ſacellum S. Laurentii & inde ad ludos choreasque, quas Philippus Guadagnius inſtituerat. Altero poſt die, porticum arcis reique veſtiariae promptuarium perluſtrauit ſalutauitque Montemarium ducem, qui in aedibus Strozzianis natalem Hiſpaniae regis multis ſolemnibus celebrandum ſibi ſumſerat. Duumuiros hos in colloquio plus vice ſimplici repetito egiſſe multi adfirmant de ducendo noſtris e terris Hiſpanico exercitu, & quidem non ſine ſucceſſu, ſi rex Hiſpaniae conluſum adprobauerit. Liburnenſes mille & quingentas numerant ciſtas rebus repletas pretioſis, quas ex arce Parmenſi & Placentina collectas Neapolim tranſportare ſtudent.

Lutetia Pariſiorum, Kalendis Jan. Ex Lautreci comitis XV. Kal. Jan. Carpio ad nos datis epiſtolis cognouimus, Noallium mareſchallum, Bononiae tum temporis commorantem in eo fuiſſe, vt Florentiam forte & Romam ad conficiendum magni momenti negotium proficiſceretur, quem conſilio magis quam armis valere aulaeque prodeſſe tantum non omnes iudicant. Durantibus induciis Hiſpani Mirandulam, Parmam & Placentiam ſuo praeſidio firmatas tenent, ſed exſpirantibus illis, ſi arma reſumenda ſint, de his locis ſub ſuam poteſtatem redigendis cogitabunt Germani, minime vero de expellendis hoſtibus Hetruria, ſed cum exercitu octoginta millium proximo vere ipſos regni Neapolitani fines inuadere ſtatuerunt freti bene animatis in domum Auſtriacam, qui per regnum illud & in ipſa metropoli latitantes auxilia praeſtolantur. Theilius heri nouis inſtructus mandatis & tranſigendi facultate, in aulam caeſaream conceſſit vel ideo ad conſilia de Hiſpanis ad pacem commoda ratione perducendis electus, quia prae coeteris aulae Hiſpanicae ſtatum quam optime nouit. Proxime itaque apud nos cum adfuturus credatur ex aula Vindobonenſi Schmerlingius, imperatori a conſiliis regiminis, non dubium eſt, quin, quae fieri poterit, opera in pacis negotio, vtrinque adhibenda veniat. Dubio licet omni careat pax cum imperatore inita, terra marique tamen bellum paratur. Lotharingiae ducis frater germanus Vindobonam proficiſcetur, mater vero vidua noſtram vrbem ſibi eliget ſedem cum filia principe natu maiore, quando regi Sardiniae minor nupſerit.

Haga Comitum. VIII. Id. Jan. Tandem & Vhlefeldius comes & Fenelonus marchio, regis hic Galliae, ille imperatoris legatus, ſeorſim quisque praeliminares pacis articulos ordinibus foederati Belgii exhibuerunt, & quidem, vt aiunt, cum inuitatione praeſtandae ſecuritatis, ante vero nihil

nihil reſponſum eſſe perhibetur, quam ordinibus ſingularum prouinciarum deliberatum res commiſſa fuerit. Dicti modo legati quam familiarisſime viuunt &, vbicunque conueniunt, remotis arbitris ſermones miſcent talemque in praeſenti ſe erga illos gerit S. Gilleſius Hiſpanorum legatus, quales illi ante pacem conditam inter ſe, longe aliter vero Canaleſius comes, regis Sardiniae legatus, qui, tempore belli, nullius cuiuscunque aulae adminiſtrorum conſortium fugit. Amſtelodami per annum proxime praeterlapſum ſexies mille quingenti triginta & tres, adeoque pauciores mille ducenti triginta & vnus quam anno trigeſimo quarto, & quater mille quinquaginta & octo quam anno trigeſimo tertio obierunt.

Bruxellis, *pridie Kalend. Jan.* Die primo feſti natiuitatis ſaluatoris, iter facientibus in via, quae Halam ducit, triſte praebuit ſpectaculum homo omni ſpoliatus veſtitu & arbori alligatus, quem vbi ſoluerant inque vicinas perduxerant aedes, facinus ille trigae latronum tribuit. Magiſtratum illius loci gerentium vnus miſericordia motus eum veſte donavit, donauit & aere abbatiſſa Foretana aliosque quam plurimos in ſe beneficos expertus eſt fraudator inſignis, breui poſt enim compertum fuit, quod ſcelus in ſe commiſſum per binos eiusdem furfuris ſocios ſimulauerit, vt beneficentiam multorum exprimeret. Dornaco *aduerſus nuntiatur caſus, quo accidit, vt, venatum qui exierat, Borzelerius, neſcio quo fato, ſe ipſum globo plumbeo traiecerit. Heri, ſero iam veſpere, per vicum vrbis noſtrae incedens Calenbergii comitis ſecretarius violenti aggreſſoris gladio transfoſſus occubuit. Antvverpiae in ſepulchrum abbatiae Coudenbergicae delatum eſt corpus demortui nuper Proli, qui Aluaradi vicecomitis poſt obitum conſtitutus quaeſtor ſupremus noui muneris vix auſpicium fecerat.

* *Tournai.*

Vindobona. III. Non. Jan. Nudius tertius noctu, cum comitatu non admodum multo, iter Lutetiam Pariſiorum aggreſſus eſt Schmerlingius, imperatori a conſiliis regiminis, qui ſibi commiſſa ſimul in aula Lotharingica expediet. Si quid famae libet credere, Montius marchio, quam primum libertate donatus fuerit, legationem regis Galliae aula in noſtra adminiſtrabit, ad minimum legatus illius nationis, quiscunque ille fuerit, in exſpectatione eſt proxima, quaeque inhabitabit conclauia, iamiam exornantur. Nemo amplius pacem cum Galliarum rege vocat in dubium, nec quam mouet ſuſpicionem adparatus belli, cuius alia ſubeſſe creditur cauſa, hinc auxilia, quae imperator ad Rhenum habuit, domum dimittuntur atque legionum aliae in Italiam, aliae in Hungariam inde diſcedunt. Si difficilem ſe praebeat rex Hiſpaniarum, ex legibus nouae pacis Galliae rex nobiscum arma iunget, cum e contrario rex Sardiniae in omnibus ſententiae paciſcentium ſubſcribere nullus dubitet. Concluſum ſenatus bellici ſupremi de imminuen-

do equitatu proxime effectui dabitur, & ita quidem, vt dimittantur de vnaquaque armaturae Hungaricae equitum legione in caſtris Rhenanis quatuor cohortes eaeque in ſupplementum Italici exercitus adhibeantur, praefectis huius militiae retentis. Imperator Wedigium Damitzenſem, baronem, tribuni vicarium praefectumque Sigethanum, ad altiorem tribuni dignitatis gradum euexit. Roma qui venit curſor diſpenſationem pontificis attulit nuptiarum Lotharingiae ducis cum archiduce, quibus in tertio conſanguinitatis gradu coniunctio eſt, fecitque inſuper aulam certiorem, quod pontifex miſſurus ſit ita dictum nuntium a latere, qui matrimonium hoc benedictione ſacerdotali ratum perfectumque declaret. Nouiſſime imperatori traditae dicuntur regis Galliarum litterae, quibus de nuptiis gratulatur inſtantibus, ſponſa vero, vt aiunt, in ſpe eſt conſequendi donum nuptiale, holoſericum ad artis pictoriae leges egregie contextum, quod inſigne merito reſtitutae concordiae pignus habetur.

Lipſia. XVI. Kalend. Febr. Mercatores eruditos * quo pauciores, praeſertim noſtro aeuo, numerare licet, eo minus praetermittendum duximus exemplum inſigne Cornelii Hoofmanni, qui anno proxime elapſo Regiomonti diem obiit ſupremum, ſcriptis etiam clarus, quae famamque viri Carolus Henricus Rappoltus, profeſſor Regiomontanus, vt amico ſtrueret monumentum, ſequenti expresſit elegia:

Tu ſiquidem felix mercator, tu ſtudioſus
Doctrinae: menſae pulpita conluleras.
Regiomontani iunxere negotia tecum,
Te ſocium Batauus, Gallus & Anglus amat.
Haut aliter Muſis vixiſti, tempus & omne
Diuiſum curas inter vtrasque fuit.
Belgica vena tibi quam proſpera, ſemper Amyntas
Teſtis, Adelheidis, Pappinianus erit.
Nec tibi cum Latio peius conuenerat, idque
Scripta tuo calamo carmina terſa docent.
Eminet haec inter laudandus Pietſchius heros
Virgilii, quem tu carmine reddideras.
Vidimus illuſtrata tuis & cambia curis,
Nautica ſed nobis mors tua praeripuit.
Heu quoties tecum laetabar noſſe profundas
Artis, naturae, religionis opes!
Vna ſoepe mihi licuit perdiſcere nocte,
Nullus quae nobis Gellius explicuit.
Nil erat antiquae nil doctrinaeque recentis
Quod tua non potuit promere ſedulitas.

* *De his peculiari ſchediaſmate egit D. Georgius Henricus Goetzius, A. 1705. Lubecae. 4.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. III. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum. XIII. Kal. Jan. Nullum etiam, limpidiſſimo prudentiae ex fonte deriuatum, valet conſilium, niſi ſigillo taciturnitatis munitum fuerit, dicique non poteſt, quanto omnia ſilentio premantur, quae in aula noſtra aguntur. Intra octiduum nouem aut decem diuerſis ex Europae partibus aduolarunt curſores, ſine mora eo, vnde venerant remiſſi, nec tamen de argumento eorum vel ſagaciores aliquid hariolando adſequi poſſunt, imo ne pacis quidem, quam Galli cum imperatore inierunt, conditiones in manus ciuium peruenerunt. Nudius tertius, diem, quo nomen principis filiae, quae Aſturiae principi nupſit, in faſtis legitur, herique natalem regis noſtri quinquageſimum tertium, multis ſolemnibus feſtum egimus. Rex & regina omnibus & ſingulis gratulatum accedentibus manum oſculandam praebuerunt, in his fuit Sora dux, Caroli principis legatus, carpentis ſumptuoſis, familia ampliſſima eaque bene veſtita vſus tantaque magnificentia, quantam poſt hominum memoriam in his terris non vidimus. Patinhus, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, hoc ipſo die variorum principum legatos aulaeque optimates quam plurimos in conuiuium opipare inſtructum adhibuit. XVI. Kal. Jan. venerunt ad nos Capellus, reipublicae Venetae legatus, Monteleonius dux atque Ragotzius iunior, Montiius autem comes, qui legationem apud magnae Britanniae regem adminiſtrat, ad ſingulas horas in exſpectatione eſt.

Lutetia Pariſiorum. IV. Non. Jan. Sterilitas nouorum apud nos tanta eſt, vt domeſticis de rebus nihil exteris communicandum habeamus, &, niſi aliunde nobis nuntiaretur, quid rerum agatur, ſilentium aulicorum, quod in praeſenti ſummum eſt, omni nos colloquendi materia priuaret. Ipſe Lautrecus comes, ſolitus nullum

non

non per curſorem publicum perſcribere quam accuratiſſime, quid in Longobardia dignum notatu euenerit, eueniſſe nihil ſuo ſilentio & litterarum defectu comprobauit. Quantum conſtat, Noallius mareſchallus benigne exceptus a magno duce Hetruriae, quam primum Florentiam ingreſſus fuerat, cum Montemario Hiſpanorum duce agitauit conſilia, confectoque, vt aiunt, Romam itinere publicae rei cauſa, & luſtrato in hybernis exercitu noſtro, ſua Mediolani ſumet. III. Kal. Jan. ſummus regni ſigilli cuſtos ſalutantes ſe principum exterorum legatos audiuit, & in his Torellam Caracciolum principem, qui hac occaſione ſuam protulit excuſationem, quod Caroli Hiſpaniarum principis, cuius in aula noſtra legatum aget, deſtitutus mandatis Verſaliam regem ſalutatum hucusque non conceſſerit, ſui tamen principis cauſam ei de meliori commendauit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Iſenghienus princeps, qui regio nomine comitis Arteſiae prouinciae praefuit, ſuperiori hebdomade rebus feliciter geſtis vrbem in noſtram rediit, ordines enim illius prouinciae gratuitum regi donum quadringentorum aeris noſtri millium offerendum decreuerunt. Sexcenta eiusdem aeris millia, quae rex colligenda ſtatuit, opinione citius in aerarium redierunt, fortibus conſtitutis, quarum vſurae ad dies vitae conceſſae, ſociis omnibus exſtinctis, ſummam mutui delere ſolent. Haureus dux, legionis praetoriae tribunus, cum filia Montmorencii mareſchalli ſponſalia meditatur. Natorum & denatorum vt & qui matrimonium contraxere, per annum proxime praeterlapſum, computo facto, deprehenduntur ſacris chriſtianorum initiatorum nouendecim millia octingenti viginti & quinque, adeoque bis mille & decem numero plures quam anno ſuperiori, matrimonium inierunt quater mille centum viginti & tres, naturae vero debitum ſoluerunt quindecim millia centum viginti & duo, quem numerum anno praecedenti bis mille trecenti quadraginta & quatuor, natique denatos, quam longiſſime hoc anno ſuperarunt.

Londino. III. Non. Jan. Sexta ſuperioris hebdomadis feria, Borckius baro, regis Pruſſiae legatus, cum Harringtono equite, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, quam diutiſſime colloquium habuit. Heri in conſpectum reginae deductus D. Taylorus, ophthalmicae artis peritisſimus, ei primam ſui de oculo tractatus partem exhibuit, reliquas per quoduis bimeſtre continuabit. Primae huic praemiſit parti epiſtolam ad vrbis noſtrae medicos & chirurgos, in ipſo autem opere methodum exponit, qua in oculorum lumine reſtituendo vtitur. Noſtra, quae Olyſſipponenſem tenet portum littusque tuetur Luſitanicum, claſſis ante brumam non reuocabitur, reuocandae autem proximo vere alia forte ſuccedet. IV. Kalend. Jan. rex Shannonum comitem atque Montandrum marchionem ſummos militum duces, pedeſtrem hunc, illum equeſtrem

ſtrem, praetereaque decem ſummorum militiae ducum vicarios, quatuor & viginti ſupremos excubiarum praefectos, nec non nouem & triginta cateruarum ductores creavit, re ipſa iubente, cum bini ſaltem, Orckneius comes atque Argylius dux, ſuprema hac dignitate ornati ſupereſſent.

Haga Comitum. IV. Id. Jan. Vterque & Galliae & Hiſpaniae legatus, Fenelonus & S. Gilleſius, marchiones, multum fatigant ordines foederati Belgii, ſcriptis traditis, quorum ille nouae pacis conditiones amplectendas ſuadet, hic diſſuadet & Vindobonenſis transactionis auctores, inprimis Fleurium purpuratum, durioribus verbis tractat. Problema hoc politicum heri cum in congreſſu procerum in deliberationem veniret, Viſcontus Traiectinus delegatus vt & Groeningenſis prae coeteris, ſe nullis ad hoc negotium inſtructos eſſe mandatis dixere, concluſum itaque fuit, ordinum cuiusuis prouinciae ſententiam prius audire, quam ad petitum vtriusque reſponſum dare. Aula Hiſpanica minime pacis amans nullos videtur timere hoſtes nec calamo ſaltem pugnat iura ſua defendendo, ſed exercitum quoque contrahit maiorem, claſſem comparat & auxilia circumſpicit. Praefecti nationis noſtrae ſiue conſules in Hiſpania non minus ac vtraque Sicilia exprimere ſatis nequeunt verbis humanitatem, qua, prae reliquis nationibus, nulla non occaſione adficiuntur.

Qui nomen famamque ſcriptis & numero & praeſtantia inſignibus ſerae poſteritati tradidit, Johánnes Clericus, Amſtelodami, VI. Id. Jan. natus nouem & ſeptuaginta annos, diem ſupremum obiit; ingenii viribus, quibus tantopere valuit, per aliquod iam tempus deſtitutus, vixerit vt vitae neſcius ipſe ſuae.

Vindobona. VII. Id. Jan. In vrbe noſtra & ſuburbanis per annum proxime elapſum nati ſunt quinquies mille octingenti ſeptuaginta & ſex, denati quinquies mille quingenti quadraginta & nouem. Quo numero vt comprehenduntur infantes, qui primum aetatis annum viuendo non abſoluerunt; ita in ſequenti calculo* exhibentur anni, quos vita functi integros compleuerunt. Compleuerunt autem annos

Ætatis	Num.	Ætatis	Num.
1	485	16	14
2	267	17	14
3	150	18	16
4	103	19	17
5	53	20	26
6	51	21	21
7	38	22	30
8	26	23	31
9	27	24	23
10	33	25	19
11	5	26	32
12	12	27	16
13	10	28	35
14	14	29	14
15	16	30	55

Ætatis

Ætatis	Num.	Ætatis	Num.	Ætatis	Num.	Ætatis	Num.
31	14	70	54	109	1	112	-
32	34	71	17	110	-	113	-
33	29	72	25	111	-	114	1
34	34	73	25				
35	42	74	28				
36	46	75	29				
37	24	76	36				
38	35	77	18				
39	34	78	19				
40	82	79	10				
41	19	80	29				
42	45	81	9				
43	30	82	7				
44	46	83	9				
45	42	84	11				
46	42	85	11				
47	21	86	7				
48	33	87	7				
49	23	88	7				
50	71	89	12				
51	20	90	10				
52	26	91	3				
53	30	92	2				
54	27	93	3				
55	40	94	3				
56	42	95	4				
57	22	96	-				
58	28	97	-				
59	30	98	1				
60	77	99	1				
61	27	100	-				
62	23	101	-				
63	33	102	1				
64	26	103	-				
65	30	104	-				
66	43	105	-				
67	22	106	-				
68	22	107	1				
69	25	108	-				

* *Gemina occurrit notatu digna obſeruatio in praeſenti non minus ac decem & plurium annorum catalogis dierum emortualium. Quam tertio abhinc anno propoſitam repetere integram eo minus alienum fore putamus, quo pauciorum in manibus noua haec ſuperſunt:* Altera, *quod decimus quisque aetatis annus fatalis videatur prae climacterico anno, cum ad oculum pateat, plures per ſingula decennia diem obiiſſe anno, quo decimus continetur numerus, quam annis intermediis;* Altera, *quod e contrario per ſingulos annos in primo decennio decreſcat numerus, qui, quo tenerior aetas, eo maior ad decimum vſque aetatis annum fuerat. Ratio poſterioris in promptu eſt, quia plerumque natura, ante ſuccumbit, quam viribus firmata fuit, non aeque prioris, quam medicis inquirendam relinquimus. Ad minimum praeſens & ſuperiorum annorum calculus abunde docet, nullam prorſus anni climacterici rationem habendam eſſe, quam habent medici, in his Bapt. Codronchus in ſuo Comm. de annis climactericis nec non de ratione vitandi eorum pericula 1623. Col. 8. Frid. Hoffmannus in Diſp. qua annorum climactericorum rationalem & medicam explicationem A. 1704. Halae exhibuit. Nec facile quem in conſenſum trahet Pet. Cunaeus, qui Orat. peculiari, de annis climactericis & eorum vi in rerum publicarum & ciuitatum conuerſione, egit; in Ej. Orat. N. IV. p. 42.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. IV. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. VI. Kalend. Jan. Humanae res ita ſe habent, vt nihil aeque ac fortuna exhilaret modo, modo turbet animos, vtpote quae ſola mobilitate viget. Bello flagrante Longobardia, pace nobis frui licuit, pace illi adfulgente, bellum nobis imminet armorumque in vicinia ſtrepitus vel nullam, vel dubiam certe nobis ſpem pacis iniicit. Nam minus laeti res ominis eſt, quod tormenta quatuor bellica puluerisque pyrii copiam haud leuem videamus Peſcaram transportari, quod duodecim ſclopetorum totidemque gladiorum militarium millia e Gallia aduecta inque caſtellum vrbis noſtrae nouum repoſita ſint, quod denique ſuſpectae fidei ciuium numerum non plane decreuiſſe pateat ex aulae noſtrae edicto, quo plures huius generis optimates ſolum vertere iubentur. Ex hoc capite addicta eſt aerario haereditas omnis defuncti marchionis Vaſti, praeter Vaſtum, Peſcaram & Francamuillam oppida Vaſtianis relicta haeredibus. Capua XII. Kalend. Jan. terraemotu leuiori adfecta nuntiatur. Idem e contrario laetus nobis fuit dies, Roma mane aduolante curſore, quod Ludouicus princeps Hiſpaniarum natu minor, qui Carolum noſtrum fratrem germanum agnoſcit, a pontifice purpuratorum adſcriptus ſit. Veſperaſcente coelo per hunc non modo diem, ſed triduum integrum, aedes Spinelli purpurati, noſtrae vrbis archiepiſcopi, nec non pontificis, qui apud nos viuit, oratoris, lampadibus multis egregie collucebant.

Roma, pridie Kal. Jan. Prima currentis hebdomadis feria, & Harrachio comiti, imperatoris legato, & Spadae comiti, Lotharingiae ducis res procuranti, per curſorem Vindobona traditae ſunt litterae ad impetrandam ducibus Lotharingiae fratribus a pontifice diſpenſationem, quibus Carolinae archiduces nubent.

Poſtero

Poſtero ſtatim die vterque legatorum hac de re conuenit in colloquium, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, purpuratum, ipſumque pontificem Giudicius purpuratus, ſummusque ſacrorum praeſul ſibi ab epiſtolis Oliuierium purpuratum ad ſe accerſiuit iuſſitque vt litteras patentes, quibus dictae nuptiae adprobantur, conſignet, conſignatas itaque Giudicius purpuratus tertio poſt die per curſorem Vindobonam miſit. Non, vt fama tulit, Altouitus, ſed, deprecante Acquauiua purpurato, Santobuonus princeps abbas in Hiſpaniam proficiſcetur, qui mitram, qua purpurati tegunt capita, Ludouico recens electo purpurato offerat. Pierius purpuratus, quem ſubita vis morbi inuaſerat, melius ſe habere coepit.

Bononia, pridie Kalend. Jan. Florentia ad nos rediit Noallius regni Galliae mareſchallus idemque, quod Kheuenhüllero comiti, ſummo exercitus caeſariani duci atque Saxoniae principi Hildburghuſano eſt, hoſpitium in aedibus Montii ſumſit, deque rebus exercitus ſui quam frequentiſſime triumuiri illi agitarunt conſilia. Romandiolam * ſeptem legiones equeſtres petunt duce, qui Forum Liuii ** ſibi ſedem elegit, Lobkovvitzio principe, quas ſubſequentur quinque legiones dimidiatae pedeſtres, duce Wachtendonckio, qui apud Lugenſes per hyemem commorabitur. Conuenit inter Alberonum purpuratum, prouinciae praeſidem, ducesque militares, ſingulis equitum octo, peditum ſeptem quotidie dare nummos aereos, quorum decem imperialis partem octauam conficiunt,*** gementibus hoc onere preſſis incolis, quibus, ſi hoſpitibus careant, curta ſupellex eſt.

* *Romagna.* ** *Forli.*
*** *Baiochi.*

Venetiis, VII. Id. Jan. Sexta ſuperioris hebdomadis feria, terreſtri itinere ad nos Conſtantinopoli delatae ſunt epiſtolae IV. Kalend. Dec. exaratae, quae docent, Turcos, aegre admodum ferre, quod auxilio ſibi venientibus Ruſſi obicem poſuerint. Tartari nimirum Crimmenſes fecerant in Perſiam irruptionem, non ſine ſucceſſu, verum non ſine etiam Ruſſorum offenſione, qui, manu ſexaginta millium contracta, Precopienſe aggreſſi ſunt oppidum, vt eos ab expeditione Perſica domum reuocarent. Imperauit itaque aula Turcica exornandam claſſem numeroſam, quae prohibeat, ne Tanaim* forte ſub ſuam redigere poteſtatem ſtudeant Ruſſi, & colligendum exercitum quadraginta millium, quorum triginta Romania, ** decem reliquae prouinciae ſuppeditabunt, vt Tartaris ſuccurrant. Laetior ex induciis viciniae noſtrae rediit facies ſacraque ab obſidionis metu liberati Mantuani inſtituerunt ſolemnia per triduum, quibus Deo egerunt grates ſimul & orarunt diuinum Numen, vt finibus imminens contagium bouinum clementiſſime auertat.

* *Aſoph.* ** *Romelia.*

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Jan. Nondum deferbuiſſe iram Hiſpaniarum reginae nouiſſimae teſtantur litterae, ſpem tamen pacis non omnem decollare in iisdem indicio eſt, quod ab eo tempore, quo regis colloquio gauiſus eſt noſter Mantuae Carpetanorum legatus, Vaugrenanius marchio, cum Patinho reliquisque aulae Hiſpanicae adminiſtris conſultationes ſolito frequentiores habuerit. Ipſe Montemarius, ſummus Hiſpanorum imperator militaris, cui diuiſio caſtrorum inopinata bilem quam vehementiſſime mouerat, frontem mutare incipit rugoſam hilarique magis excipere Noallium regni Galliae mareſchallum, cuius opera & ſtudio magnum Hetruriae ducem eo perductum eſſe videt, vt aulae Hiſpanicae ſuadeat totus pacis amplectendae ſtudium, ne res Caroli principis ancipiti belli fortunae committat. Finem quoque diſcordiarum Hiſpanos inter & Luſitanos adpropinquare vel ex eo colligere haud obſcure licet, quod vtriusque partis copiae, rebus ſatis feliciter, nimirum ſine ſanguine fuſo minisque ſaltem, geſtis, retro mouere pedem inque ſua ſecedere hyberna in mandatis habeant. Bourboniam principem veterum ferre publice declaratum fuit, e contrario paucorum dierum interuallo Aiguillonius dux praematura morte binos amiſit filios, vt natu maior Agenoiſius comes ſolus ſuperſit.

Vindobona. XIX. Kal. Febr. Praepoſitus collegii canonicorum regularium Leopoldini, ad alterum quod ab vrbe noſtra diſtat lapidem, iubileum nuper celebrauit eccleſiaſticum votaque ſui ordinis, qui S. Auguſtini regulam ſequitur, multis ſolemnibus renouauit, obſignatis carmine, quod Johannem Carolum Neuenſtenium, aulae caeſareae poetam laureatum, autorem agnoſcit, huius argumenti & inſcriptionis:

Quum almae aedis B. M. V.
Sub Inuocatione D. Leopoldi Conf.
Ampliſſ. D. Praepoſitus
Secunda emitteret vota feliciter
Inito iam Anno MDCCXXXVI. VI. Eid. Ian.
Quo die olim Romae ſacrificium Jani confectum.

* *

Gratulor *Erneſto*, ſuperi, fauiſtis abunde
Cui felix voti copia facta ſui eſt.
Laetior Auſtriacas Titan accendit alaudas
Illuſtratque ſuo clarior igne diem.
Scilicet ad priſcas deſcendunt Numina ſedes
Et coelum in ſacris aedibus eſſe putes.
Ara calet, lux alma vocat, ſenioque verendo
Verba Sacramenti fas renouare fui.
Non anni fregere virum, manet integer ille
Pectoris, & creſcit, qui fuit ante, vigor.
Mens excelſa ſuo ſibi ſumit robur ab aeuo
Atque alitur curis laetior vſque ſuis.

Fax

Par *Erneſte* tibi es. Quo plus te protulit aetas
Plus etiam meritis addidit illa tuis.
Iſacides potuit ſeptenas ordine meſſes
(Sola tamen pretium ſola Rachelis erat)
Iſacides potuit tam longos ferre labores
Spes tamen optatas ſic quoque luſit hymen.
Trux ſocer, & leges totidem praeſcribit & annos,
Accipit & leges, & data iuſſa gener.
Vna Rachel, ſolesque breues, breue frigus, & aeſtum
Vna Rachel curas, & leue reddit onus.
Non ego, Virgo, tuos, inquis, pulcherrima vultus
Non ego te forti pectore, mater, amem?
Ah! lapis eſt, quicunque tuos non fouerit igneis
Hos mihi ſi dederis, praemia nulla velim.
Nec moror in longam fila extendenda ſenectam
Dum mea vita tuo ſpiret amore, ſat eſt.
Exiguis vitae ſpatiis aequabit amantum
Secula, qui conſtans, qui bene fidus, amat.
Sic pugil ad palmae volat indefeſſus honorem
Sic diuturna ferox praelia victor amat.
Sic celer aſtriferum ſol eluctatus olympum
Altera iam laſſos ad iuga cogit equos.
Myſta nouae legis, tibi ſera rependet honores
Canonici pietas poſteritasque Chori.

Quis ſcit, an adiiciat plures tibi Iupiter annos,
An ſit & *Erneſtum* ſcena datura nouum.
Sambucus bona ſigna mihi, ac praeſagia quaedam,
Et ruber incumbens Pileus ille dedit.

* *

In qVot IaM fVLges CanonIae LVſtra profeſsVs,
In tot praepoſItVs perge faVore DeI.

Lipſia. IX. Kal. Febr. Apud Hamburgenſes IV. Kal. Jan. hora mane ſecunda, diem obiit ſupremum Maximilianus Henricus Kurtzrockius, conſilio imperii aulico adſcriptus rerumque imperatoris in circulo Saxoniae inferioris procurator, qui humanitate inſignis, magnum ſui deſiderium apud omnes reliquit, cuius reliquiae Nonis Jan. ſine funeris pompa in aede cathedrali ſepulchro illatae ſunt. Londini per annum proxime elapſum natorum in numero ſedecim millium octingentorum ſeptuaginta & trium deprehenſi ſunt octies mille ſexcenti quinquaginta & octo pueri, puellae octies mille ducentae & quindecim. Naturae autem debitum ſoluerunt longe plures, nimirum tria & viginti millia quingenti triginta & octo, in his maſculorum vndecim millia ſexcenti nonaginta & nouem, ſexus ſequioris totidem millia octingentae triginta & nouem, vt bis mille quingentis quinquaginta & quatuor hoc anno minor, quam praecedenti, mortuorum numerus obſeruatus fuerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. IV. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. V. Id. Jan. Superanda omnis fortuna ferendo eſt, quam, rupto in Italia foedere, adverſam qui putant ſocii non eodem, quem produnt, animo ferunt. Ferunt eam patienter admodum Pedemontani ſeque quietos adeo in hybernis exhibent, vt dictu difficile ſit, contentus ſit an minus rex Sardiniae ſorte ſua, quam transactio Vindobonenſis definiuit. Ferre eam tota recuſat Hiſpaniarum regina, quaeque Carolo principi filio tributa ſunt legibusque nouae pacis circumſcripta non prius adprobare videtur, quam auxiliis deſtituta & compulſa neceſſitate fuerit. Praeualere adhuc in aula Hiſpanica Martis ſtudium nouiſſimae Mantua Carpetanorum ad nos datae docent litterae quodque rex per omnes prouincias dederit mandata, vt conſcribantur tyrones in ſupplementum omnium in vniuerſum legionum ante adhuc menſem Aprilem, quo termino praeterlapſo collectas luſtrabunt copias, qui bellicis in rebus a commiſſionibus ſunt. Forte animum bellandi cum exteris accendet reginae reſtituta tantum non in totum cum Luſitanis concordia, caſtra enim a finibus mouerunt vtriusque partis milites, ipſoque rege indulgente ducum militarium nonnulli Mantuam Carpetanorum reuertentur. Non quidem ceſſant aulae illius cum aliorum principum legatis conſultationes ſatis frequentes, de probato tamen Vindobonenſi pacto altum ſilentium eſt. Interim tueri ſe poſſe Parmam & Placentiam aduerſus caeſarianos ipſi addubitant Hiſpani, hinc pretioſa quae moueri poterant, e palatio vtriusque vrbis collegerunt in ciſtas mille & quingentas Genuamque tranſportarunt, quibus onuſta nauis Anglica, portu illo relicto, IV. Kalend. Jan. Neapolim direxit curſum, inque eo occupati dicuntur, vt rem quoque tormentariam alio inde transferant.

Ex eadem vrbe, eodem die. Multis per-

perſuaſum eſt fore, vt, quam ſub initium huius belli occupauimus, ſine reſtitutione ad tempus, prouinciam retineamus ea tamen lege, vt, quantum ex ea quotannis redire ſolet, tantum numeratae pecuniae pendamus duci Lotharingiae, donec ille Hetruria potiatur. Hinc rumor conſtans percrebuit ſocerum regis noſtri proxime adfuturum in Barenſi oppido eiusdem nominis prouinciae primario, vbi in palatio nitidiſſime exornando omnis opera ponitur. Pace, vt volunt, conſtituta non poteſt non mouere omnibus admirationem regis prohibitio, ne ex Italia ad nos reduces militiae duces ſupellectilem ſuam caſtrenſem diſtrahere ſuſtineant. Voluitur multorum manibus ſcriptum ſub rubro: Oratio, qua Segnius abbas academiae Gallicae adſcriptus auſpicium dignitatis ſuae capiet. Tantum abeſt, vt parentem hunc foetus ille agnoſcat, cum auctor, quiscunque ille ſit, & abbatem dictum, & collegas ipſius futuros, & totius academiae conſtitutionem falſe perſtringat. Magnus fit adparatus ſolemnium, quibus pax publicabitur, ſique vera ſunt, quae nonnulli ſuis ſe oculis luſtraſſe adfirmant, faſtigium curiae egregie exornabitur inque ea die feſto Fleurius purpuratus ex promiſſis cum exterorum principum legatis prandium ſumet & quidem menſe proximo, quo forte & nuptiae Lotharingiae ducis cum archiduce Auſtriaca Vindobonae celebrabuntur.

Londino. IV. Id. Jan. Hebdomade praeſenti, ſenatus, penes quem rerum maritimarum adminiſtratio eſt, dedit mandata ad claſſis praefectos, vt rei nauticae quosdam peritos denominent, quos aptos iudicent, qui militiae nauticae ducum officio in coloniis Americanis defungantur. Qui in victu nauali procurando a commiſſionibus ſunt, ad vſum claſſis noſtrae quadringentos boues coemerunt. Luce heſterna in ſacris prima omnium vice adhibitum fuit organon muſicum, quod egregiae artis opus, quo praeſtantius nullum Anglia habet, in aede, cui de Chriſto nomen eſt, Bridgius Clerckenvvellius conſtruxit. Gadibus quae ſoluit claſsis Hiſpanorum Americana ſecundo admodum vento Canarias inſulas praeternauigando curſum proſecuta nuntiatur, quodque Gallica claſſis bellica Gaditanum adhuc teneat portum, nec terminum norit, quo Telonem Martium, vnde venit, reditura ſit. Societas Indiae orientalis multum ſibi promittit lucri ex regio nuperrime promulgato edicto, quo priuatis quibuscunque prohibetur, ne mercaturam ad Indos orientales in fraudem ſocietatis inſtituant, nec alterius nationis commercium ſuo aere adiuuent, ſed domum reuertantur, quicunque in illis oris mercaturam exercendi cauſa ſibi domicilium elegerunt. Praxiteles noſtri aeui celeberrimus Rysbrackius capita regum & reginarum Angliae a Wilhelmo conquaeſtore ad noſtra vsque tempore nitidiſſimo marmore exprimet, quibus regina cryptam Merlinenſem apud Richmondanos exorna-

exornare ſtatuit. Saxoniae Gothani principis ſoror germana natu altera, poſtquam per procuratorem, vt loquimur, Walliae principi menſe Februario nupſerit, Maio menſe noſtras in terras iter aggredietur.

Haga Comitum. XVI. Kal. Febr. Prouinciarum delegati fuerunt Tranſiſalanae, Groeningenſis & Traiectinae, qui in nupero ordinum congreſſu praeliminaria pacis ſubſcribendo adprobare detrectarunt cauſam interferentes, ad tanti ponderis negotium mandata ſibi deeſſe. Reſponſum Tranſiſalanae prouinciae idque quam maxime ad palatum patribus reipublicae conſcriptis iam exhibitum, alterum Groeningenſium craſtina luce, tertium Traiectinorum poſtridie in exſpectatione eſt. Nullum itaque dubium eſt, quin ex voto & imperatoris & Galliae regis legatorum res eueniat vltimamque operi manum praeſenti adhuc hebdomade impoſituri ſint ordines foederati Belgii, maxime cum eandem foueant ſententiam ordines Hollandiae, qui ſuo in conuentu praeliminaria haec ſub incudem vocarunt & adprobatione iudicarunt digniſſima. Impeditus litteris aulae ſuae grauiſſimis, quo minus praeterita hebdomade, vt ſtatuerat, Londinum proficiſceretur, Horatius Walpolius, regis magnae Britanniae legatus, hodie vrbem noſtram reliquit, poſt hebdomades tres rediturus, auſpicio facto comitiorum publicorum, quibus intereſſe cupit. Vltimum dicenti vale ordines reipublicae noſtrae promiſiſſe dicuntur fore, vt Treuorio, cui per abſentiam res aulae ſuae curandas tradidit, concluſum de amplectenda pace quam ocysſime exhibeatur, ſi forte regi placeat eius facere mentionem in alloquio, quo comitia regni, more a maioribus accepto, ſolet auſpicari.

Francofurto ad Moenum. XIII. Kal. Febr. Delegati vtriusque & Franconicae & Sueuicae gentis in ordinandis occupati ſunt hybernis noſtra in vrbe congregati & ita quidem ex mandato imperatoris, vt intra breue tempus, ſi quae neceſſitas vrgeat, numeroſus colligi queat exercitus, eademque ex ratione nullae amplius diſcedent copiae, ſed in vicinia ſe paratas exhibere tenentur. Stationes militares tam Germanorum quam Gallorum nondum mutatae ſunt, nec prius mutabuntur, quam Philippoburgum imperio reſtitutum fuerit, cuius in agris illi, hi in Germersheimenſi Spiram vſque ſubſiſtunt. Exceptis dicto Germersheimio, Neoſtadio & Lutra Caeſarea, loca omnia elector Palatinus, cuius ditionis illa ſunt, ſuo milite firmauit, quique primus belli onus ſenſerat, pacis quoque primitiis primus perfruitur. Idem quoque ſexcentis ſibi vindicauit Heidelbergam atque praeoccupauit praeſidium legionis dimidiatae Hasſiae principis Maximiliani, quae vrbem ingredi ſtatuerat.

Argentorato. III. Id. Jan. Carolus dux Lotharingiae, qui iam Nonis Jan. Vindobonam iter faciens Hageno-

genouiam caſtrumque Ludouicianum tranſiit, ex mandato Bourgii mareſchalli, vrbis noſtrae praefecti, omni honoris cultu vbique exceptus fuit. Theilius, regi Galliae in rebus cum exteris pertractandis a ſecretis, olim apud Hiſpaniarum regem legatus, cum Bannierefio, conſilio qui ſanctiori ab expeditionibus curſoriis eſt, VII. Id. Jan. vrbem noſtram intrauit, huncque Vindobonam praemiſſum proxime ſequetur. Noſtris nauibus nihil amplius impedimenti eſt ab excubitoribus Germanis, quo minus per adfluentem aeque ac defluentem Rhenum libere curſum inſtituant.

Vindobona. XIX. Kal. Feb. Qui nudius tertius e Gallia aduentauerat curſor, tertio poſt die, heſterna nimirum luce remiſſus fuit, habitis plus vice ſimplici conſiliis ſanctioribus, vt opinio eſt, de Hiſpaniarum regina, non amplius faſtidiente pacem & concordiam, nec omni caret fundamento, cum eodem, quo Lutetia Pariſiorum, die curſor Mantua Carpetanorum aduolarit. Idem coniiciunt multi ex redditis mille & ſedecim captiuis cum omni praeda Hiſpanis, ante aliquod tempus poſt caſtra diuiſa foederatorum Hiſpanis erepta, ſed negant alii cauſamque reſtitutionis allegant non minus ſonticam, quod Hiſpani iacturam hanc fecerint induciis iam publicatis, nondum vero vbique locorum palam factis eo tempore & cognitis. Aulae non vnius legatis ſciſcitantibus, num quid nouae pacis conditionibus contineatur pugnans cum eo quod intereſt aulae cuius legationem adminiſtrant, quidam horum reſponſum tuliſſe dicitur, imperatorem conſtantis amicitiae maiorem, quam aula eius rationem foederis habuiſſe. Tandem ſeditionis cauſa in Hungaria incarceratis dicta eſt ſententia pro diuerſitate delicti, quo quisque vel grauiorem vel leuiorem poenam meruit. (1) Crura ſuffringenda ſunt rota quatuor ſceleris autorum, ita vt lenta morte extinctorum cadauera in quatuor diuidantur partes, diuiſae de patibulo ſuſpendantur. (2) Capite plectendi ſunt ſeptem eorumque corpora rotae imponenda. (3) Gladio pariter percutiendi ſunt ſex & ſeptuaginta facinoris ſocii horumque & ſuperiorum bona aerario addicta. (4) Per biennium integrum ad metalla damnati numerantur tredecim, & (5) ad trimeſtre ſaltem quatuordecim. (6) Libertate donati ſunt quatuor & triginta, qui in viis publicis comprehenſi cauſam ſuam bene dixerunt.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XV. Kalend. Febr. Specimen Jurisprudentiae Pauli apoſtoli quoad rem tutelarem ſiue Obſeruationes Philologicas ad Gal. IV, 1. 2. propoſuerunt M. AVGVSTVS CHRISTIANVS MARCHE & ANDREAS POLYCARPVS LEYSER. Litteris Jo. Chr. Langenhemii, pl. 5½.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. V. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Roma. VII. Id. Jan. Medicorum potabili ſolidum cuſumque ſoepe praeualet aurum, vtque releuetur aeger, interdum docta plus valet arte liberalitas. Hac certe mirum in modum vires refecit lecto aeger decumbens Ottobonus purpuratus, nuntio accepto per S. Aignanum ducem, ſibi a rege Galliae, cuius hic legatum agit, bis mille ſcutatis auctum eſſe ſalarium annuum, quo Gallicae nationis protector perfruitur. Quod medium tam ſalutare expertus eſt panaceae inſtar, vt nudius quartus collegae, habita congregatione S. Officii eum ſalutatum venientes tantum non in integrum reſtitutum offenderint. IV. Non. Jan. Santabuonus colloquio gauiſus eſt pontificis eique gratias egit, dignus quod habitus ſit, qui Ludouico Hiſpaniarum principi purpurato ornamentum capitis exhibeat iterque breui aggreſſurus Corſinum purpuratum eumque qui publicis in rebus a ſecretis eſt, inuiſendos duxit. Cellamarius princeps, altero poſt die, quo aduentarat, iter proſequutus eſt Neapolim, ne quidem, quod omnes mirabantur, Giudicio purpurato ſalutato, dubio procul vt ſuſpicionem vitaret aulae Neapolitanae, ſi cum imperatoris legato colloquium haberet. Plus vice ſimplici in purpuratorum congregatione actum fuit habuitque cum illis pontifex colloquium de moleſtia, quam Germanos in hybernis ſibi creare, Bononienſes & Ferrarienſes conqueruntur, quibus vt aliquo modo ſuccurratur, decretum eſt adhibere collectum a Clemente vndecimo theſaurum, quem vulgo ita dictis montibus pietatis adnumeramus.

Mediolano, pridie Non. Jan. Clerus vniuerſus & ſecularis & regularis, diuinum Numen vno omnes ore, inſtitutis ſacris ſolemnibus, implorant pro auertendo, quod in vicinia latius ſerpit, contagio bouino, &

con-

conuenit inter eos, rebus ita deſperatis, S. Franciſcum Paulanum patronum geniumque tutelarem conſtituere. Fama fert, Germanos ſua extendere velle ad Ticinum * vſque hyberna, cuius alteram occupabunt ripam Galli, Pedemontani autem patrias in terras reuertentur. Parma nuntiatur tranſiiſſe curſorem e Gallia, qui Noallio mareſchallo tradiderit litteras, quibus rex Hiſpaniarum inducias cum Germanis adprobarit. Dictus Gallici regni mareſchallus exercitusque ſummus imperator per hyemem Cremonae hoſpitium ſumet, forte & iter Auguſtam Taurinorum ſuſcipiet. Remittet ille, vt opinio ad nos venit, e Longobardia domum octo vel decem peditum legiones dimidiatas, e contrario exercitus caeſarianus hodie trium & quadraginta millium, proximo vere ſexaginta millium futuras, Ollium ** tranſire parat. Ghiſleriani collegii apud Ticinenſes praefecti & magiſtratus vrbanus ſtatuerunt per delegatos exponere Noallio mareſchallo audaciam Gallorum ſummi cuiusdam ducis, qui ſuo non contentus adſignato hoſpitio, contradicente etiam Peroſa comite, oppidi praefecto, domicilium dicto in collegio ſibi eligere attentarit.

* *Pauia.* * * *Oglio.*

Parma. VII. Id. Jan. Turbulentus admodum noſtrae vrbis & prouinciae eſt ſtatus, nec eum emendauit aut imminuit praeſentia Noallii mareſchalli, quem, excuſſis in honorem aduentantis duodecim tormentis, pro dignitate tanti hoſpitis excepimus. Tantum abeſt, vt ſpes nos alat aduentus Caroli Hiſpaniarum principis, vt potius ea in totum decollare videatur, cum & noſtrum & Placentinum palatium vacuum ſit factum, pretioſis, quae moueri poterant, Neapolim delatis. Sua potius, quae ipſi hodie eſt, in metropoli Neapolitana, rebus bene ordinandis occupatus eſt, tam publicis, habita ſcholarum & collegiorum ratione, quam priuatis, quae recreationibus inſeruiunt. Hinc venationibus quam maxime deditus emptionis iure a iuſtis poſſeſſoribus ſibi comparauit aliquot agrorum iugera, quod ſpatium vt arboribus conſerant ducenti operarii deſudant. Occupatus praeterea eſt in finibus aduerſus quemcunque impetum firmandis, in quibus collectas copias luſtratum profectus eſt Bercouicenſis dux, qui infirma valetudine, hoc negotio confecto, periculo nondum inſtante, Neapolim reuertetur.

Lutetia Pariſiorum, Idibus Jan. Qui aulam noſtram frequentant, breui pacem publicandam fore adfirmant, quam primum Mantua potiſſimum Carpetanorum & aliunde curſores redierint. Nec moram amplius faciet cuiuscunque ſit argumenti reſponſio regis Hiſpaniarum, ſed populo ſignificabitur, pacem cum imperatore conſtitutam eſſe inque eius conditiones & Anglos & Batauos & alios Europae reges & principes deſcendiſſe. His quidem contradicunt alii & publicationem ſole-

ſolemnem ad menſem vſque Julium prorogandam fore contendunt, ſed fallunt forte & falluntur aeque ac coniecturarum ſtudioſi minus felices, qui Vindobonenſi contrarium neſcio quod foedus aliquos moliri ſibi perſuaſum habent. Nouiſſimae Mantua Carpetanorum ad nos III. Non. Jan. datae litterae vt referunt, friget adhuc in aula Hiſpanica pacis ſtudium, qua occaſione vltra modum honorifice tractantur magnae Britanniae regis Belgarumque legati, quorum poſtremo loco nominatum regina imagine ſua, gemmis egregie diſtincta, donauit, nec illa mouetur minis mariti fore, vt iterato regni onus deponat. Quocunque tandem tempore pax publicabitur, eodem in ſolatium populi magna exercitus noſtri pars dimittenda dicitur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Claromontius dux, habitu ſacerdotali poſito caſtra ſecutus, ſcena mutata, venerandum, qui clericum decet, incipit ſumere vultum, conuerſationes ſolemnes fugit, parſimoniam colit ſibique eccleſiae beneficia laetiora & lautiora fore pollicetur, accedente & hoc, quod Borbonia princeps vterum ferat. Pontifex Lercarium in aula noſtra deſignauit oratorem, hocque interprete docere ſtudet ius ſibi competens in Parmam & Placentiam, ſui beneficii quas eſſe prouincias arbitratur, eoque rem perducere, vt in pacis cauſa inſtituendo congreſſu publico admittatur, qui ſedis Romanae cauſam hanc perorandi poteſtatem habeat. Delphinus princeps, qui ex leuiori aliquot dierum morbo totus conualuit, poſtridie ſubtrahetur curiae ſexus ſequioris. Cui nuper cum ſiſterentur hypodidaſcalus, lector aliique adiutores ſtudiorum, quaeſiuit ex Tallardia principe, quid horum conſortium ſibi velit? Reſpondenti eos eſſe conſtitutos, qui animum bonis artibus imbuant, regeſſit ille: *Sufficit numerus docentium, ſed neminem video, qui me excitatiorem reddat.* Relatum eſt nobis, incidiſſe in morbum Boullionaeam principem, quae haud ita pridem inuiſura patrem, Jacobum Sobieskium Poloniae principem, pariter aegrotantem, in Sileſiam conceſſerat. Richelius dux coram ſenatu ſupremo cauſam ſuam agit aduerſus plurimos poſſeſſores aedium, quae hortis regiis conterminae ſunt, qui tamen bonitate cauſae confiſi animum non deponunt. Noallius mareſchallus Florentiae gratus omnino fuit hoſpes multo honoris cultu exceptus, minus vero gratus Montemario duci, qui nullis etiam praegnantibus eius argumentis aures praebuit.

Londino, Idibus Jan. Rex, regina, gensque regia vniuerſa heri, Kalendis nimirum Jan. ſtyli veteris felix noui anni auſpicium gratulantes benigne audiuerunt. Egregiae artis imagines binas Saxoniae principis Gothanae, quae benignam nacta naturam opus illuſtre conſignandi non potuit non pictori commodam praebere occaſionem, regina Walliae-

que princeps e Germania acceperunt. Nonis Jan. Cantimirius dux, auguſtae Ruſſorum legatus, per multum temporis cum Harringtono equite colloquium habuit. Qui Cumbriae principi ſcientiae mathematicae tradet praecepta, Thomas Franciſcus, religionis cauſa e Gallia exul, ducentarum librarum Sterlingicarum ſtipendio perfruetur. Atholius dux ſua cum coniuge nec non alii Scotiae proceres ad comitia futura iter huc facientes per menſem & quod excurrit, illud, viarum difficultatibus impediti, vix abſoluerunt. Rumor, qui in vulgus emanauit de augenda nauali & imminuenda terreſtri militia ſpem tamen pacis maiorem quam belli peperit, cuius rei indicium eſt, quod pretium litterarum quibus cauetur pecunia ſocietati credita creuerit binosque de centenis nummos amplius emptores offerre non dubitarint. Edictum regis Luſitaniae, quo per aliquod tempus adamantes e Braſilia exportare prohibitum fuit, pretium huius generis mercium valde auxit, ita vt pondus, cui Karato nomen vulgo eſt, viginti aſſibus pluris vendatur. Curia Hiberniae inferior litteras regi exhibuit ſupplices, in quibus religioni & regioni conducere euincit, repetito edicto tueri poſſeſſores praediorum, quae proteſtantes iuſto pretio acquiſiuerunt, vbi aerario addicta erant annis ſeculi ſuperioris quadrageſimo primo & octogeſimo octauo, ne aliquando, ſi fata ita ferant, haeredes expulſorum fidei Romanenſis, dominium ſibi vindicare ſuſtineant.

Haga Comitum. XIII. Kal. Febr. Omnium in ore quod eſt pacis negotium, nullius prouinciae amplius conſenſu deſtituitur, cumque concluſum omnis diſcordiae expers factum ſit nudius tertius palam ordinibus totius reipublicae, quod ſupereſt, hodie perficient illi reſponſum exhibituri Vhlefeldio comiti & Fenelono marchioni, imperatoris & Galliarum regis legatis, ad ea, quae vterque de noua pace per litteras ipſis propoſuit. Idem conſequetur Treuorius, qui in legatione Britannica, abſente Horatio Walpolio, ab expeditionibus eſt, vt eius, alloquens patres conſcriptos VIII. Kalend. Febr. congregandos, iniiciat mentionem. Laetus admodum dictus Walpolius diſceſſit ſpemque fecit fore, vt ſub finem menſis proximi ad nos Londino reuertatur, cuius promiſſi fidem fecit, cum gentis ſuae quosdam &, quam alit, familiae tantum non omnes reliquerit. Nouiſſimae Gallorum epiſtolae ſpem quidem non omnem decollare commemorant regem Hiſpaniae ad pacis ſtudium permouendi, cognitum tamen eſt, quod huius Verſaliae legatus aliam prorſus inflet tibiam. Ipſe in epiſtolis ad familiares nullus negaſſe dicitur, quod ab aulae Gallicae adminiſtris ſemel iterumque inuitatus ad conſultationes de praeſenti rerum ſtatu, ſuae abſentiae cauſam allegare quam optime ſciuerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. V. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. XVII. Kalend. Febr. Dum ludus bonus eſt, illum dimittere fas eſt, quod neglexit axioma dux militiae, quem ante dies non ita multos aquis Sequanae ſuffocatum offendimus. Tyrones ille conſcriptum ad nos venerat, ludumque in diuerſorio Geureſiano aequans nocti pecuniam numeratam & ſuam & ſuae legionis ſibi commiſſam fortuna nouerca perdiderat; rebus itaque deſperatis, pecuniaque dilapidata lapidibus onerauit marſupium in praeterfluentes vndas vt ſe praecipitem dans citius mergeret, ſicque vna nocte & bonorum & vitae iacturam fecit. Carolienſis * dux duciſque Cenomanenſis ** coniux ſiniſtrum ferentes de Fleurio purpurato, pacis praeſentis autore, iudicium, gratia regis excidiſſe feruntur. Subſcriptio pactorum cum Suecorum rege de die in diem protrahitur, cuius rei cauſam quaerenti huius legato Goeddae baroni reſponſum fuit, obſtare foedus cum Ruſſis ex parte, ex parte etiam mutatam Europae faciem, datis interim mandatis ad Caſteiam comitem, Holmiae legatum, vt amicitiae ſeruandae leges varias easque non ſpernendas proponat. Curae hactenus puer qui traditus erat ſexus ſequioris Delphinus princeps regius luce heſterna ab ephoris exceptus eſt, cuius in rei memoriam ſub auſpicium huius anni cuſus eſt nummus, inuentore & ſculptore Viuierio, qui regem in manus Mineruae filium tradentem exhibet. Academia ſcientiarum regia per annum currentem ſibi praeſidem Torcium marchionem, huius vicarium Maurepaſium comitem nec non directorem Maupertuiſium elegit, quorum vltimus haud ita pridem academiae quoque Petroburgenſi adſcriptus fuit. Noſtrae academiae ſocii, dictus modo Maupertuiſius atque Clairaultus proxime iter aggredientur ad ſeptentrionem, quasdam obſeruationes

facere

facere iuſſi, quos Houttierius abbas & Moſmierius iunior comitabuntur.

* *Charlois*. ** *Maine*.

Londino. XVI. Kal. Febr. Spem pacis haud dubiae fama confirmat, quae percrebuit de imminuenda, quam terra marique comparauimus, militia, quodque ſenatui maritimo qui a commiſſionibus ſunt, dederint iam mandata de quindecim nauibus bellicis, quibus claſſis breui decreſcet, dimittendisque ſexies mille & quingentis, qui nauticam operam praeſtiterunt. Praeterea terreſtris exercitus octo millia a iureiurando militari abſoluentur quaeque Olyſſipponenſem tenet portum claſſis, duce Norriſio, primo vere ad patrium littus reuertetur. Pridie Id. Jan. ſolers hortorum cultor cucumerem, egregium naturae & artis opus, regi obtulit ab eoque decem aureis ſolidis * donatus valde laetus diſceſſit. Qui aulam frequentant ſe cognouiſſe tradunt, quod cum principe Saxoniae Gothana, ſponſa Walliae principis, dux Arauſionenſis eiusque coniux accedere ſecum conſtituerint hoſpites teſtesque ſolemnium, quibus pactum hoc connubiale obſignabitur. Rex vidit adprobauitque in totum aedium ſciagraphiam, quae admodum magnificae ſtruendae ſunt ad hortos reginae Richmondianos operique ſedula manus admouebitur quam primum noua arboribus ſtrata fuerit via, quae e viridario Kenſingtoniam ducit. Richardus Hopkinus eques, quem ſocietas mercaturam auſtrum verſus exercens praefecti vicarium habuit, Nonis Jan. vitam cum morte commutauit.

* *Guineen.*

Ex eadem prouincia, eodem die. Dixeris ingratum, dixeris omne malum, malum ſcelusque quod Deum hominesque offendit. Accidit ante aliquod tempus, vt Harius, natione Anglus, ſua cum naue qui Carolinae apud Americanos ſoluerat de littore, Briſtolium tendens alto in mari Gallicam videret nauem velut in agone conſtitutam iamque mergentem, cui auxilio miſit, quam ſecum habere ſolent maritimum iter facientes, ſcapham vindicauitque ab interitu & praeſentisſimae mortis periculo quinquaginta nauigantes Gallos, quos cum bonis Neptuno ereptis in ſuam nauem recepit. Sed ſerpentem in ſinu fouit, biduo enim praeterlapſo ingrati hoſpites, tantique immemores beneficii, Harium dignitate praefecti nauis priuarunt ipſoque inuito ad Fanum S. Martini, locum ſibi deſtinatum, curſum direxerunt, ſed fato aduerſo, ita vt grauiori quam antea premerentur periculo, quo aegre admodum ſuperato fluctibus iratis commiſſa nauis tandem ad Fanum S. Sebaſtiani adpulſa fuit. Hiſpani, quorum hic in Biſcaia portus eſt, cognita ingratiſſimorum hominum nequitia, quam enarrarunt Angli, tanti facinoris in autores Gallos adeo excanduerunt ira, vt bona eorum acciperent in pignus damni Anglis reſarciendi, quod ipſis ſua perfidia intulerunt.

Haga Comitum. IX. Kal. Febr. Quo minus

minus ordines foederati Belgii legatis & imperatoris & Galliae regis darent reſponſum, impedimento fuit delegatus Selandiae, qui ad exemplum reliquorum trium Tranſiſalani, Groeningenſis & Traiectini, ordinibus ſuae prouinciae vt rem nuntiare conſenſumque requirere ſibi liceret, flagitauit. His itaque quam ocyſſime reſcribentibus, ratum ſe habere foedus pacis, non dubium eſt, quin hodierna vel craſtina luce dictis legatis reſponſum exhibeatur, ſine tamen adiecta clauſula ſecuritatis praeſtandae, vt pactum valeat, quam nec paciſcentes ſuis in litteris propoſuerant. Si vera ſunt quae litteris ad familiares Mantua Carpetanorum nuntiantur, deferbuit ira Hiſpaniarum reginae, non amplius faſtidientis pacem eamque, vt dixiſſe fertur, honeſtam & exacte definientem, fore, vt Carolus princeps filius Siciliae vtriusque rex ſalutetur. Regem Sardiniae ad amplectendas pacis ex imperatoris Galliaeque regis ſententia conſignatas conditiones longe faciliorem ſe praebere vel ex eo colligere licet, quod legatus eius Canaleſius comes cum Fenelone marchione quam familiariſſime conuerſetur & frequentes admodum conſultationes inſtituat. Haec dum ſcribimus, fama emanauit in vulgus, curſorem heri Mantua Carpetanorum aduolaſſe, qui regem Hiſpaniae deſcendiſſe nuntiauerit in praeliminares pacis articulos, ſimulque dediſſe mandata ad Montemarium ducem, vt partem exercitus ſui finibus Hetruriae educeret.

Francofurto ad Moenum. IX. Kal. Febr. Laeta ſpes pacis omnes exhilarat, nec eam conturbat militum conſcriptio, quae, dimiſſis auxiliis, inſtituitur. Waghäuſeliae interrupta ad tempus conſilia Gallos inter & Germanos cum renouata nuperrime ſint, breui conſtabit, quid de Philippoburgi caſtrique Kehlenſis reſtitutione concluſum fuerit. Elector Palatinus litteras dediſſe fertur ad ordines foederati Belgii iisque commendaſſe de meliori rem ſuam, quam in congreſſu pacis publico, ſi quem paciſcentes celebraſſent, proponere decreverat, damnum ſcilicet ingens, quod ciuibus ſuis, durante hoc bello, illatum fuit quaeque ſuis in terris ſucceſſio locum habere poſſit, ſi quando vita defungatur. Paucis in locis Palatinatus ſuperſunt Galli, quique ſuperſunt, proxime abire parant, aegrotis noſocomii apud Neoſtadienſes Landauium translatis reliquo adparatu in Alſatiam, quem in finem quæ petiere plauſtra ab incolis quam lubentisſime obtinuerunt. Auxilia Bauarorum Wormatiam praeterita hebdomade venerunt, nutuque dependet ducis Würtembergici, eadem in vrbe an alio, quocunque in loco hyberna ipſis futura ſint. Vterque & Spirenſis & Philippoburgenſis praefectus Manhemium intrauit ſuperiori hebdomade, quos aula hoſpites benigne excepit, qui vero eandem reliquit haud ita diu Blondellus, legatus Gallicus, Stutgardiam & inde, poſt aliquot dierum moram, Lutetiam Pariſiorum conceſſit.

Vindobona. XII. Kal. Febr. Erizzus eques, futurus in aula noſtra Venetorum legatus, nec tempori, nec ſumptibus parcit in comparando

parando adparatu pompae, qua VIII. Id. Febr. non vero, vt ſtatuerat, poſt paſchatos feſtum, ingredietur vrbem, praeſentem vt ſe ſiſtendi habeat occaſionem, quando dux Lotharingiae cum archiduce ſolemnes celebrabit nuptias. In his benedictionem ſacerdotalem adminiſtrabit Sintzendorffius purpuratus, epiſcopus Vratislauienſis, & quidem ſingulari ex gratia imperatoris, quam, vt aiunt, parens eius cancellarius aulae caeſareae ſupremus implorauit & conſecutus eſt. Eugenius Sabaudiae princeps quamuis aegre ſe habens lecto non teneatur, Garellus tamen eques, archiater caeſareus, diſſuaſit ei, ne vel in publicum prodeat, vel nimio corpus motu adficiat, augeatque malum catarrhi vehementioris, quem hectica comitatur. Medice itaque vt viuat aeger, quem familiarisſimum habet Bartholomaeum comitem, legatum Florentinum, atque optimatum ex numero nonnullos in conuiuium adhibet. Supplementa militum ſtudioſe colliguntur, collecta in Italiam mittuntur, quo etiam iter, quantum fieri poteſt, maturare tenentur legiones armaturae Hungaricae Spleniana & Ghilaniana, quod Leodienſi * e tractu aggreſſae ſunt. Carolus Lotharingiae dux iunior XIV. Kalend. e terris haereditariis ad nos accesſit, cui Pörſingam vſque frater obuiam proceſſerat, magnaque cum beneuolentia exceptus hoſpes, quae ipſius in aduentum deſtinata erant, arcis conclauia occupauit. Vltimam qui pacis negotio manum imponet Theilius Lutetia Pariſiorum XV. Kal. Febr. adventauit, poſtero ſtatim die ſalutatum venit Sintzendorffium comitem, apud quem altero poſt die prandium ſumſit.

* *Lüttich.*

Hafnia. XII. Kal. Febr. Quod haud pridem fundatum eſt collegium, vt audit, oeconomicum & mercatorium, rex his diebus intrauit ipſe, cuius proſtat de eo edictum III. Kalend. Jan. publicatum, quo aditum petenti conceditur cuiuis, qui ad commercii florem aliquid iudicaverit monendum. Nec pio lectori ingratum erit, quod breue admonitionis quotidianae nomine inſcriptum Fridericum Roſtgaardium auctorem agnoſcit, carminis aliquam fieri mentionem. Eſt vero huius argumenti:

Corde pio defle ſemper tua crimina & omnes
  Condemna noxas protinus ipſe tuas.
Perpende offenſi cunctantem numinis iram,
  Cuius amore tamen viuis adhuc hodie,
Innumera vt doleas vero peccata dolore,
  Æternam & fugias, quam meruere, necem.
Errantem reuocat coeleſtis gratia, verum
  Quod legis haud ſpernas, vel quod in aure ſonat.
Sedulus ante oculos maiorum exempla repone,
  Quae vitanda, caue, quae facienda, nota.
Et reputa, mortis quod nil incertius hora,
  Teque omnesque homines iudicium maneat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VI. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↃIↃcc xxxvi.

Neapoli. IV. Id. Jan. In principatu commutando ciuium nil praeter nomen domini mutant pauperes, periclitantur diuites & potentes, qui ſuis opibus, ſua auctoritate ſuſpicionem non ſeruatae fidei quam facillime incurrunt. Incurrunt eam plures quotidie apud nos, in quibus detegendis expellendisque toti ſunt occupati collegio adſcripti, cui de non confidendo vulgo nomen eſt. Praeter Montepinelliam principem, quae in praedium, quod ipſi eſt, Acerenzanum diſcedere coacta fuit, Franciſcus Conſtantius & Corradus Caracciolus abbas e gente ducali Auellina oriundus, ad Meſſanenſes, Franciſcus Santorus ad Catanenſes, Conuerſanus comes atque Policaſtrus marchio, qui Caraffam, ſummum militum ducem, patruelem agnoſcit, ad loca hucusque incerta, in exilium abire tenentur, quod fatum plures vtriusque ſexus manere praeſumitur. Supremus ſenatus regni decreuit repetere bona nonnulla, quae olim alienata priuatorum in commodum ceſſerunt. De immunitatibus quoque varii generis & variorum ſtatuum & conditionis hominum abrogandis fama percrebuit, inprimis de vino ſine ordinario tributo non amplius concedendo clericis, quae hactenus licentia infinitas peperit fraudes. Actuariae noſtrae cum Hiſpanorum nauibus mare noſtrum, ſi quid periculi immineat, tutum reddere allaborabunt. Regis Hiſpaniarum, qui Hagae Comitum commoratur, geographum Bruzenum Martinierium, Carolus princeps ſecretarii honoribus ornauit.

Romā. XIX. Kal. Febr. Pontifici curae eſt leuare onus, quod ditionis ſuae ciues in Germano milite alendo ferre nequeunt. Cognito horum aduentu apud Fanenſes, protinus ſex eo ſcutatorum transmiſſa ſunt millia, octoginta vero Bononiam, Ferrariam atque ad Rauennates, quo etiam

iam

iam beneficio perfruentur Anconitani, qui manum Germanorum pariter exſpectant. Aerario itaque publico admodum exhauſto vt ſuccurratur, pondo carnis vnumquodque binis denariis aereis veniet pluris, quod genus contribuendi Benedictus decimus tertius abrogauit. Praeterea ciuibus & vrbis noſtrae & in locis ad quadrageſimum lapidem circumiacentibus, imponendum dicitur nouum tributi genus, quod, qui carpentis, vtuntur, qui equis vehuntur, impoſterum pendent, conſtitutis iam qui equorum conſignationem ſuſcipiant. Miſſus ab Alberono purpurato, qui in concilio publico exponat, quid in ſuo ad Bononienſes itinere perfecerit, omnium ex opinione etiam numeratam expetet pecuniam, qua in alendis hoſpitibus Germanis opus habet. Ex cleri optimatibus, ſiue, vt vulgo audiunt, praelatis Lercarius atque Santobuonus, hic in Hiſpaniam cum purpura, qua pontifex nuper Ludouicum principem donauit, ille in Galliam, vt oratoris ibidem munere defungatur, his diebus iter aggreſſi ſunt. Purpurati huius noui admodum iuuenis imago, indulgente pontifice, noſtra in vrbe aeri inciſa proxime proſtabit, cuius ad latus dextrum, pontificis, ad ſiniſtrum, Hiſpanica, ſuperius autem Gallica inſignia inque vertice pileus, quo purpurati capita tegunt, exhibebuntur. Bartholomaeus Corſinus dux Neapoli ad nos reuerſus eo amplius non proficiſcetur, quia aerem illius loci ſuae ſanitati aduerſum eſſe cenſet.

Genua. IV. Id. Jan. Vnicus Auguſtini Spinolae filius ex venae ſectione praematuram ſibi contraxit mortem, inſtituta ad praecauendum, quod ex variolis medici praeſagiebant, malum, verum rupto poſtera nocte vulnere, ex nimio ſanguinis fluxu mortuum in lecto inuenerunt. Qui per aliquod tempus in aula caeſarea legationem reipublicae adminiſtrauit, Clemens Doria naturae quoque debitum ſoluit. Montemarius dux Hiſpanorum ſupremus inducias cum caeſarianis per trimeſtre integrum renouauit ſuique exercitus reliquias e montanis Bononienſium in Hetruriam auocauit.

Caſtilione Stiuerorum. V. Id. Jan. Exercitus caeſariani apud nos qui commorantur duces adfirmant, nullis vlterius reditibus prouinciae Mediolanenſis gaudere regem Sardiniae, ſed imperatorem & quidem a die IV. Id. Jan. qui eos Gallis colligendos permiſerit ad compenſandum annonae pabulique adparatum, quem Galli Germanis vel tradiderunt vel tradere conſtituerunt, quam primum ex Italia ad patrios lares reuertentur. His itaque qui regi Sardiniae a commiſſionibus fuere in procurando aerario Noallius regni Galliae mareſchallus ſignificauit, fore, vt reditus impoſterum colligant, quos ipſe nomine regis ſui deſignaturus ſit, ſaluo iure repetendi ſumptus, quos in caſtello Mediolanenſi reficiendo rex Sardiniae fecerit.

Cremona. III. Id. Jan. Ad querelas incolarum huius regionis de illatis

tis ſibi iniuriis per Gallos, ex aula Verſalienſi reſponſum fuit, omnes & ſinguli accurate conſignent damnum ſibi datum, vt ſontes poenis adficiantur & iniuſte ablatum reſtituatur. Quam regis ſui ſententiam Noallius mareſchallus per hanc & vicinas prouincias publicauit admonuitque ſingulos, vt exceſſum, quem duces militiae Gallicae fecerint, his exponant, quos hac in re a commiſſionibus eſſe ſtatuit. Dictus modo mareſchallus Mutina relicta Parmam conceſſit, concedet etiam, multorum ex opinione, Auguſtam Taurinorum ad inuiſendum Sardiniae regem, qui morbum incidiſſe dicitur. Idem Gallorum dux ſupremus copiis ſuis, quae vrbi noſtrae praeſidio ſunt, mandata dedit, ne moram faciant in vrbe & caſtello relinquendis, ſimul ac Germanos adpropinquare cognouerint.

Ferraria, Idibus Jan. Montemarius dux Kheuenhüllero comiti, qui exercitui caeſariano praeeſt, per curſorem nuntiaſſe traditur, quod rex Hiſpaniarum inducias adprobauerit. Sed parum inde ſolatii ad nos redit, cum Germani, durantibus ſaltem induciis, nec pace cum Hiſpanis ſtatuta, vix ac ne vix quidem finibus ſedis Romanae egreſſuri ſint. Horum in hybernis rite ordinandis Bononienſes quotidie impendenda habent duo imperialium millia, plura adhuc Romandiolae incolae atque vel hoc ſolo contentus viuit Alberonus purpuratus, quod Rauennatum vrbs hoſpite peregrino careat, idque tantum ab exercitus vtriusque ducibus ſuo in colloquio apud Bononienſes impetrauit. Quantum pecuniae in Ferrarienſi ditione impendatur eodem in negotio, non liquet, ſumptus procurante prouinciae praefecto purpurato, qui ſatis multum aeris Roma conſequitur.

Venetiis. XII. Kal. Febr. Nulla vt facile rebus in humanis calamitas ſola eſſe ſolet, ita noſtrae ditionis ciues milite variarum nationum valde adflicti conqueruntur de contagio bouino, quod latius indies ſerpit iamque quinquaginta & plures vicos inuaſit. IV. Id. Jan. Conſtantinopoli ad nos datae referunt litterae, infauſtum cum Perſis quod geritur bellum plebem quam maxime exacerbare, cognito inprimis, quod ſpes pacis cum Kulichamo, qui Perſarum hodie rebus praeeſt, in fumum abierit. Certior almae pacis ſpes alit Hiſpanos, induciis a rege probatis datisque ad Montemarium mandatis, vt, donec aliter viſum fuerit, ſuis cum copiis in Hetruria permaneat, loca maritima nouo ex pacto principi Carolo cum vtriusque Siciliae regno permittenda firmo ſatis muniat praeſidio, reliquam vero manum Parma, Placentia, Mirandula coeterisque oppidis protinus educat, quae in Hiſpaniam partim, partim in Siciliam vel in regnum Neapolitanum traiicietur.

Lutetia Pariſiorum. XIII. Kal. Febr. Ex quo tempore bini Mantua Carpetanorum, tertius Neapoli curſores aduolarunt breui ſe inuicem excipientes, aulam aeque ac vrbem vniuerſam impleuit rumor nec plane dubius, regem Hiſpaniarum praebuiſſe conſenſum, vt valeant induciae,

ciae, in quantum illae potiſſimum Carolum principem filium concernunt. Digna quoque, quae adiicitur, circumſtantia eſt; Vaugrenanium marchionem, noſtrum in Hiſpania hodie legatum, commodam vbi nactus fuerat occaſionem, in manus regis tradidiſſe epiſtolas, quas rex noſter exarauerat, quibus ille commotus in ſenatu ſanctiori expoſuit rationes, quae ſuadeant, vt inducias amplectatur, indignabunda valde regina, vbi reſciuit, quid maritus ſe neſcia egerit. Haud parum confirmat nuntium hunc, talem quod ſe gerere incipit, qualem promiſerat primum, Torella princeps, legatum ſcilicet Caroli Hiſpaniarum principis, qui, traditis fidei publicae teſſeris, proxime regis in conſpectum venit. Nocte, quam excepit XIX. Kalend. Febr. dies, in via, quae Verſaliam ducit, octo & viginti fanatici, quos conuulſionarios vocare adſueuimus, viri nempe octodecim decemque foeminae, cum vexillo ducem habentes ſacerdotem, ſacerdotali omnes induti veſtitu albo, ſigno crucis notato, incedere non dubitarunt, quos ab vno ſociorum proditos miſſi hunc in finem quinquaginta miniſtri publici in carceres rapuerunt, quibus & reliquis iam incarceratis ſententia opinione tardius dicetur, cum plures eaeque minus adhuc cognitae circumſtantiae inueſtigandae ſuperſtitionis moram requirant. Satyricum ſcriptum ſub rubro quod prodiit: *Sermo, quo Segnius abbas collega nouus academiae Gallicae locum occupabit*, in omnes imprimis vero Bignonium abbatem valde iniurioſum; magnos in vrbe noſtra motus fecit. Roius poeta & Fontainius abbas habebantur auctores, quos ad cauſam dicendam tribunus vrbanus regia auctoritate conſtitutus * ad ſe vocauit, ſed communi vtentes principio, ſi feciſti, nega; a ſe dimiſit, donec emiſſis centum & quinquaginta imo pluribus exploratoribus, culpa omnis in Fontainium abbatem redundaret. Qui male ſibi conſcius, abiit, exceſſit, euaſit, erupit ante, quam eum comprehenſum quidam aedes eius ingrederentur, miſſae itaque ſunt delinquentis comprehendendi cauſa litterae in varia regni loca, ad viuum delineantes fugitiuum, vt dubium non ſit, quin e fuga eum retrahendi detur occaſio.

* *Lieutenant de Police.*

Haga Comitum. VI. Kal. Febr. Litterae & Gallorum & Anglorum certiores nos eſſe iubent de rege Hiſpaniarum eo perducendo, vt pacis in ſententiam deſcendat, nec obſcure ſubindicat eius apud nos legatus S. Gilleſius marchio, eo ipſo, quod Fenelonum marchionem Galliae legatum in colloquium conuenerit. Negat quidem ille & pernegat regem Hiſpaniarum procliuem eſſe ad pacis ſtudium, fieri autem aliquando poſſe non audet negare. Pacandam fore vniuerſam Europam litterae quoque docent Anglorum, Londino enim relatum accepimus, exercitus terreſtris ſex, nauticam vero operam praeſtantium decem millia dimittenda eſſe, cuius tamen nuntii fidem ante renouata regni comitia multi in dubium vocant.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VI. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↃIↃcc xxxvi.

Mutina. XIX. Kalend. Febr. Naturam furca expellas tamen inde redibit, quique praedae dulcedine capti per omne hoc bellum hoſtes laceſſere ſoliti fuere equites armaturae Hungaricae caeſariani, non potuerunt ſibi temperare ab inuaſione Hiſpanorum, contra leges induciarum & mandata ſuperiorum ſola praedae cupiditate ducti, cum eos Colurno diſcedentes, omnia, quae moueri poterant, ſecum ducere obſeruarent, re tamen infecta recedere coacti fuere deſtituti fortuna, quam experiri iniuſta ratione tentauerant. Eiusdem armaturae equites Galli proxime in patriam reuertentur legentque veſtigia eorum, qui Laubepino duce, nauticam ad operam praeſtandam e locis Galliae maritimis prouocati erant, nauibus etiam e lacu Gardiano abductis. In vniuerſum quoque omnes Galliarum regis copiae e Longobardia trans Alpes remigrare parant, quarum agmen primum, multorum ex opinione ſub initium menſis Martii iter domum aggredietur. Noallius regni Galliae mareſchallus, qui durantibus induciis magnam ſibi apud omnes ſolerti cura ſua gratiam conciliauit Parma Laudem Pompeii * conceſſit, concedetque inde Auguſtam Taurinorum, vt cum Sardiniae rege de tranſitu agat exercitus ſui, qui per fines Pedemontanos in Galliam recedet.

* *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum. X. Kal. Febr. Ex Italia quae nobis redditae ſunt litterae fructus almae pacis enumerant idque agere militiae noſtrae duces, vt ad iter ſe accingant cum copiis ſuis, quas, vt opinio eſt, e Longobardia in Delphinatum ducent in caſtra aliquando aeſtiua, donec deſignatus ſit locus, quem legio quaeuis petendum habeat. Torella Caracciolus princeps, Caroli Hiſpaniarum principis, legatus hodie prima

omnium

omnium vice regis in conſpectum veniet & proximis diebus natalem illius, cuius legationem adminiſtrat, celebrabit, celebratum a Treuigno, Hiſpaniae regis legato, iam XIV. Kal. Febr. epulis magnificis, ad quas optimatum e numero valde multos inuitauerat. Dictus Torella Neapoli accepit ſtatuam aeri inciſam, quae ad Badruntum * erecta exhibet latere vno Hiſpaniae regis, in altero aduerſo Caroli principis filii imaginem, in gemino ad reliquas mundi plagas inſcriptionem, qua praelium Badruntinum poſteritati traditur. Superioribus diebus diem obiit foemina, quaeſtum faciens ex cura puerperarum, quae morti proxima ſigillo munitam tradidit ſchedulam ſacerdoti, quem a confeſſionibus habuit, in qua ſcelus nefandum, ſi vel maxime errorem calculi admittas, confeſſa fuit, ſe potu lethali e viuis ſuſtuliſſe quadraginta & plures puerperas, in his Loragueſiam atque Durfortiam principes nec non Monmoranciam baronem, haereditatem vt conſequeretur veſtium, quae more antiquo & ſuperſtitioſo puerperas curantibus debentur.

* *Bitonto.*

Londino. VI. Kalend. Febr. Rex heri, hora poſt meridiem ſecunda audita, ſolito cum comitatu curiam in ſuperiorem ſe contulit, eoque vocatis curiae inferiori adſcriptis, auſpicium comitiorum fecit ſermone, qui Latio datus hunc fere in modum ſe habet:

VIRI EQVITES ET NOBILES.

Nullus dubito, quin inſignis re-„ rum per Europam, ab eo tempore,„ quo vltima celebrauimus comitia,„ mutatio vobis aeque ac mihi omnem„ laetitiam pariat.

Feceram eo tempore mentionem,„ ſciagraphiae pacis condendae, quam,„ idem ſentientibus foederati Belgii„ ordinibus, bello implicitis propo-„ ſueram. Enim vero non licuit hoc,„ modo impedire, quo minus expe-„ ditio ſuſciperetur, prodibat in aciem,„ vtriusque partis exercitus, belloque„ diſtinctis in locis continuato ve-„ rendum erat, nè illud, ipſa neceſſi-„ tate vrgente, ad conſeruandum, quo,„ & noſtra & Belgica nituntur com-„ mercia, aequilibrium, latius ſerperet.

Tanti rem eſſe momenti iudicaui,„ iudicarunt & ordines foederati Bel-„ gii, vt monitis inſiſtere conſultum,„ videretur, de amplectendis induciis,„ atque tentanda tranſactione, quae,„ ad normam exhibitam omnibus ex-„ optatam pacem redderet.

Rebus ita conſtitutis nondumque„ conſiliis ad maturitatem perductis,„ deferbuit ira bellantium, praeuia-„ que declaratione, nihil magis in vo-„ tis ſe habere, quam vt bellum ae-„ qua non minus ac firma pace fi-„ niatur, conueniebat tandem inter„ imperatorem & Galliae regem de„ articulis praeliminaribus, qui opta-„ tum hunc finem reſpiciunt. Omnes„ & ſinguli, qui ſe inuicem bello pe„ tierant, inducias inierunt, habitaque ratione bonorum officiorum, quae,„ „nobis

„nobis & reipublicae vicinae ordi„nibus fuere communia, per ſuos le„gatos pacis praeliminaria nobis ex„ponenda curarunt, flagitantes, vt „ad formandam ex his legibus pa„ cem concurramus.

„Quos vbi articulos quam accu„ratiſſime examinauimus, examina„tos cognouimus re ipſa nec diſcre„pare ab iis, quos conſciis Belgii „foederati ordinibus, propoſuimus, „nec aliquid vel aequilibrio Euro„pae vel nationi continere aduerſi; „conſultum putauimus, ſcopum vt „obtineamus, quem intendimus, ni„hil non conferre, quod ad pacem „vbique firmandam ſpectare poſſet, „legatisque & caeſareae & Gallicae „aulae non modo noſtrum reipubli„cae Belgicae conformem quoad „praeliminaria conſenſum ſignificaui„mus ſed & animum promptum at„que paratum ea conferendi, quae „fundamento hoc dignum opus iu„vabunt.

„Eadem praeliminaria & Hiſpa„niarum & Sardiniae regibus exhi„bita ſunt, non quidem hucusque „publice agnita & probata, ſperamus „tamen & confidimus haud imme„rito fore, vt pacis ſtudium, vt vo„tum pro Europa pacanda, vt ope„ra, quam impenderunt vtriusque „partis amici, ipſos permoueant ad „probandum probatum & conclu„ſum quod fuit, cum ſecuri eſſe „poſſint de prouinciarum poſſesſione, „quas ex pacis legibus conſequentur.

„Haec dum aguntur, curae cor„dique mihi potiſſimum fuit leuare ciues meos onere, quo premuntur„ quam primum & quam commode„ per adhibendam hoc rerum ſtatu„ prudentiam dabitur, dedique hac„ de cauſa mandata, vt, terra mari-„ que quibus gaudemus, vires inſi-„ gniter imminuantur. Quodſi ita-„ que influxui magnae Britanniae re-„ gni &, quae huic nationi debetur„ reuerentiae aliqua ex parte debe-„ tur turbarum Europae vel compo-„ ſitio vel nouarum auerſio; certus„ ſum veſtram eo redire ſententiam„ ſummopere neceſſarium fore, vt„ nulli parcamus extra ordinem belli„ ſumptibus, donec Europae quies„ in totum reſtituta fuerit.

VIRI EQVITES.

Quos fecerim ſumptus anno prae-„ terito, vobis, vt iuſſi, exponent qui„ a commiſſionibus ſunt, dubioque„ procul deſiderium meum publicas„ quantum fieri poterit, expenſas mi-„ nuendi, vobis calcar addet, vt ae-„ que prompti & concordes ſumptus„ praeſentis anni definiatis.

VIRI EQVITES ET NOBILES.

Spes me certa alit fore, vt apud„ exteros inſtans pax pacem & tran-„ quillitatem regni mei confirmet. Ex-„ emplum moderationis & continen-„ tiae, quae animos bella gerentium„ tam feliciter placauit, veſtrum con-„ tradicendi ſtudium omne, omne diſſi-„ dium tollat. Pacis patriaeque ſalutis„ vere amantes commodiorem praeſenti„ occaſionem ne quidem optare poſ-„ ſunt teſtandi, quam lubentes acquie-„ ſcant ſucceſſu, qui adpropinquat„ vt quies publica reſtauretur, eaque„

„Con-

„conferendi , quae perfectionem hu-
„ius quietis promouere poſſunt.„

Quibus dictis vbi rex diſceſſerat, vtriusque curiae patres conſcripti dignum ſolemni per litteras gratiarum actione alloquium eius eſſe decreuerunt.

Hafnia. V. Kalend. Febr. Nudius tertius rex venit in telonium & inde pedibus in officinam nauium, quarum vna bellica exſtruitur. Quatuor lucem conſpexerunt heri conſtitutiones regiae: prima de iuuentute pietatis & chriſtianae doctrinae principiis rite informanda; ſecunda de aerario colligendo, eorum in gratiam, qui adminiſtrant iuſtitiam; tertia de diſciplina eccleſiaſtica maiori vigore exercenda in delictis grauioribus potiſſimum carnis nullo perſonarum habito reſpectu, niſi eum rex ipſe habendum cenſeat; quarta de anim aduertendo in iudices & procuratores, qui conſcientiae nuntium mittere non erubeſcunt. Berolino in exſpectatione eſt Schvverinus comes, ſucceſſor Kühlevveinii, quem rex Pruſſiae Holmiam abire iuſſit.

Hamburgo, Kalendis Febr. Ex litteris Petroburgenſium cognouimus, quem miſit Münnichius comes, ſummus caſtrorum praefectus, aduentaſſe curſorem cum nuntio, quod exercitus Ruſſorum ad vnum ab vrbe Tanai* lapidem conſtitutus ad oſtium Boryſthenis ** aditus omnes occluſerit nauigiis vectoriis ad vſum belli iuſta tormentorum ſerie accommodatis, *** ita vt ex Ponto Euxino nulli nauium in flumen tranſitus pateat, ſique exploratoribus fides habenda eſt, vix per trimeſtre annona oppidanis ſuppetit. Curioſorum teritur manibus nummus in memoriam, quae hodie conditur, pacis, cuius altera exhibet facies imaginem imperatoris, verbis adiectis:

Pacator orbis chriſtiani.

Auerſa ſiſtit iridem, cuius extremitates Vindobonam Lutetiamque Pariſiorum attingunt, quae vero eminus conſpiciendam ſe praebet Pax dea tenet manu dextra oleae ramum, ſiniſtra anchoram, cum lemmate:

Noua foedera ſpondet.

Inferius:

Armiſtitio inter Caeſarem & Regem Galliarum promulgato M. Octobr. 1735.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. III. Non. Febr. Diſſ. Jur. *de Lege Viſellia, occaſione Tit. Cod. ad L. Viſelliam,* praeſide D. ANDREA FLORENTE RIVINO, exhibuit M. JOHANNES GODOFREDVS RICHTER, Lipſ. Litteris Breitkopfianis. pl. 7½.

Pridie Non. Febr. Diſſ. Philoſ. *de Laconiſmo,* praeſide M. JOHANNE ERHARDO KAPPIO, P. P. propoſuit JOHANNES GODOFREDVS HAVPTMANN, Hayn. Miſn. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 4.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VII.
A. P. C. N.

PARTIC. I.
cIↄIↄcc xxxvi.

Roma. XVI. Kalend. Febr. Felix, quem faciunt aliena pericula cautum, cautosque factos quis non putaret optimates ſuae conditionis non paucis in exilium miſſis? Enim vero plures quotidie notat, notatos vrbe & regno pellit collegium, cui de fide ſuſpecta nomen eſt, hisque iterum diebus ſex cenſores imperii praeſentis intempeſtiuos cuſtodiae tradidit. Praeſes quoque dicti collegii, Charnius comes, variorum ordinum religioſorum praefectos conuocauit ipſosque hortatus eſt, ſuis exponant vt linguam refrenare diſcant, quod monitum flocci habentium monachorum alii in remotiora translati coenobia, alii coacti ſunt regni finibus egredi. Morem hunc ſeruat modo commemoratum collegium, vt quibusdam ne culpam quidem indicauerit, cur poena hac digni videantur. Leonius eques, auctor qui habetur nouae coniurationis, in caſtellorum vrbis noſtrae vno vita defunctus eſt, vt Hiſpani contendunt, apoplexia correptus, quem violenta morte extinctum ferme omnes coniiciunt. Vt iugulent homines cum ſurrexerint latrones, hactenus ſolito plures, huic malo non ſine ſucceſſu mederi allaborauit Charnius comes, & mandatis ſeueriſſimis & excubitoribus per vicos vrbis duplo maioribus conſtitutis. Bercouicenſis dux, aeger admodum, aſthmate nimirum & febri laborans, e caſtris Peſcarenſibus ad nos rediit.

Roma. XII. Kal. Febr. Poſtrema ſuperioris hebdomadis feria, curſor ex Hiſpania, Acquauiuae purpurato regias tradidit litteras, quibus aguntur grates pontifici pro collatis Ludouico principi filio honoribus & praeterea nuntiatur, recluſas eſſe protinus Mantuae Carpetanorum aedes, quas orator pontificis inhabitare ſolet, regique gratum fore, ſi quam primum, quiscunque ille ſit, nouus Roma orator mittatur. Quo

munere

munere digniſſimum pontifex iudicauit Valentinum Gonzagam, Bruxellis qui hac dignitate ornatus vivit, vtque fama percrebuit, purpurae ornatum recens electo transferendum ſecum ſumet, huic dato ſucceſſore Tempio, quem Viterbienſes praefectum habuerunt. Prima currentis hebdomadis feria, S. Aignanus dux ſua ex aula nactus eſt curſorem, breuique poſt alterum, quare Corſinum purpuratum huiusque collegam publicis in rebus a ſecretis & Acquauiuam conuenit in colloquium idque cum hoc, quem poſtremo loco nominauimus, per multum temporis protraxit. Spes alit incolas noſtrae ditionis breui fore, vt Germani, hoſpites minus grati, diſcedant, quibus interim vt ſuppetat quod debetur, ex aerario montium pietatis, vt audiunt, gemino centena ſcutatorum millia Bononienſes & vicini acceperunt, ſimul & mandatum, quo geminum quoque definitur genus contribuendi per ſingulos annos quinquaginta ſcutatorum millia, continuandum vſque quo aerarium pontificis vires ſuas receperit. Carolus Hiſpaniarum princeps Roſſium Theatinum dixit epiſcopum Alexanum, ſed dignitatis huius auſpicium forte tardius faciet, cum pontifex illum Neapolitanum regem nondum ſalutauerit.

Florentia. XII. Kalend. Febr. Frequentes admodum ex Hiſpania aeque ac Longobardia aduolant curſores, quid vero noui attulerint aulae Hiſpanicae procuratoribus nulli perſpicere licet. Qui ex catarrho grauiori conualuit, Montemarius dux, rebus apud Liburnenſes bene ordinatis Piſam & inde Pratum conceſſit, vbi per aliquod tempus commorabitur. Idem reuocando a finibus noſtrae prouinciae, quos munitum aditus miſerat, vt & viginti cohortes militum igniariorum, quibus ad Ramandiolae terminos caſtra fuere, abunde docet, firmiori talo niti inducias, forte & conditiones pacis praeliminares a rege Hiſpaniarum adprobatas eſſe. Quae Montemario duci fuit ſupellex caſtrenſis vt & ducibus Hiſpanis aliis, apud Liburnenſes nauibus impoſita ad Gaditanos tranſportabitur, quaeque iuſſae ſunt illius nationis legiones ad iter ſe accingere, omnium ex opinione Neapolim illud inſtituent. Concluſum quod fuit ab imperatore & Galliarum rege paciſcentibus de futuro noſtrae prouinciae ſtatu, non poteſt non omnibus gratum atque acceptum eſſe, liberatis metu dominii Hiſpanici, quod valde durum Neapolitani hodie experiuntur.

Mediolano. VIII. Kal. Febr. Spes pacis quotidie certior adfulget, induciis etiam a Sardiniae rege adprobatis, quanquam non deſint, qui terminum illarum ſpatio trimeſtri circumſcriptum nec abſolutum eſſe adfirmant. Nudius tertius vrbem noſtram ingreſſus Noallius, regni Galliae mareſchallus, ſine mora iter Auguſtam Taurinorum proſequutus eſt, vt ex mandato regis Galliarum, de Pedemontanis noſtra ex prouincia edu-

educendis coram pluribus agat. Vtrique & Galliae & Sardiniae regi qui a commiſſionibus ſunt, calculum ducunt redituum noſtrae prouinciae rexque Sardiniae ſumptus, quos fecit paſſim oppida muniendo, repetere perhibetur. Parmenſis princeps vidua, Hiſpaniarum reginae mater, abitum ex ipſa metropoli parat Neapolim aut Romam, vel potius, vt aliis videtur magis probibile, Venetias, quo minorem illarum habeat numerum, quibuscum de loco honoratiori certandum ſit.

Lutetia Pariſiorum. VI. Kal. Febr. Noſtra in aula, quicquid in contrarium comminiſcuntur alii, nullum amplius dubium eſt, quin rex Hiſpaniae pacis praeliminares articulos decreuerit agnoſcere, agnouit eas certo certius rex Sardiniae perque Solarium, quem apud nos legatum alit, palam fecit, quod Carolum Hiſpaniae principem ſalutare vtriusque Siciliae regem non recuſet. Sit fides penes autores, qui conjecturis dediti adfirmant caſtra ad Moſam proximo vere equeſtris fore exercitus noſtri, non ad pugnandum, ſed conſumendum quod ibi locorum congeſtum proſtat pabulum, ne tamen portento res careat, caſtra quoque fingunt ex oppoſito, quae Belgas Anglosque capiant. Satyricum dicendi genus quibus in deliciis eſt, moram pacis vniuerſae mordaces tribuunt Broglio mareſchallo, cui caligas niſi ſubductas reddant Germani, regem noſtrum nolle ſubſcriptione firmare conditiones, quas cum imperatore inire ſtatuit. XI. Kal. Febr. Torella Caracciolus princeps, Caroli Hiſpaniae principis legatus, ne quidem omni pompae adparatu inſtructus, regis in conſpectum venit eodemque die cum ſecretario ſuae legationis legatoque regis Hiſpaniae Ferdinando Treuigno apud Fleurium purpuratum prandium ſumſit.

Londino. V. Kalend. Febr. Argylium ducem comitemque Orckneium rex ſummos caſtrorum praefectos creauit, ſine vllo tamen belli prodigio, conſtans enim emanauit rumor, quem promiſſa regis in comitiis, quae nuper auſpicatus eſt alloquio, haud parum confirmant, exercitum terreſtrem ad octodecim, naualem vero ad viginti reducendum fore millia, herique concluſum fuit ab aerarii praefectis, quae reſtant, ſtipendia nauticam operam praeſtantibus dimittendisque ſoluere. Rex ordinauit, vt per ſingulos annos ad propagandam proteſtantium religionem eccleſiae illius curam habentibus, mille librae Sterlingicae concedantur, in pacis vero ſolatium, vt, quam primum per coeli, quae hyemali tempore eſſe conſueuit, intemperiem liceat, ad patrium littus claſſis Olyſſippone, Norriſio duce, reuertatur. Noſtrae vrbis ciuis, in comitiis quem exhibere ſtatuit, modum excogitauit, quo docet vſuras aeris alieni, in quo respublica eſt, ad tres de centenis nummos minui poſſe, vt lucro quotannis ſint quingenta aeris Sterlingi-

ci

ci millia, quae ad vſus publicos alia ratione impendi queant. Superioribus diebus Torringtoni comitis filius vnicus praematura morte deceſſit.

Vindobona, *Kalendis Febr.* Luce heſterna, dux Lotharingiae, multis ſolemnibus, archiducem principem petiit ſponſam. Quod matrimonium benedictione ſacerdotali pridie Id. Febr. ratum perfectumque habebitur, ipſe vero ſponſus ſper dies aliquot Poſonium ſe conferet, peractisque cum Hungariae optimatibus epulis magnificis, III. Id. Febr. pridie nimirum nuptiarum, ſplendido cum comitatu ad nos revertetur. Ambitum hunc deſponſationis publicum terſo expreſſit carmine Johannes Carolus Newenſtenius, poeta laureatus aulae caeſareae, quod cum inſcriptione integrum damus:

Quum
Candidatus
Dux Lotharingicus
Auguſtalibus nuptiis deſignatam
Auguſti
Filiam Principem
Joue Gamelio, Junone, Venere, Diana
Hymenaeo,
Et ceteris Nuptialibus Diis Deabusque
propitiis
Publico ambitu peteret.
MDCCXXXVI. Prid. Kal. Febr.

Ergo dies fulſit. Veniunt ad foedus
Amantes
Et ſanctam Thalami dantque petuntque fidem.
Franciſco rata ſponſa datur, quo
clarius vſquam
Sidus ab Auſtriacis non memoratur auis,
Quod mora non potuit, felix hoc
praeſtitit hora,
Plurima, ni fallor, commoda tempus habet.
Scilicet euentus ſunt omnia laeta
futuri,
Subſcripſit votis Jupiter ipſe meis.
Vt qui iam fatis maior, ſe magnus
Amator
Explicat, &, voti denique compos, ouat.
Ecce, coruſcanti iuuenis ſpectatur in
oſtro,
Et facies reges regia ſpirat auos.
Si pietas, ſi dia poteſt clementia
cerni
Thereſiae ſpecies ſiſtit vtramque
Tibi.
Tale decus, tantum eſt Auguſta in
virgine lumen,
Cui poſt octodecim frigora riſit
hymen.
Amborum geneſes boreae vox clamat & auſtri,
Et qua ſol iungit, quaque reſoluit equos.
O Pater! o princeps! o ſanguen dis
oriundum!
Fiat Nata parens, ex Patre fiat
Auus.
Non aliena precor. Spebus viridantibus omen,
Auguriumque bonum pronuba
Juno dedit.
Muſa, faue, & gemina lauro redimita capillos,
Huc ades! illa lyrae gloria magna tuae.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VII. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum. XVI. Kal. Febr. Num quod amicitiae ſanctum & venerabile nomen mutabile non eſt? Certe nullum eſt vinculum amicitiae tam firmum, vt laxari, tam laxum, vt arctius conſtringi nequeat. Quae venerat nobis auxilio claſſis Gallica, Gadibus ſoluit, ſi non violata, neglecta tamen, amicitiae lege, e contrario Luſitani grauiter offenſi nobiscum in gratiam redire videntur, copiisque per hyberna diſpoſitis & ira paulatim deferueſcente, vtriusque regni ad terminos conſtituti incolae conſtanti adhuc & impoſterum forte conſtantiori tranquillitate perfruuntur. Publicae in aula noſtra conſultationes quotidie inſtituuntur, concluſa vero alto premuntur ſilentio, nec ante quid certi noſſe dabitur, quam miſſi in Angliam Belgiumque curſores redierint. Sua ex aula Vaugrenanus marchio, Gallorum legatus, pridie Id. Febr. binos aduolare vidit curſores, habitisque cum Patinho, qui regi noſtro publicis in rebus a ſecretis eſt, conſiliis, poſtero ſtatim die vnum, eo vnde venerat, remiſit. Alius heri a noſtratibus ablegatus fuit Venetias ad noſtrum ibidem legatum Fuenclaram comitem, ſecum habens quoque litterarum faſciculum ad Montemarium ducem, qui praeſens in Hetruria exercitui noſtro praeeſt.

Lutetia Pariſiorum. III. Kalend. Febr. Quantum ex Italia conſtat, Noallius mareſchallus iter quod Parmam, Laudem Pompeii, * & Mediolanum ſuſcepit ad bene ordinandum exercitus noſtri e Longobardia reditum ad patrios lares, tandem Auguſtam Taurinorum proſequetur, & inde Mutinam, ** ad manus vt ſit termino adpropinquante, quo caeſarianis terrae Mediolanenſes reſtituentur. Fruges conſumere in Longobardia militibus noſtris in prae-

ſenti

ſenti datur, cumque ingens ſuppetat in belli vſum congeſta panis bis coɛti copia, duplam illi portionem & quidem bis per hebdomadem accipiunt. Non dubium eſt, quin de contrahendo cogitet exercitu Hiſpanico Montemarius dux, vt eum ex legibus pacis nouae, quas rex Hiſpaniae dubio procul agnoſcet, Neapolitanum in regnum reducat. Aulae noſtrae non diſplicere videtur alloquium regis magnae Britanniae, ſub auſpicium comitiorum quod habuit, vix tamen ac ne vix quidem Anglis Belgisque licebit eſſe tam beatis, vt gloriae cupidi vltimam negotio pacis manum imponant, imponenda vero remotis his arbitris, Vindobonae per legatum, quem rex noſter caeſaream in aulam hunc potiſſimum in finem ablegauit.

* *Lodi.* ** *Modena.*

Londino, pridie Kalend. Febr. Vtraque regni curia & quidem ſuperior VI. inferior V. Kalend. Febr. per ſuos delegatos regi litteras tradidit, paulo prolixiores, quam vt integras inſeramus, ſi ſummam quaeras, ita comparatas, vt regis prudentiam ſummis in coelum laudibus extollat, nec ingratas regi, qui magna cum beneuolentiae ſignificatione reſpondit. Dublini, quae vrbs Hiberniae primaria eſt, curiae regni adſcripti ſuis in comitiis III. Id. Jan. fecerunt halcyonia, ſuasque deliberationes demum V. Kalend. Febr. continuabunt. Dicta ex vrbe Armachium tendens vectigalium exactor incidit in manus latronum quatuor, qui cum aere omni ſpoliarunt, ſpoliatum ligarunt, ligatum diſcedentes fortunae reliquerunt. Nec eam expertus eſt nouercam, praetereuntes enim vinculis liberarunt, liberatus veſtigia legit latronum eosque in aedibus non multum inde diſtantibus offendit. Qui proditos vbi ſe eſſe cognouerunt, cincti vndique a ruricolis vnum horum ſclopeti traiecerunt globo plumbeo, vindices ſtrenui libertatis ſuae, ſed infelices, puluere enim nitrato deſtituti & aedibus incendio datis, deditionem pararunt, comprehenſi itaque Armachum deducti ſunt, quam vero rapuerant, pecuniam protinus poſſeſſor legitimus ad ſe recepit.

Haga Comitum. VII. Id. Febr. Noſtrae nationis mercatores relatum ſuperiori hebdomade acceperunt, aurum cuſum, quod alio miſerunt, huiusque ſexcenta florenorum millia, in Palatinatu, electoris ex mandato, praefectos vectigalium ſibi vindicaſſe triduoque poſt quadringenta millia, cauſam interferentes, aerario hanc praedam deberi, quia telonium aurigae negligentes damnum merito ſibi attraxerint. Negant vero & pernegant noſtrates iure id fieri poſſe, cum de auro argentoque per terras Palatinas tranſportando nullo vnquam tempore exactum quid fuerit, exigendum igitur ſi decreuerit elector Palatinus, initium faciendum fuiſſe non ab executione ſed legis nouae promulgatione, quam

iter

iter facientes ignorarint & adhuc omnes in his terris ignorent. Magiſtratus Amſtelodamenſis libello ſupplici rem detulit ad ordines foederati Belgii, qui ſuo Manhemii legato dedere mandata, vt in aula electorali de iniuſto facinore conqueratur damnique dati reſtitutionem vrgeat, auſumque hoc potiſſimum tempore nemo non miratur. Omnes licet Gallorum in eo conſpirent litterae certo certius futurum eſſe, vt Vindobonae, vbi coeptum fuit, pacis negotium conficiatur, non tamen deſunt, qui ſibi aliisque perſuaſum habent, opus hoc arduum noſtra in vrbe ad colophonem perducendum fore, ita vt, quos vrbs noſtra capit, legati principum, quorum intereſt, ea ſubſcribendo confirment capita, quorum argumentum ad aulam hanc vel illam ſpectat. Hiſpaniarum regina principi filio ſuo Carolo natu alteram archiducem iterato petiit ſponſam, hactenus ſine effectu, quem aula quoque Verſalienſis certis de cauſis diſſuadere perhibetur.

Manhemio. VI. Id. Febr. Tantum non quotidie Gallicae militiae duces vrbem aulamque noſtram frequentant inque ſignum amicitiae renouatae ornamento pilei Gallico adnectunt alterum, quo milites imperii Romani vtuntur. IV. Kalend. Febr. praefectus militiae electori Palatino litteras Würtembergici principis tradidit, quae conſiliis praebuerunt occaſionem, quibus finitis Heidelberga domum reuocatum fuit praeſidium Palatinum, clauſula adiecta, nulli dubitent ciues oppidi illius admittere caeſarianos, ſi quos Würtembergicus princeps eo miſerit. Reſciuimus ab eo tempore, maiori caeſarianos numero confluere in agro Heidelbergenſi, idem facientibus Gallis ad alteram Rheni ripam, ſique valet coniectura nonnullorum, adunatus vtriusque nationis exercitus expeditionem nulli perſpectam ac cognitam ſuſcipiet. Rebus ita fluentibus, electori Palatino, qui cauſam pariter ignorat, conſultum viſum fuit, III. Non. Febr. curſorem, Vindobonam alterum, alterum Lutetiam Pariſiorum ablegare. Monachium veniſſe ex vrbe, quam vltimo loco nominauimus, dicitur comes Bauariae, cui negotium aliquod aula Verſalienſis commiſerit. Imperatoris imperiique Romani copiae non prius Moſellae relinquent ripam vicinosque agros, quam Treuirenſem Galli vacuam fecerint vrbem, facere quam parant electorique iuſto poſſeſſori tradere, cum praefectus ſupremus, Aubignius comes rem tormentariam nauibus iam imponendam curauerit, vt Theodonis villam * tranſportetur.

* *Diedenhofen.*

Vindobona, pridie Non. Febr. Jodocus baro, qui imperatori a commiſſionibus primarii vices gerit, vaſa colligit, mandato etiam caeſareo inſtructus, Ratisbonam vt profi-

ciſca-

ciſcatur futurus in comitiis publicis interpres nuntiusque pacis, quam imperator cum Galliarum rege pepigit. Architecto militari, qui praemio ſeptingentorum aureorum ſoli dorum, quibus de Ludouico nomen eſt, adductus Briſacum Gallis prodere non erubuit, dicta crurifragii ſententia, pridie Kalend. Febr. vt effectui detur, eo transmiſſa eſt, mitiorem quam reddidit cana ſenectus, vt ſenex octo & ſeptuaginta annorum capite plectatur. Omnium, qui ſpectatum venerunt, oculos ad ſe traxit valde magnificus nuptiarum archiducis cum Lotharingiae duce adparatus rupitque venam poeticam Neewenſteinio noſtro, vt ſequentibus eum expreſſerit verſibus:

EPIGRAMMATION
IN
AVGVSTAE AVGVSTI
FILIAE
AVGVSTISSIMVM MVNDVM
SPONSALITIVM

Viderat Auguſtae Phoebus donaria ſponſae,
Et ſacras, ſponſus quas cumulauit, opes.
Nunc, ait, has decuit tenuiſſe, o Jupiter! auro
Tunc tibi quum Danae concilianda fuit.
Adſpice mortales non admittentia cultus
Munera, quae ſolos fas habuiſſe Deos.
Ingenioſa ſuum prope ſpirat imago Datorem,
Et quaſi praeſentem fulgurat ore Ducem!
His, Tu, Flos iuuenum! decoras connubia donis,
In quibus omne nitet, quicquid vbique micat.
Torquatum a ſpoliis ſe dixit Manlius, omnis
Scilicet ex vno torque pependit honor;
Omnis amabilitas & honos hoc torque perennat,
Foederis aeterni pignora ceſtus habet.
Eſt purus talisque vtriusque in pectore candor,
In foliis qualem lilia cana ferunt.
Vtque duo hic flores ſerto nectuntur in vno,
Nectit ſic animos vna catena duos.
Si tamen adiiciant quid votis dona, precabor:
Vt bruma in media floreat iſta domus.
Sit tibi, Sponſarum ſidus! ver integer annus,
Ducta nec obtuſi luminis vlla dies.
Omnia ſic roſeis tibi cedant ſidera flammis,
Et tuus occiduas neſciat ignis aquas.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VIII. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. IX. Kalend. Febr. Diuturnum quia eſt regnum ciuium beneuolentia munitum, horum animis non ſaltem metum ex ſeueritate, ſed amorem quoque ex clementia inſtillare ſtudet Carolus Hiſpaniarum princeps, cuius vt gratia exciderunt exules quam plurimi de fide ſuſpecti; ita horum quidam, & quidem, vt aiunt, Monteleonius dux atque Cera comes in regnum reuertendi libertate donati ſunt. Dictus princeps XIII. Kalend. Febr. ex venatione poſtquam pridie redierat, natalem ſuum multis ſolemnibus celebrauit, ad quem inter reliquos archiepiſcopus noſter purpuratus & magiſtratus vrbanus gratulatum acceſſerunt. Die hoc feſto ſummum militiae ſuae ducem conſtituit Charnium comitem, Mondragoni autem ducis filium natu maiorem atque Pozzohiancum, ſummum militum ducem ſibi ab interioribus cubiculi eſſe iuſſit clauisque aureae inſignibus ornauit. Vltimus horum cum aliis Hiſpanici exercitus ducibus proxime in Hiſpaniam proficiſcetur, vnde e contrario praefecti militiae, natione Itali, reuertentur.

Roma. V. Kalend. Febr. Praeteritae hebdomadis feria ſexta, qua Carolus Hiſpaniarum princeps vigeſimum ingreſſus eſt aetatis annum, quos vrbs noſtra capit, duces, barones & reliqui, quibus praeſidia ſunt in regno Neapolitano, in aedibus Acquauiuae purpurati, qui rebus Hiſpanorum praeeſt, confluxerunt teſtantes obſequium gratulationibus, quas deuota mente ſoluerunt. Eodem die Aſcolum Picenum remiſſus fuit curſor cum mandatis, vt praefectus illius oppidi & magiſtratus ſoliciti curent, ne hoſpites noui Hiſpani vel annonae vel pabuli egeant. Tertio poſt die autem inde relatum accepimus, Neapoli eo veniſſe curſorem ad ducem illorum ſupre-

ſupremum cum litteris, quae iubent, vt copias ſuas protinus e finibus noſtris in regnum Neapolitanum reducat, non ſine indicio, regem Hiſpaniae pactum imperatoris cum rege Galliae ratum perfectumque habere. Sumptus grauiſſimi, quibus extra ordinem opus eſt ad alendos in terris noſtris caeſarianos, mouerunt pontificem, vt ducentos illorum ex numero, qui in exornanda aede S. Johannis deſudant, operarios dimittendos duxerit.

E terris Helueticis. III. Non. Febr. Hiſpanorum de ſtudio pacis litterae ex Italia mirum in modum variant. Aliae exponunt aduentum e Germania militum, quibus caeſarianus exercitus inſigniter augetur, vt armis pax Hiſpanis extorquenda videatur, gementibus ſub hoc onere incolis Romanae ditionis, quo ſe ſubleuatum iri ſperauerant. Aliae vice verſa referunt, Florentioli proſtare conuentum, in quo militiae Hiſpanicae praefecti Minas atque Tayus marchiones, nec non Aranda comes, exercitus vero caeſariani duces Wachtendonckius, Breitwitzius & tribunus quidam militaris de terminis tempore induciarum definiendis agitabunt conſilia. Rebus ita pacatis ſublatoque omni obſidionis metu, Mantua, cuius praefectum agit, Wutgenauius, ſummus dux militum, III. Non. Febr. iter aggredi ſtatuit Vindobonam, vt rationem, quo defunctus eſt, muneris reddat imperatori eique agat grates, cum legionem ſibi Rumpfianam fuiſſe collatam cognouerit. Delegati Bernenſium & Tigurinorum Thermas Heluetiorum * petierunt, ſuosque, vt eo mittat, per litteras ſignificarunt magiſtratui prouinciali Toggenburgenſi, deliberatum, an & quo modo huius cum abbate S. Galli controuerſiarum finem facere concordiamque conciliare liceat. Respublica Griſonum pariter turbis diuexatur domeſticis, potiſſimum Caput Oeni ** adeo, vt vtraque pars & vulneratos & occiſos in conflictu nuper quosdam numerauerit.

* *Baden.* ** *Innthal.*

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Febr In Italia, quantum ex litteris nouiſſimis conſtat, id agitur, vt in patriam reducantur copiae noſtrae, quarum legiones dimidiatae decem, omnes leuioris armaturae, vt & ſexcenti equites Hungarorum ad normam armati in itinere iam conſtituti perhibentur. Iisdem nuntiatur litteris, Hiſpanos quoque ex Hetruria abitum parare, iis exceptis locis maritimis, quorum dominium nouo ex pacto conſequetur, inprimis Liburnenſi portu, qui ipſis ad tempus, commoditatis cauſa, permittendus dicitur. Multorum ex opinione pax noua publicabitur proxime, contradicentibus aliis vel quod difficultates haud leues ſuperſint, vel, vt ſagaciores coniiciunt, ad lucrandum tributi terminum, qui durante bello definitus aerario adhuc debetur. Quos lucri cupiditas in exonerandis trans-

tranſlocandisque mercibus ad tumultum nuper prouocauit, milites legionis praetoriae & Gallicae & Helueticae, ex ſententia iudicum hunc in modum conciliati ſunt: Praeuia reprehenſione, quod regem & dominum agnoſcentes eundem, litem temere mouerint, bini prodibant, ex hac alter, alter ex illa legione, manuque porrecta & fronte ſerena, omnem obliuioni datam eſſe iniuriam ſigno externo ſignificabant, ſed ſimulata, vt in iudiciali haud raro conciliatione fieri ſolet, & fucata habetur pietas, quam metus poenae expreſſit facitque, vt lex amneſtiae quocunque modo & quousque res patitur, valeat. Diminutionem exercitus haud leuem pollicetur regis mandatum ad praetores prouinciales, quo iubentur omnem militis conſcriptionem intermittere, ne quidem ſuppleto numero, quo legiones inſigniter decreuerunt. Hebdomade ſuperiori mors in olla fuit ex fungis, quos in ſaltu Bolonienſi ad interitum ſibi triga ſociorum collegerat, his enim conſumptis eadem omnes hora exſpirarunt, quartus guſtando morbum grauem contraxit.

Varſouia. VI. Id. Febr. Auguſti ſecundi piae memoriae regis die emortuali, ipſis nimirum Kalendis Febr. veſtes in aula ad luctum compoſitae atque parietes templi S. Johannis panno nigro obducti erant, quo ſe rex contulit ad ſacra feralia triſtem optimi parentis obitum in animum reuocantia, quae Poſonienſis epiſcopus adminiſtrauit. In aede ſacerdotum, quos de veſtitu capucinos vulgo adpellamus, ſumptibus regiis ſtructum mauſoleum magnificum cum capiat viſcera defuncti regis, eo pridie Kal. Febr. hora veſpertina ſeptima, pontificali, vt loquimur, habitu indutus conceſſit epiſcopus Poſonienſis cum Kobielskio, reginae cancellario & deſignato epiſcopo Camenecienſi huiusque eccleſiae abbate infulato & canonico Varſouienſi Robertſonio, & quam plurimis cleri noſtrae vrbis, vbi aulae regnique optimates, pietatis in defunctum teſtes numero plures offendebant aedesque tota facibus egregie collucebat. Hanc ingreſſus epiſcopus modo dictus, quo hactenus ſteterat, de loco mouit ſolemnique cum comitatu ad mauſoleum detulit vaſculum, quod viſcera regis Auguſti ſecundi continet. Monumentum hoc in medio templi, e regione altaris primarii poſitum, quadrangulare e marmore rubro conſtructum, quatuor e marmore albo aquilae ſuſtinebant, quarum in vnguibus regiae dignitati quae tribuuntur, attributa conſpiciebantur & has inter quatuor laminae ex auro conflatae. Prima exhibebat Poloniae Saxoniaeque vt & ordinis aquilae albae inſignia; ſecunda ad dextram, inſcriptionem:

NATVS
ANNO. MDCLXX. DIE. XII.
MAII

RE-

REGNAVIT
ELECTOR. SAXONIAE. ANNOS. XL
REX. POLONIAE. ANNOS
XXXVI

Tertia ad ſiniſtram, epitaphium:

D. O. M.
HIC. CARISSIMA. ET. VERE. PATERNA. VISCERA
AD. POSTERITATIS. AMOREM
ET. PIETATIS. OBSEQVIVM
RECONDVNTVR.

Quarta denique nominis Auguſti ſecundi in transuerſum ductas litteras initiales, quas corona tegebat. Baſis ipſa formata e marmore rubri coloris, albas, pariter marmoreas, caluarias ad quodcunque latus quadripartiti operis ſiſtebat. Ad latus huius monumenti conſpiciebatur tegumentum huius mauſolei & materiae & formae ſimilitudinem referens, cui impoſita regiisque inſignibus exornata corona aurea ſplendorem augebat. Pauimentum ab hoc monumento ad primarium vſque altare ſtratum erat panno rubro auroque illiſo, ita vt per cereos ſuccenſos via pateret. Sacra miſſae feralia in aede capucinorum adminiſtrabat abbas infulatus Camenecienſis ad altare primarium, quod cereis iuſto ordine poſitis Auguſti ſecundi nomen, quoad litteras initiales, referebat. III. Non. Febr. eadem in aede vbi ſacra peracta fuerant, clauſum fuit mauſoleum deuolutumque ad locum, quem hodie tenet cingiturque aulæo holoſerico rubro, cuius extremitates dependentes auro ornatae erant & ſuffultae ſerico albo, quod nitore & laeuitate ſe diſtinguit. Quibus per triduum in honorem defuncti peractis ſolemnibus, pauperum quoque habita fuit ratio iisque ex regia liberalitate cancellarius regni ſupremus ad templi fores inſigni multitudine confluentibus, eleemoſynas diſtribuit tandemque & ſacerdotibus illius loci capucinis regium munus obtulit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. IV. Id. Febr. ex Malachia propheta Cap. II. Commatum 13. ad 16. incluſiue, cum Targum Jonathanis & Radaki, Raſchii ac Aben-Eſrae Commentariis Interpretationem, praeſide D. JOHANNE CHRISTIANO HEBENSTREIT, P. P. exhibuit GODOFREDVS SAMVEL VOGELIVS, Meg. Jahn. Miſn. Litteris Takkianis. pl. 3.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. VIII. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↃ IↃcc xxxvi.

Gibraltaria. VI. Id. Jan. Fratrum quod gratia rara ſit praeſertim in regno partiendo, vicina ſatis docet Barbaria, tantis diuexata turbis domeſticis, vt Belgarum ad Marochanos legatus, Lynslagerus, praefectus naualis, per aliquot iam menſes noſtra in vrbe commoratus ſpeculetur exitum, neſcius quo ſe vertat, quemque ex fratribus aemulis regem aut imperatorem ſalutare ſuſtineat. Salenſes ſuis nouiſſime ad nos datis in litteris octo numerant principes filios Muleii Iſmaelis defuncti, qui omnes populi gratiam imperiumque adfectant. Ante biennium Muleius Abdallahus ſua crudelitate omnium ſibi odium contraxerat paucisque cum adſeclis hodie in montanis exul viuit. Surrogato huic cum fratre Muleio Ali non contenti Aethiopes de regno tradendo cogitant Muleio Laribae, quem prae coeteris ad faſces imperii tenendos natum eſſe arbitrantur. Rebus ita conſtitutis, in turbido piſcari ſtudet Tetuanus praefectus inque eo eſt totus, vt imperio cuiuscunque fratris, quem fata regnare velint, ſe ſubtrahat & conſequatur imperium prouinciae, cui praeeſt. Perezius, ſummus maris praefectus, qui Muleii Abdallahi regis ante aliquot annos legationem apud Belgas adminiſtrauit, metu periculi grauioris, hoſpes apud nos, adductis, quae moueri poterant, rebus ſuis pretioſis, viuit, donec laetior imperii facies magisque conſtans adfulſerit.

Mantua Carpetanorum. VII. Kalend. Febr. Multorum ex opinione, non prius in Angliam legatus proficiſcetur Montiius comes, quam Londino nuntiatum fuerit, quem rex magnae Britanniae ſub auſpicium comitiorum ſermonem habuerit. Sarda, regis Sardiniae legatus, his diebus, ſibi per curſorem ex aula ſua quae fuerant nuntiata, Patinho, aulae noſtrae optimati expoſuit, atque cum eo

per

per multum temporis colloquium habuit. Diſcordiarum cum Luſitanis nondum finis adeſt, reuocatisque in hyberna militibus, horum tot numero ibidem ſuperſunt, quot terminos ad tuendos ſufficiunt. Ragozius princeps iunior, Neapoli qui ad nos venit, aulam quidem frequentat, voti tamen ſui compotem ſe fore non ſentit. Noviſſimae, Orano quas accepimus, litterae tranquillum enarrant ſtatum quodque Aethiopes loci illius recuperandi ſpem omnem abiecerint.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Febr. Litterae ex Italia nihil noui nuntiant praeter reditus praeludia, quem exercitus noſter menſe Martio ſuſcipiet. Hiſpani vacua fecerunt montana loca, Hetruriam vero omnem ſuis firmarunt praeſidiis, nec ſedem mutare inſtituunt, quam ſibi valde commodam eſſe exiſtimant. Noallio mareſchallo, qui Auguſtam Taurinorum conceſſit, id vnice traditum perhibetur negotium, vt regem Sardiniae ad conditiones novae pacis perducat cumque eo de exercitus noſtri tranſitu agat. Vindobonam XV. Kalend. Febr. ingreſſus Theilius, regis noſtri extra ordinem legatus, ſua cum aulae caeſareae adminiſtris coepit conſilia, vt difficultatibus, quae in condenda pace ſuperſunt, ſolutis, vltima, vt aiunt, Hagae Comitum manus operi admoueatur. Gemina regis conſtitutio ad acta curiae prouincialis relata nuper fuit, altera de foro carbonario Louuieranam in inſulam transferendo ad praecauendum omne incendium, altera de Sequana fluuio, ad pagum Seuenſem, iungendo ponte ex lateribus coctis, quod opus decies octies centenorum aeris noſtri millium ſumptus requirit. Nudius tertius pretio quingentorum millium condixit, qui explendam ſumſit piſcinam ſatis amplam in agro Verſalienſi, cui per aeſtatem cauſa morborum tribuitur.

Londino. IV. Id. Febr. Qui, tertia currentis hebdomadis feria, extra ordinem imperatoris legatus ad nos rediit, Kinskius comes, poſtero ſtatim die, colloquio regis gauiſus magnaque cum beneuolentiae ſignificatione exceptus fuit, VII. Id. Febr. quod delegati hunc in finem fecerant, concluſum adprobauit vniverſa curia inferior de concedendis regi per annum praeſentem nauticam operam praeſtantium quindecim millibus horumque pro ſingulis quatuor libris Sterlingicis per integrum menſem, quibus ſumptibus res quoque tormentaria claſſis continetur. VI. Id. Febr. eiusdem curiae delegati numerum quoque determinarunt exercitus terreſtris, qui ſeptendecim millibus ſeptingentis & quatuor conſtabit. Stipendia horum conficient per annum praeſentem librarum Sterlingicarum ſexcenta quadraginta & nouem millia ducentas & ſeptuaginta, praeſidiorum Minoricae & Gibraltariae ducenta & ſedecim millia, ducentas viginti ac octo, ad ſumptus vero anni ſuperioris extra ordinem

factos

factos quinque millia centum quadraginta & quatuor deſtinata fuere. Montagueus dux VII. Id. Febr. ſanctiori conſilio adſcriptus fuit herique Robertus Walpolius curiae inferioris ſocios centum quadraginta & nouem adhibuit in conuiuium, reliqui centum & viginti in area noua palatii prandium ſumſerunt.

Lipſia. VI. Kal. Mart. Forte non vna dabitur, de archiducis cum Lotharingiae duce nuptiis ſolemnibus omniumque ex voto merito auſpicatiſſimis, differendi occaſio, quam nos arripuiſſe primam, nemo cultorum elegantioris poeſeos nobis vitio vertere audebit multo minus negare dignum hoc nomine eſſe carmen, quod auctorem loquitur artificemque commendat:

EPITHALAMION

MARIAE THERESIAE AVSTRIACAE,

Natae Hiſpaniar. Infanti, Hung. ac Bohem.

Nec non

Vtriusq. Siciliae Reg. Principi;

&

FRANCISCO III.

DVCI LOTHARINGIAE,

Regi Hieroſolymae, Marchiſio, Duci Calabriae, Barri, Geldriae, Montisferrati, Teſchenae in Sileſia, Principi Carolopolis, Marchioni Muſſiponti & Nomenei, Comiti Prouinciae, Valdemontis, Albimontis, Zutphaniae, Sarvverdae, Salmae, Falckenſteinei;

Florentisſimis atque Fortunatiſſimis, de quibus ſpes publica posſit praeſumere,

SPONSIS

An. fundatae Sal. MDCCXXXVI. Prid. Eid. Febr.

Gratans ouansque dedicabat,

Jo. Car. Nob. a Nevvenſtein. Caeſ. Aul. Poet. Laur.

Bella gerant alii. Jam felix Auſtria nubit,
Jam redeunt populis foedera, iam thalamis.
Non poterit melius finiri cauſſa Deorum,
Omnia qui vincit, ſi ſaga vincit Amor.
Hoc decet, hoc fas eſt, conſors Respublica! ſi te
Mars odit Regum, Filia Regis amat.
Nil Helena Phoebus vidit formoſius vna;
Nil Helena Phoebus pulchrius hacce videt.
Vtraque formoſa eſt. Aſt re tamen altera maior;
Illa ferit bellum, bella ſed iſta fugat.
Bella mares martemque cient. At Foemina Princeps
Pacis, & aeterni foederis omen habet.
Efflore ſcentes heroidis adſpice vultus;
Lilia ſunt niuibus non ita lota ſuis.

Non

Non aliud coelo lucet conſpectius aſtrum,
Fulgor ab ardenti plurimus ore venit.
Sidera ſunt oculi, frons ſol eſt, labra pyropus,
Aurum caeſaries purpureaeque genae.
Ecce pharetratae teretes cythereidos igneis,
Idaliasque faces illecebrasque vibrat.
Moribus, inceſſu, riſuque propinat amores;
Hac & amabilius nil habet ipſa Venus.
Nubit enim pulchro pulcherrima filia nato,
Pulchrior illa Dea, pulchrior ille Deo.
Sic oculos, ſic ora tulit formoſus Apollo,
Sic virtus pingi, ſic quoque vellet honor,
Sic vlmus viti, ſic nardo nubit amomum,
Sic bene miſcetur lympha, Lyaee, tibi.
Sic his ſe mauors, quod maieſtate merentur,
Et facibus ſubdat ſontica ſigna nouis.
Par bene compoſitum (tua pronuba vincula teſtor)
Quoque nihil melius iungere poſſet Amor!
Te colit Europe, te ſol oriensque cadensque,
Te ſignat gemma Cretide iugis honor.
Trans Gangem, trans Euphratem, trans auia Thules,
Et trans oceanum, te ſacra fama canit.
Teque ſuis celebrat votis ripa vtraque Rheni,
Cygnifer & Tameſis populiferque Padus.
Mille tibi plauſus ſurgunt, vbi ſceptriger Hiſter
Cantatas gemino nomine voluit aquas
Non tibi vulgares, quas poſſis ſpernere, pompas,
Tradimus. Hic Paphiis vritur Aula focis.
Ipſa ſuas natura vices mutata reſumit;
Soluitur vnda, micant ſidera, ridet humus.
Et mediis laſciuit hiems trabeata pruinis,
Et ſuperat noctem lumen & vmbra diem.
Cetera fatorum tabulis inciſa leguntur,
Jubila, qua terris proferet alma dies.
O par par Paridi! quod ſors & mille ſequuntur
Commoda, & Auguſtae dos opulenta Domus.
Magna Domus Sponſi, maior Domus Auſtria, Sponſa
Maxima, quum dudum facta ſit vna Domus.
Vtraque, quae toties gentem ſe iunxit in vnam,
Caeſaras & Reges Archiducesque feret.

Reliqua proxime ſubiicientur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. IX. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Florentia, pridie Non. Febr. Superbiam verborum iracundi oderunt, prudentes irrident. Nemo itaque mirabitur, re infecta diſceſſiſſe delegatos vtriusque partis & caeſareae & Hiſpanicae, qui Florentioli de rebus per inducias bene ordinandis deliberatum confluxerant. Nam patriis imbutus moribus, Montemarius dux Hiſpanorum exercitus ſupremus leges Germanis ſcribere non dubitauit, vt Hetruriae ad fines accedere propius nulli audeant, vt potius in terris Bononienſium retro longius pedem moueant, vt denique quieti exſpectent, donec Hiſpanis noſtra ex prouincia diſcedere commodum viſum fuerit, dato autem conciſo ſatis, ſatis & perſpicuo reſponſo illi abierunt. Sed vanam ſine viribus iram fore praeuidens Montemarius, re ipſa, quem verbis negauit, abitum ex his oris parat, Pratum enim inde diſceſſit, profecturus, vt aiunt, Piſam atque Liburnum ad imponendam nauibus rem tormentariam, quae in Hiſpaniam traiicietur, quo ſuam ipſe ſupellectilem caſtrenſem praemiſit. Equites Hiſpani numero ſexcenti iique deſultorii Maſſam ingreſſi, vndique, quae poſſunt, ſtudioſe corradunt, quibus, ne forte hoſpitium ipſi ſumant, Luccenſes alimenta per integrum menſem vltro obtulerunt.

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Febr. Fontenaius comes, natione Lotharingus, ad nos acceſſit, petitum, vt fama fert, patriae ſuae leges & immunitates vt certis ſub conditionibus valorem retineant; ſi eam ex pacto nouo rex noſter in prouinciam redigat. Chatillonius comes, ephorus Delphini principis, nec non Perignanus, cognatione coniunctus cum Fleurio purpurato, duces creabuntur, quos vulgo Pares Galliae adpellamus. Horum poſterior Fleurius dux ſalutabitur, quaeque ipſi eſt villa Perignania & reditus an-

nuos

nuos praebet ſexcentos francos, pluribus in vicinia praediis iure emptionis comparatis, ducatus impoſterum nomine veniet, vt Fleurii purpurati de patria optime meriti memoria poſteritati tradatur. In morbum denuo incidit Cenomanenſis * dux, ſique medicorum quid valet prognoſticon, in ſummo vitae periculo verſatur. III. Non. Febr. ad acta curiae prouincialis relatum fuit regis edictum, quod eandem teſtamentorum per omnes regni prouincias normam idemque ius eſſe iubet inque his nouas obſeruari cautelas.

* *Maine.*

Haga Comitum. XIV. Kal. Mart. Luce heſterna curſores, Vindobona alter, alter Lutetia Pariſiorum, advolarunt, legatique tam imperatoris Vhlefeldius comes, quam Galliae regis Fenelonus marchio ad ſuos dixerunt familiares, breui fore, vt arduum pacis negotium abſoluatur. Idem adfirmant regumque ſuorum, Hiſpaniae nimirum & Sardiniae, quorum legationem adminiſtrant, S. Gilleſius marchio & Canaleſius comes, conſenſum pollicentur. Qui eodem flagrat deſiderio Fleurius purpuratus nihil non remouendum iudicat, quod moram iniicere poſſet; & inuitus percepit ordinum reipublicae noſtrae in concluſo mentionem factam fuiſſe ſecuritatis commerciorum, ratus hoc ipſum ad eſſentiam pacis praeſentis non pertinere. Conuenit quam maxime Angliae inter & Galliae regem de non inſtituendo pacis cauſa ſolemni conuentu, quem e contrario rex Hiſpaniae vrgere non intermittit.

Bruxellis. V. Id. Febr. Praeter articulos ſeptem futurae pacis, eos quoque conſpicere licuit, qui adpellantur ſeparati huiusque ſunt argumenti: (1) In his, qui ad transactiones nouas inuitandi ſunt, inprimis habenda eſt ratio auguſtae Ruſſorum regisque Poloniarum Auguſti tertii in cauſa, quae ad Polonos ſpectat, & vtriusque partis admittendi legati, ſi conuentum paciſcentes ſolemnem inſtituant. (2) In hoc cavendum, ne quid in deliberationem veniat aut noui pacti legibus comprehendatur praeterquam quod ex bella gerentium ſententia ſua intereſt. (3) Imperatoris erit imperii procurare conſenſum in capitibus, quae illo nituntur. (4) Conſultum viſum eſt nuntium mittere omnibus dubiis, quae moueri poſſent vel ratione titulorum, de quibus non inter omnes conuenit, vel idiomatis, quo vſi ſunt paciſcentes in praeliminaribus, Gallici nimirum praeter morem ab antiquiſſimis temporibus receptum, non Latini, quo imperator ac Galliarum rex in pactis condendis mentem ſuam alias expreſſerunt. Ipſos quod attinet articulos praeliminares, qui hodie manibus teruntur, nulla in re grauiori ab his differunt, qui ſub initium inopinatae transactionis innotuerunt.

Varſouia. XV. Kal. Mart. Multis aula noſtra ſolemnibus diem auguſtae Ruſſorum

tum natalem VI. Id. Febr. celebravit, cumque rege vt ſumſerunt prandium magnificum orator pontificis, legatus Ruſſicus, praeterque foeminas illuſtres, regni Poloniae proceres principes, in his recens conciliati Lublinenſis palatinus atque Lithuanorum aerarii praefectus; ita tribus aliis menſis accubabant aulae regnique optimatum quam plurimi laetaque inter tormentorum fragorem hauriebantur pocula. Hora quinta veſpertina audita, in conclaui, quod ſenatorium dicitur, egregie illuſtrato ducebantur eaeque poſt coenam repetitae ad feram vſque noctem choreae, vbi candelabrum inter geminum cryſtallinum effigies auguſtae Ruſſorum Ruſſicique imperii ex oppoſito inſignia conſpiciebantur. Poſtero die mane, nimirum V. Id. Febr. hora ſeptima, regina filiolam principem in lucem protulit.

Continuatio Epithalamii.

Sed prius, aeterno qui firmant omnia nexu
Orabo Auſtriacae Numina priſca Domus.
Audior. Et ſobolis venturorumque nepotum
Spem mihi non dubiis praebet Alauda notis.
Juppiter ex alto probet hoc ſublimis olympo
Hoc Venus, hoc Veneris filius ipſe velit.
Caeſaribus Proauis, & Caeſare nata Parente,
CAROLIDES, mundi totius vna Decus!
Publica cum ſpes ſis, imple rata vota tuorum,
Perpetuo terras vt Domus iſta regat.
Sic ſegete ex viridi flauas praeſumit ariſtas
Agricola, atque alacris iam ſua vota metit.
Dux FRANCISCE, Ducum, coeleſtis origine gentis,
Clare per eoas heſperiasque plagas!
LOTHARIDVM fortuna redit, ſpes durat Auorum,
Et Domus in titulos ſurgit auita ſuos.
Quum tot terrarum cum dote hanc duxeris, ipſa
Fortuna eſt genio nubere viſa tuo.
Dotantes facilesque Deos expertus abunde es,
Jupiter vt paucos aequus amauit Auos.
Sponte Duci Phrygio natam ſic ipſe Latinus
Obtulit, oblatam Troicus hoſpes amat.
Non gemmae tantum pro pignore dantur Amoris,
Annulus obſignat publica vota ſimul.
Nos quoque feliceserimus, ſemperque beati,
Debitus & ſtudiis reſtituetur honos.

Non

Non ſoli coeunt Reges. Nos iungimur vna
Praeſidiumque capit publica cauſſa ſuum.
Si placeat Superis haec ocia reddere Muſis,
Poſthac non aegre liuida monſtra feram.
Viuite, Chara Deum ſoboles! quae vota canendo
Dicimus, in myrti cortice ſcribat Amor.
Auguſtas reduces aquilas Inſubria cernat
Et coluber feſtum tollat in aſtra caput.
Foedera iungat Amor, redeunt Saturnia mundo
Secula, & in bellum pax noua bella gerat.
Auguror, eueniet. Ter ramo mitis oliuae
Ter niueis pennis conſcia plauſit auis.
Viuite, quotque dabunt haec olim ſtemmata ramos,
In ſpem Caeſareae poſteritatis eant.
En age, curre citis (quid gaudia noſtra moraris?)
En age, curre citis, nuncia luna, rotis.
Quum plenum nouies repararis cornibus orbem,
Quae canimus, rurſum ſunt habitura fidem.
Talibus auſpiciis geniales condimus odas,
Nam volucris liquidum proſpera fidit iter.
Viuite cor vnum! concordes, viuite Sponſi!
Auſtriae & Auſtraſiae Deliciae atque animae!
Vna triumphanti detur reuerentia coelo,
Quod iuſſit noſtras pondus habere preces.
Vos tandem addicti fauor immortalis olympi,
Participes voluit reddere vota Deo.
Firmior hic Amor eſt, ipſis qui creſcit ab annis,
Et cauſſas pro ſe mille fauoris habet.
Viue diu felix, Virgo Auguſtiſſima! viue
Regie Dux felix! Regia viue Domus!
Vos Pater atque Patris Proles, vos Spiritus almus
Vos regat, exaltet, ſaluet, honoret, amet.
Interea medius dum turbat gaudia vates,
Frigida ſuccenſus carmina ridet Amor.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XVI. Kalend. Febr. Diſſ. Jur. *Quinque iuris in re ſpecies, quas vulgo tradunt, nec ſemper tales eſſe nec ſolas*, praeſide D. FERDINANDO AVGVSTO HOMMELIO, P. P. defendit GOTTHOLD THEODORVS SEYLER, Dreſd. Litteris Takkianis. pl. 5.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. IX. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↃ IↃcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum , *Idibus Febr.* Vulnus male tractatum facile recrudeſcit, verendumque merito ne maiores, certe non minores ac olim in curia prouinciali motus faciat ſimultas, quae regia auctoritate quocunque modo oppreſſa radices egit iamque progerminare videtur. Nam in binis, quae examinant, & quinque quae diiudicant ſupplices libellos, iudiciis, praeſides atque collegae audire recuſant cauſas, quas perorare cupiunt , qui , durante cum aula diſcordia, ab officio decedere ſibi religioni duxerunt. Solus Parentus, cauſarum patronus, qui tempore diſſidiorum ſuum retinuerat munus, centum & plures explicandas habet cauſas, quam aula rem aegre fert ciuibus valde moleſtam, vt dubium non ſit, quin iudices obſtinatos ad lites componendas vel inuitos cogere ſuſtineat. Magnificis heri epulis diem nuptiarum Lotharingiae ducis Vindobonae cum Auſtriaca archiduce peractarum celebrauit legatus eius Stainuillius comes, ad quas inuitauerat Fleurium quoque purpuratum & ſupremum ſigilli cuſtodem, ſed ambo ſuam denegarunt praeſentiam ſeque & hic quidem ipſe coram , ille per interpretem excuſatos eſſe voluerunt. Interim in numero hoſpitum, praeter legatos variorum principum atque optimates valde multos , praeſentes fuere Maurepaſius atque S. Florentinus , qui regi noſtro publicis in rebus a ſecretis ſunt, nulla vero, ad euitandas difficultates , in ſalutem alterius hauſta fuere pocula.

Ex eadem vrbe, eodem die. Qui in Polonia , iam ante turbas, regis noſtri legationem adminiſtrauit, Montius marchio, iam XV. Kalend. Febr. auguſta Ruſſorum iubente , donatus eſt libertate, cinctus tamen praeſidio quinquaginta equitum deſultoriorum, qui ad extremos Poloniae fines eum comitabuntur , quando in Galliam

iter

iter aggredietur , aggredietur autem illud, quam primum redierint bini de familia , quos ad vaſa colligenda Varſouiam miſit. Couchinus, cauſarum patronus celeberrimus, his diebus coram iudice pro Ferrandia virgine fortiter loquutus fuit , quae Ferrandi, dum viueret, praeſidis ex vxore , quae ſeptuaginta nata eſt annos, legitima proles eſſe cupit. Hanc anno ſuperioris ſeculi octogeſimo ſexto recens natam foemina infimae conditionis in aede S. Sulpitii , ſuſceptoribus binis pauperibus , ſacra baptiſmatis vnda adſpergendam curauit, traditis paſtori litteris, teſtantibus , Ferrandum praeſidem hanc ex vxore ſua ſuſcepiſſe filiolam. Paſtor fidem non habens litteris nullo ſubſcripto nomine firmatis , in libro , recens baptizatorum in quo conſignantur nomina, ſpatium reliquit , proque memoria adſcripſit cauſam dubitandi, cur ex relatione ſchedulae ſuſpectae fidei parentes non expreſſerit , maxime cum, poſtero ſtatim die, praeſes Ferrandus tabellione ſtipatus acceſſerit ſolemnique interceſſerit formula hanc ſe filiam ſuam non agnoſcere, nec eam agnouit mater licet educatio puellae curae cordique ipſi fuerit.

Londino. XVI. Kal. Mart. Curia in inferiori id agitur, vt, quae, regnante Jacobo primo rege, condita fuit lex abrogetur de incantationibus , artibus magicis pactoque cum diabolo, quae heri altera vice publice praelecta fuit & hodie praeſentibus omnibus in deliberationem vlterius veniet. Senatus, penes quem adminiſtratio eſt rerum maritimarum, cognita regis ſententia de claſſe imminuenda, III. Id. Febr. per curſorem hac de re fecit certiorem Norriſium praetorem, cum mandatis, vt octo maiores claſſis ſuae naues bellicas domum remittat. In exauctorandis etiam exercitus terreſtris militibus initium factum eſt , quorum quinquies mille a iureiurando abſoluti ad ſuos penates abierunt. Qui haud ita diu ex India orientali ad nos rediit Robertus Canelus, venit prima huius hebdomadis feria regis in conſpectum , qui eum equeſtri dignitate ornauit. Ex America redux Chapmanus, nauis praefectus, regi exhibuit accuratam caſtellorum delineationem , quae in ſecuritatem Anglicae nationis paſſim in coloniis ſtruenda ſunt. Manniae, quae maris Hibernici inſula eſt, dominus & praefectus maritimus , in praedio, quod ipſi Lancaſtriae in comitatu eſt, V. Id. Febr. naturae debitum ſoluit. Idem qui haud ita pridem ſoluit, Buckinghamius dux ampliſſimo funere, ab hora prima ad quartam ducto elatus , ſepulchro maiorum in abbatia Weſtmonaſterienſi III. Id. Febr. conditus fuit, praemiſſa inſigni pompa, qua corpus eius ſpectatum fuerat expoſitum.

Haga Comitum. IX. Kalend. Mart. Fenelonus marchio , in colloquio cum delegatis ordinum reipublicae noſtrae, regi Galliarum , cuius legatum

gatum agit, gratiſſimum fore dixit, ſi de ſecuritate ſileant nouisque commerciorum pactis, ſi quando pacis praeſentis negotium eo perductum fuerit, vt ſubſcribendo firmetur. Opinio ad nos heri venit, quae ſupererant condendae pacis obſtacula III. Non. Febr. Vindobonae fuiſſe remota regemque Galliae conſenſum vtriusque & Hiſpaniae & Sardiniae regis procurandum ſuſcepiſſe vel monitis, vel armis ſociis, ſi verbis nihil effici queat. Verum ad familiares Vindobona datae referunt litterae, modum tempusque, quo rex Galliae Lotharingiam redigere in prouinciam debeat, non plane definitum eſſe, ſpem tamen adfulgere fore, vt Theilius, extra ordinem regis Galliae legatus, nodum quoque hunc Gordium ſoluat, ſi vel maxime transactio difficilis trium aut quatuor menſium ſpatium requirat. Galli ſuis in litteris, vno omnes calamo crepant regis Hiſpaniae acceſſionem ad pacem, quam imperator Galliarumque rex ſtatuerunt, verum Mantua Carpetanorum nihil hucusque relatum accepimus.

Petroburgo. IX. Kalend. Febr. Delegati, quos Derptenſis in Liuoniae finibus academia quotannis mittere ſolet, colloquio gauiſi ſunt Oſtermanni comitis, perque omne tempus, quo apud nos commorantur, ſumptibus publicis ex auguſtae gratia aluntur. Qui curam habent coloniae ad Tartarorum fines conditae, donum auguſtae obtulerunt pellibus conſtans pretioſis & ſale foſſili, quod cryſtallino ſe ſplendore prae omnibus commendat. Quod grato illa excepit animo ſurrexitque precibus illorum, vt aduerſus Tartarorum impetus caſtella duo aut tria exſtruere permittatur, quare mandata dedit ad Moſcuae praefectum, vt auguſtae ſumptibus illa condantur, condita ſufficienti praeſidio firmentur.

Vindobona. XII. Kalend. Mart. Nuptiae poſt hominum memoriam apud nos magnificentiſſimae, vt omnium in ore ſunt, ita ingenium exercent poetarum, qui vates, vtinam optimi, plauſus votaque ſoluunt. Cuius generis ſequens eſt argumentum:

Aggratulatio
Geographico - Allegorico-
Poëtica
Ad Sereniſſimum
Lotharingiae
Ducem
Cabalon

223. 435 530 548.

Delectare propter tuum coniugium
A. 1736.

Eſt Virgo tua ſponſa; ſed aeque Europa Virago eſt
Mappis Geographicis: ergo ſequella fluit:

Am-

Amplexare *Tuam* ter fauſto ſidere *Sponſam*,
Formabis *longas* aſſociando *manus.*
Et tua poſteritas & ſors longaeua dierum
Praeſtabit, ne ſol *occidat imperio.*
Id praeſtabit, vbi totum deuicerit orbem;
Sic etenim Sol non *occidet imperio.*
Proſpera maiorem cantabunt tempora gloſſam;
Nolo Poeta canam: cur? quia vera loquar.
Augur ego, non vates ero: nec ſidera cogam;
Eſt nupſiſſe ſatis: fata ſerena dabunt.
SI tot qVot VoVeo, ſanos aeqVaVerIs annos,
Non *LotharI*, ſeD tVnC *Loth* tIbI noMen erIt.

Ad Sereniſſimam
Sponſam
Cabalon

300 331 3 55 142 105 134.
Tu Sponſa ab Eo dilecta & electa
180 302 1 183.
Accipies benedictionem a Domino.
Pſ. 23. v. 5.
A. 1736.

Nunc *bene conueniunt & in vna Sede morantur*
Maieſtas & Amor: Seruet vtrumque Polus.
A Joue proueniat ſacri Benedictio coepti:
Quis contra Superos? ſi placet id Superis?
Sit tibi vita *Duplex*, vobis conceſſeris *Vnam*
Altera perpetuo ſit retinenda *Tibi.*
Tu natu maior *Carolum* nunc reddito *Magnum*;
Poſt bis ter *primus* iure vocandus erit.
Nec non Catholicus (ſi me non fallat Apollo)
Nomine *Guſtauus*, cur? anagramma docet.
Noſſe cupis? fac, includat pars vltima primam,
Et nomen capies, quod Monumenta dabit. *
O Amor! Auſtriacae ſpes & fiducia Terrae!
Te, volo, Parcarum viuere cogat Amor.
VIVe tIbI nobIs tVa fronDens fLoreat aetas,
Et fLos, qVeM generas, frVCtVs honorIs erIt.

Jac. Benedict. H. Auſt.
J. U. Cand.

* *Auguſtus.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. X. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. VII. Id. Febr. Principem vt clementia in viuos, ita quam maxime in defunctos decet pietas, quam nuper inſignem exhibuit Carolus dux Hiſpaniae, adſignando viduae, cuius maritus in venatione caſu triſti globo plumbeo traiectus occubuit, decem aureorum ſtipendium menſtruum ad dies vitae, & filiae vnicuique quingentos, vt patre praeter ſpem orbae cum dote largiori matrimonium facilius contrahant. Anglorum Belgarumque ſuperiori hebdomade portum noſtrum intrarunt naues aliquot, in his quaedam onuſtae trecentis atque ſex ciſtis, quae in palatio Parmenſi collectas res pretioſas continebant. Prima praeſentis hebdomadis feria, tertius re cibaria oneratum perſonatorum grex clauſtrum duxit per plateam Toletanam ad regium palatium, vbi concurrentis multitudinis direptioni more ſolito patuit. Pignatellus princeps, cui de Monte Rotundo cognomen eſt, annos natus quatuor & octoginta, vita defunctus eſt.

Roma. III. Id. Febr. Harcourtus dux militiaeque Gallicae praefecti longe plurimi e Longobardia IV. Non. Febr. ad nos acceſſerunt, qui omnes in S. Aignani principis, Gallorum legati, aedibus hoſpitium ſumſerunt. Poſtero die bini aduolarunt curſores, e Gallia alter, alter ex Hiſpania, hic cum nuntio, regem praeliminaria pacis agnouiſſe, ille, quod Galliae rex Carolum principem Siciliae vtriusque regem ſalutare decreuerit. Vterque curſorum Neapolim iter proſequutus eſt, relicto litterarum faſciculo, transmiſſo Centumcellas * Acquauiuae purpurato, quo ille cum Santobuonia principe conceſſit. Sanpierio marchioni, qui in certamine equorum his diebus inſtituto, Patrizium marchionem inſultare auſus fuit, mulcta decies mille ſcutatorum impoſita eſt. Nudius quartus, Neapolim tendens ex Hi-

ſpania

ſpania curſor nuntium prioris, de adprobatis a rege Hiſpaniae pacis nouae articulis, denuo confirmauit. Sub veſperam eiusdem diei ordo equeſtris vtriusque ſexus magno numero in aedibus Corſinianis confluxerat, ad choreas ſolemnes, quarum fecit initium natu primus equitis Georgiani filius cum Octauia Corſinia principe hoſpitesque eques Georgianus ipſe, purpurati Colonna, Bichius, Guadagnius, Albanus & Corſinus, legati Gallorum & Venetorum delegatique Bononienſium & Ferrarienſium erant. Quas aula Gallica de admittendo Lercario, pontificis oratore nouo, mouerat difficultates, eiusdem apud nos legatus, S. Aignanus dux, feliciter compoſuit.

* *Ciuitauecchia.*

Lutetia Pariſiorum. XIII. Kalend. Mart. Quantum ex Longobardia datis conſtat litteris, Kheuenhüllerus comes, ſummus caeſariani exercitus dux, Mutinae * ſedem ſibi elegit, cuius in aduentum palatii cuiusdam conclauia exornantur, quaeque illis in terris vacua noſtrates faciunt loca caeſariani extemplo occupant. Quibus fines marchiae Anconitanae attingentibus, Hiſpani conſultum putarunt expetere commiſſarios, quibuscum agatur de terminis conſtituendis, quos vtraque pars, durantibus induciis, teneat. Accidit his diebus, vt ſponſa benedictionem ſacerdotalem ambiens ad fores aedis S. Euſtachii, in eo cum eſſet, vt carpento deſcenderet, praeceps in terram facta veſtem nuptialem valde macularet. Sponſus ira grauiter ſuccenſus nullus dubitabat adflictae addere adflictionem & incautae infligere colaphum & quidem iterata vice, quo ipſo ſibi male conſuluit, ſponſa enim coram omnibus ludibrio expoſita, ſpretis cognatione coniunctorum precibus atque monitis recuſauit matrimonii confirmationem, ſe infecta vt domum cogerentur reuerti hoſpites & ipſe ſponſus, quem plebs nullis non conuiciis proſequebatur & aſperos eius mores ſparſo copioſius luto deteſtabatur.

* *Modena.*

Londino. XIII. Kalend. Mart. Praeter grauem pecuniae ſummam, quam nuper expreſſimus, in curia regni inferiori decretum eſt regi pendere ad rem tormentariam per annum currentem, ſeptuaginta & nouem librarum Sterlingicarum millia ſeptingentas & ſexaginta. XVI. Kalend. Mart. aulae noſtrae adminiſtri cum variorum Europæ principum legatis quam diutiſſime agitarunt conſilia. Luce heſterna in ſenatu ſanctiori, conuocato in palatio Jacobitico, rex fecit palam Walliae principis cum Saxoniae Gothana duce ſponſalia, nec dubium eſt, quin vtramque regni curiam de his proxime certiorem facturus ſit. Eduardus Stanleius baro haereditario iure conſequutus eſt honores Derbii comitis, cuius, regnantibus Henrico ſeptimo & octauo qui floruit, a filio natu altero in linea recta deſcendit. Nouum proſtare dicitur tributi genus, & quidem viginti librarum quot-

quotannis qui carpento vecti equis ſex,quindecim qui quatuor, decem qui binis vtuntur, tandemque aſſium quinquaginta qui vnico contenti ſunt. Quae lex ſi valeat, ad minimum quadringenta aeris Sterlingici millia quotannis collectum iri praeſumitur, in gratiam, vt aiunt, pauperum,quibus iuuat ſuccurrere, vt ad vitae ſuſtentationem, quo ipſis opus eſt, victus minori pretio veniat. Opus, quod moliuntur Weſtmonaſterienſes, Tameſim fluuium ponte iuncturi,ducentis & pluribus aeris Sterlingici millibus ſortitione publica colligendis conſtabit. Dublini cauſarum patronus, ad pugnam priuatam prouocare auſus Southwellum equitem, ſupremo ſenatui regio adſcriptum, comprehenſus a praeſidio militari,vt tanti facinoris cauſam dicat, ad proregem deductus eſt.

Vindobona. VIII. Kal. Mart. Proſtat catalogus eorum, quos imperator ſibi a conſiliis ſanctioribus fore V. Kalend. Mart. publice declarabit, ſuntque in eo principes Ahrembergius, Lambergius & Craonius; archiepiſcopus Bihorienſis * Patachichus baro; comites Caroli, Czackius, S. Julianus, Lichtenſteinius, Potsdatzkius, Collowrathus, Ferdinandus Nimtſchius, Daunius, ſummus vigiliarum in vrbe noſtra praefectus; Hallerus baro, Tranſyluaniae praefectus; comites Attimiſii parens & filius, Wolckenſteinius vterque ſenior & iunior; marchiones Gerbeuillierius atque Spada; comites Antonius Serinius, Henckelius & Heislerus; baro denique Jodocius. Nuptiarum, quas nuper celebratas omnibus referre circumſtantiis cancellorum anguſtia non permittit, memoriam poſteritati tradidit auro argentoque cuſo, cudendo in hoc quem aula artificem habet, Donnerus,cui in producendo hoc opere ipſa laudi fuit alacritas.Conſpiciuntur in eo,more Romano, imagines matrimonium contrahentium,adſcriptis nominibus: FRANCISCVS III. LOTHARINGICVS. THERESIA AVSTRIACA; altera in facie Religio, vt ſolet, cruce nixa, quae bina in ara inuicem flammantia corda coronat laurea, cum lemmate: VOTORVM TANDEM COMPOTES; infra: CELEBRAT. NVPT. DIE XII. FEBR. MDCCXXXVI. Cibinii, ** quod caput eſt Tranſyluaniae, praefectus vrbis militumque dux ſupremus, Franciſcus Paullus Walleſius eundem celebrauit diem ſolemnibus epulis aedibusque ſuis pulchro lampadum ordine egregie illuſtratis. *Symbolum I.* Aquila, imperii ſignum aethera findens alis, inque columna laureis circumuoluta conſtantiam referente, corona, ſceptrum pomumque imperii inſigne, ad ſiniſtram, qui fortitudinem exprimebat, leo, tenens pede vtroque anteriori enſem imperii, cum lemmate: CONSTANTIA ET FORTITVDINE. *Symbol. II.* Genius Auſtriae, Auſtriaca comprehendens inſignia, ſuperius ex his mutuatae quinque alaudae per aethera aduolantes cum annulo pronubo; TV FELIX

AV-

AVSTRIA NVBE. *Symb. III.* Genius Lotharingiae, huius cum inſignibus, circumdatis corona nuptiali, intertextae cui erant Auſtriae provinciae haereditariae, in ſignum ſanctionis pragmaticae: AVSTRASIAM FIRMABAT AVSTRIA.

* *Kalo.* * * *Herrmannſtad.*

Lipſia, *pridie Non. Febr.* Onoldina marchio VI. Kalend. Mart. filiolum principem enixa felicem puerperam agit. Nuptiae, quibus poſt hominum memoriam celebriores non vidit Vindobona, nec vniuerſa Germania, huius per terras paſſim laetos pepererunt conuentus. Sic Auguſtae Vindelicorum ſenatus vtriusque religionis hoc ipſo die feſto in curia eiusque conclaui, vt vulgo audit, gentilitio, magnificas inſtituit epulas, auresque circumſonabant vndique voto: VIVAT DVX LOTHARINGIAE ET CELSISSIMA SVA SPONSA THERESIA. Francofurti ad Moenum, auctor, quiscunque ille ſit, connubium hoc perenni memoria digniſſimum, ſequenti expreſſit chronodiſticho:

ſIT TORVS AVSTRIACO LOTHARINGIVS AETHERE FAVSTVS,

ORBI ET $\frac{\text{GERMANO}}{\text{ROMANO}}$ GAVDIA

LARGA FERAT.

Locum quoque meretur inter vota adplaudentium huius argumenti monumentum litterarium, quod C. Brandeburgerum in agro Lubecenſi paſtorem Grünauienſem habet auctorem:

CAROLO VI.
FORTI. CONSTANTI
PATRIAE. PATRI
MARIAE. THERESIAE
EX. ELISABETHA. CHRISTINA
FILIAE
ET
FRANCISCO. STEPHANO. LOTHARINGO
NVPTIAS. PARANTI.

* * * * * * * * *

Te colit haec aetas, inquit Germania felix:
Ah vtinam colerent poſtera ſecla parem!
Annuit hiſce Deus voluensque recondita fata:
Gignere quem prohibent, elige Caeſar, ait.
Eligitur Princeps, diuina Virgine dignus,
Auguſtoque thoro ſit Gener ille Tuus.
Nunc valeant coeca naſcendi ſorte Regentes,
CAESARIS haeredem mens ratioque vocat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. X. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄ Iↄcc xxxvi.

E terris Helueticis. VIII. Kal. Mart. Corruptis vt humani corporis viſceribus ſero medicina paratur, ita principiis obſtare tutiſſimum eſt, ſi quae in viſcera reipublicae ſaeuire incipit diſcordia. Hunc in finem delegati confluxerunt iudices, tam Badenſi in oppido, qui tamen in componendis Toggenburgenſium diſſidiis hucusque inanem ſumſerunt operam; alii Curiae, Griſonum in vrbe primaria, curam habentes Capitis Oeni,* nouis laborare quod coepit motibus, quos qui ciere auſi ſunt admonendos duxerunt, miſſis pacis & concordiae ſuaſoribus, minis adiectis, ſibi tribuant, ſi grauem ſibi contumaces poenam attrahant. Roma pridie Non. Febr. ad nos datae referunt litterae, exulem e regno Neapolitano aduentaſſe Berettam, epiſcopum Acerranum, regno pulſum, quia vetitum litterarum commercium cum exteris habuit. Iisdem nuntiatur litteris, Hiſpanos caſtrorum ſuorum deſertores quosdam perſequentes intraſſe Benedettum, ditionis Romanae oppidum, huiusque a ciuibus cum flagitarent transfugarum reſtitutionem, qui alio iam fugam proſequuti fuerant, vi ſumma eiectos fuiſſe, militum vno amiſſo. Cognito hoc, ſenatus publicarum rerum Romae, protinus rem expoſuit Acquauiuae purpurato regis Hiſpaniae legato, vt vindictam auertat, ſi quam aula Neapolitana ſumere ſuſtineat. Nuper quoque fundato apud Neapolitanos in collegio, cui res oeconomicae traditae ſunt, decretum fuit clerum priuare praediis quibusdam, eique nouum imponere tributum. Pontifex, pacis cum Carolo duce Hiſpaniae praeſertim hoc tempore amans, offenſam diſſimulans ſtatuit numerum cleri in vrbe Neapolitana determinare & reſtringere, vt reliqui commodius habeant, vnde viuant.

* *Innthal.*

Lutetia Pariſiorum. X. Kal. Mart. Id agunt

Id agunt noſtrae in Italia copiae, vt iter ad patrios lares proxime aggrediantur. Noallius mareſchallus, nondum, vt nouiſſimae teſtantur litterae, Auguſta Taurinorum in caſtra rediit, redibit autem breui Mutinamque * petet, quo caeſariani exercitus dux ſupremus Kheuenhüllerus pariter veniet ibique per reliquum brumae tempus conſtans commorabitur. Vtrique traditum eſſe dicitur, vt de tradendo caeſarianis Mediolano aliisque deliberent de difficultatibus tollendis, quae pacis negotium quocunque modo morantur, maxime cum ſolemnis paciſcentium conuentus plane in dubium vocetur. Lercarius, nouus pontificis in aula noſtra orator, ſuperiori hebdomade noſtram ingreſſus eſt vrbem ſedisque, vt aiunt, Romanae cauſam aget in his quae illi in conficienda pace conducere arbitratur. In cauſa Ferrandiae praeſidis notiſſima, his diebus coram iudicibus magna cum parrhiſia, pro ipſa perorauit Reuerceauius, cauſarum patronus, quae ratum perfectumque ſe habere velle dixit, quicquid vel aduerſa, vel benigna iudex pronuntiauerit ſententia minimeque negat ſibi aliquando puellae cuiusdam educationem curae cordique fuiſſe, quam poſtea neglexerit nuntio accepto, quod infans naturae debitum ſoluerit. Proximis diebus Aubrius, cauſarum patronus alter, non minori cum facundia loqui parat pro haeredibus, virginibus tribus, quarum quam maxime intereſt, vt haereditatis portionem ambientis iura infringant. Multorum ex opinione res ea a iudice inferiori deuoluetur in curiam prouincialem auidique iam acuunt ſtylum, qui in ea clientum ſuique lucri rationem habere ſolent. * *Modena.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Parum aut nihil noui cum ſuggerat publicus in praeſenti rerum ſtatus, domeſticis nouis ſe delectant, qui quodcunque colloquendi argumentum faciles arripiunt. Maritus & vxor his diebus frequentarunt drama muſicum, quo in loco publico haec ab illo excepta colaphis diuortium petit. Sponſa, cuius nuper mentionem fecimus, idem ad fores templi experta fatum, ſuo in libello ſupplici vrget, vt ſponſus, praeuia deprecatione iudiciali, quos fecerit, ſumptus refundat. Si fabula vera eſt, quae Monte Peſſulano * nuntiatur, non procul inde diſſito in loco, ſutor, neſcio quo furore abreptus, ſe putat filium eſſe Caroli regis duodecimi, naturae non thori legibus procreatum, collectisque quae pro ſuo genere nobili pugnare poſſunt, argumentis, rem per litteras aulae noſtrae expoſuiſſe perhibetur. Controuerſia, quae Fontaninum abbatem ſolum vertere coegit, aliam eamque meliorem ſumit faciem, quaedam enim princeps foetum hunc ſe in lucem protuliſſe fatetur aduerſus academiam Gallicam, quodque typis excudendum hoc ſcriptum eidem tradiderit, rata, rem tanti non eſſe, interim bibliopola, typographus, quique diſtrahendo libellum famoſum

ſum quaeſiuere lucrum, adhuc in cuſtodia detinentur.

* *Montpellier.*

Londino. IX. Kalend. Mart. Adparatus fieri incipit nuptiarum Walliae principis, qui Saxoniae principem Gothanam vxorem ducet, easque proximis diebus rex in vtraque regni curia palam faciet. In hac ſimul ac definitum fuerit ſtipendium, quo ineuntes coniugium perfruentur, epiſcopus Londinenſis benedictionem ſacerdotalem in aede Paulina peraget, vtque fama fert, principi marito quotannis dabuntur centena aeris Sterlingici millia, ſponſae autem quinquaginta, ſi vidua forte vixerit. XII. Kal. Mart. inferiori in curia concluſum fuit exorare regem, vt accuratam patribus conſcriptis tradat conſignationem damni, quod vel in Europa, vel in America, a Nonis Mart. anni trigeſimi quinti, Hiſpanorum naues noſtrae nationi intulerunt. Qui ſenatui rerum maritimarum a commiſſionibus ſunt, dedere mandata, vt, quo inſtructae ſunt naues duodecim Portum Magnum, Chathamenſem atque Plimuthanum tenentes, adparatus remoueatur. Imperatoris legatus Kinskius comes, magnificas ad diem craſtinum inſtruxit epulas in palatio Somerſetano, ad easque aulae noſtrae adminiſtros, legatos exterorum principum nec non, quos vrbs noſtra capit, optimates inuitauit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Diuerſis ex aulis qui apud nos degunt legati cum noſtratibus quam frequentiſſime conſultationes ineunt ad res bene ordinandas, quae aliquem in pacis nouae conditiones influxum habent. III. Non. Febr. Buckiana in prouincia, multis diuitiis adfluens ruricola omnibus bonis & vita ſpoliatus eſt, cuius nefandi facinoris vt auctores detegantur, rex ſtatuit centum librarum Sterlingicarum praemium veniamque delicti ſociis, ſi reliquos indicauerint, eo excepto, qui caedem perpetrauit. Eduardus Stanleius eques nomen adſumſit Derbii comitis baronisque Stanleii Lathamenſis, factus haeres Stanleii comitis eiusque redituum, qui quotannis decem aeris Sterlingici millia conficiunt. Quam ille, dum viueret, tenuit, Manniam inſulam haereditario conſequutus eſt iure Atholus dux, qui iam nouum illius praefectum conſtituit. In noſocomio Weſtmonaſterienſi alitur mulier decrepita centum & triginta annorum, pedibus adhuc firma, nec oculorum lumine deſtituta aut viribus, quae ſenectuti eſſe poſſunt, quae, regnante Jacobo primo ante ſeculum decemque annos, nempe viginti annorum puella e Scotia huc aduentauit.

Haga Comitum. III. Kalend. Mart. Opinio ad nos venit, ſententiam imperatoris regisque Galliarum, nouo nuper pacto expreſſam, feciſſe ſuam Sardiniæ regem, & facturum eſſe regem Hiſpaniae, quam primum reſciuerit paciſcentes ſecuritatem praeſtare velle Carolo principi filio, vt Siciliae vtriusque rex & dominus ſalutetur, ſique rumori fides habenda eſt, qui, haec dum ſcribimus, percrebuit, VI. Id. Febr. conſenſum ipſe praebuit. Noſter Berolini legatus, Ginckelius baro, ordines foederati Belgii iterato certiores fecit

de

de iuſtitia qua rex Pruſſiae animaduertendum fore promiſerit in militiae ſuae praefectos, qui in Geldria Belgii foederati prouincia violentos ſe geſſiſſe traduntur. Ordines comitatus Hollandiae, omnibus rite ordinatis, quae aggerum ſtructuram iuuare poſſunt, pretio inprimis determinato, quo lapides aduecturi gaudebunt, nudius quartus ſoluere conuentum, renouandum Nonis Mart. vt munera, quae proſtant vacua, dignisſimis conferant. Epiſtolae ad familiares docent, mercatorem quendam Amſtelodamenſem decem aureorum millia, ad mandatum aulae Gallicae transmiſiſſe Stanislao Regiomontem, quo viatico inſtructus, eo, vnde venit, dubio procul proxime reuertetur. Dordracenſes IX Kal. Mart. iuſta ſoluerunt Jacobo van der Hoeven, ciui ferme bis depontano annorum centum atque duorum, qui anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſecundo viduam hodie Catharinam Walſumia ſtirpe oriundam, quae in praeſenti nonageſimum quintum aetatis annum viuendo attigit, duxerat in matrimonium, quo per annos quatuor & ſeptuaginta continuato, liberos, nepotes, abnepotesque numero plures exceperunt

Petroburgo. V. Id. Febr. Nimis prolixum foret omnes enarrare circumſtantias, quibus auguſtae Ruſſorum diem natalem luce heſterna celebrauimus, nempe, ſi ſummam ſcire geſtias, cultu diuino, multo gratulantium obſequio, epulis magnificis, tormentorum ſclopetorumque ictibus continuis, ſuccenſis ignibus ludicris, ne quid dicamus de honoribus nouis hoc ipſo die feſto in bene de patria meritos collatis, quorum in numero a conſiliis ſanctioribus Kurakinus dux ſtabuli, reique venatoriae praefectus ſupremus conſtitutus eſt Wolinskius ſummi ducis vicarius, praeterea Sukinus imperii Ruſſici ſenator creatus eſt Smolenſcenſis prouinciae praeſes, atque vigiliarum claſſis praefectus Nepluefus ſanctiori conſilio adſcriptus fuit. Summum exercitus Rusſici ducem auguſta dixit Hasſiae Homburgenſem principem in locum defuncti & nuper amplisſimo funere elati Weisbachii, ita tamen, vt ſummum imperium militare ſupremi caſtrorum praefecti Münnichii comitis praeſidiumque in ſenatu rerum bellicarum agnoſcat. Suerinus praeerit copiis in Vcrania Rusſicis ad leges artis formatis, Coſacci enim belli onus qnidem non denegarunt quam lubentisſime ſuſcipiendum, in votis tamen ſe habere per delegatos auguſtae nuntiarunt, vt ſua ex natione ducem militarem ſibi eligere liceat. Münnichius comes, ſummus caſtrorum praefectus, ſuo cum exercitu ad Tanaim * vrbem potisſimum agit curam, vt ea occupata, nobis ſubiectos Vſſouienſes Tartaros aduerſus Crimmenſes tueatur, viamque ſternat, quae mercatoribus inde per deſerta Moſcuam atque Archangelopolim * * breuior magisque commoda pateat. Imo ſpes certior indies adfulget noſtram in poteſtatem redigendi vrbem, quae in obſidione arctiori tenetur, omnique, durante Perſico bello, Turcorum auxilio caret.

* *Aſoff.* * * *Archangel.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XI. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↃIↃcc xxxvi.

Neapoli. XIX. Kalend. Mart. Si ex vulgi opinione bis dat, qui cito dat, quantum dediſſe dixeris Carolum Hiſpaniarum principem, qui cito non tantum atque extemplo, ſed quam longiſſime etiam atque largisſime gratum ſe exhibuit. Bouinum ille tendens, non procul Ariano ab oppido praeſentiſſimum inciderat in vitae periculum, loco enim in paludoſo aquis pluuialibus turgente ſidere iam coeperat, quo vehebatur, carpentum, difficulter admodum conſeruatum ab auriga, qui ſuam principis dominique ſui vitae poſtpoſuit. Quem tanto liberatus periculo protinus donauit aureis ſolidis * quadraginta vt & ſtipendio viginti aureorum, ** quo ad dies vitae per ſingulos menſes perfruatur, ipſe vero, ne quid ſanitatis inde detrimentum capiat, ſanguinem miſit. Tantum abeſt, vt dictus princeps ſolis venationibus & piſcatura tempus omne conſumat, vt potius horis ſubcifiuis Palladi litare non intermittat. Nam per tempus non adeo multum e Gallico in Latinum ſermonem vertit librum quendam hiſtoricum eumque nitidiſſima ornatum ligatura, monumentum pietatis ſuae, in Hiſpaniam matri transmiſit. Proxime aderunt currus valde ſumptuoſus & equi aliquot generoſi, quibus eundem Dorothea princeps Parmenſis vidua, donauit. Prorex Siciliae ex aulae Neapolitanae concluſo quatuor viris, qui ſolum vertere iuſſi ſunt, & quidem Franciſco Sautoro Drepanum, *** Octauiano Medico Syracuſas, Franciſco Coſtanzo Catanam tandemque Corrado Caracciolo Meſſanam, exilii locum adſignauit, qui, pace conſtituta, ex lege amneſtiae meliora ſibi fata pollicentur. Nudius tertius matrimonium Vaſti marchionis fratris cum Conuerſani comitis filia, benedictione ſacerdotali per archiepiſcopum vrbis noſtrae purpuratum confirmatum fuit.

* *Doppien.* ** *Ducaten.* *** *Drepano.*

Roma.

Roma. XII. Kalend. Mart. Multis perſuaſum eſt fore, vt Bartholomaeus Corſinus dux, Ludouico Hiſpaniarum principi iuniori perferat pileum, quo purpurati vtuntur, quorum in numerum haud ita pridem lectus fuit, ſpesque ipſum non plane dubia alit conſequendi inſignia aurei velleris & dignitatem procerum Hiſpaniae, quibus in praeſentia regis capit operire licet. Denuo, his diebus, e conſilio publicarum rerum curſor abiit Vindobonam ad Paſſioneum, pontificis in aula caeſarea oratorem, cui de exercitu Germanorum noſtris in terris opinione diutius commorante quid nuntiatum ſit, non accurate liquet. Interim de hoc, quantum fieri poteſt, ſuſtentando frequentius agitantur conſilia, veneratque in deliberationem, mutuo accipere e theſauro Sixtino ſcutatorum myriadem, ſed omni ſe modo oppoſuit Corſinia domus, verens, nec immerito, fieri poſſe, vt aliquando poſt fata Clementis duodecimi pontificis, ipſa ſummam hanc in aerarium publicum teneatur refundere. Sagacitate ſua congregatio, vt vulgo audit, S. Officii nouam detexit ſectam, quae lingua patria la Cucchiara adpellatur, vel eiusdem farinae, vel certe illi reſpondens, quae nuperrime Belgium conturbauit. Nondum exacte conſtat, qui ſint auctores, quae foueant dogmata, quibusque in locis ſuos inſtituant conuentus, in cuſtodiam itaque traditi ſunt quidam de familia illorum, qui perhibentur ſectae huic addicti, num forte his teſtibus auditis aliquid certi reſcire detur. Coſcia purpuratus breui prodire ſtatuit in publicum, vtpote familiam qui colligit huiusque veſtitum non indecorum comparandum curat, quo ipſo nemini non mouet admirationem, ipſum mutaſſe animum, quem ſibi eſſe conſtanter dixit, ſe malle in caſtello vrbis noſtrae remanere, quam prodire, cum ad incitas fato aduerſo redactus ſit.

Liburno. XIII. Kalend. Mart. Manus militum, quatuor conſtans legionibus, quam Carolus dux Hiſpaniarum ex liberalitate paterna conſequutus eſt, proxime Neapolim nauibus impoſita traiicietur inque Hiſpaniam, qui illius nationis miles ibidem ſupereſt, vtque fama fert, benignus parens rex Hiſpaniarum filium principem portione rei tormentariae, quae in Italia eſt haud leui donare ſecum conſtituit. Montemarius dux Hiſpanorum ſupremus, ſub finem ſuperioris hebdomadis, Piſa venit eoque, non diu apud nos commoratus, rediit poſt breue colloquium, quod cum praefecto rerum maritimarum aliisque militiae ducibus habuit. Vix ille diſceſſerat, cum imponerentur nauibus quinque Neapolitanis, pilae ferreae, mortaria & huius generis bellica inſtrumenta ad ſupplendum vacuum Caietano & Capuano in caſtellis, quod, neceſſitate ita vrgente, olim factum fuerat inque vniuerſum haud obſcure patet id agere Hiſpanos, vt breui Hetruriae finibus excedant.

Venetiis.

Venetiis. V. Kalend. Mart. Sub finem ſuperioris hebdomadis Conſtantinopoli litterae III. Id. Jan. conſcriptae terreſtrique ad nos delatae referunt ſeditionem, quam mouere ſtuduerunt pedites militiae Turcicae grauiſſimam omnium, niſi vigilantia aulae clam decocta conſilia interrupiſſet & in puniendis auctoribus ſeveritas, qua ducentis iam & pluribus ad ſupplicium tractis trahuntur quotidie adhuc ſontes, quorum quidam in reliquorum terrorem calce viua ad internecionem decoquuntur. Quantum vero conſtat, pro auertendo maiori malo, nouus aulae purpuratorum purpuratus dignitatis ſuae gradu, quem vix conſcenderat, depulſus, in Scio inſulam exul abire coactus fuit. Iisdem ex litteris, ſpes pacis cum Perſarum imperatore militari Kulichamo, quam maxime adhuc dubia adparet, nihilominus Turcorum imperator iuſſit colligi exercitum quinquaginta millium, qui Tanaim * verſus iter maturet, mandatis inſuper datis ad Tartarorum principem, vt cum ſuis ad eum accedat.

* *Aſoff.*

Mantua Carpetanorum. XVI. Kal. Mart. Bini aduolarunt curſores, alter Nonis Febr. Haga Comitum a S. Gilleſio marchione, noſtro ibidem legato, alter Lutetia Pariſiorum ad Vaugrenanium marchionem regis Galliae apud nos legatum, quo ille accepto, ſtatim cum Keenio, qui regis magnae Britanniae legationem adminiſtrat, Patinhum, aulae noſtrae publicis in rebus a ſecretis in colloquium conuenit. Ex quo tempore cum repetita aliquoties, praeſente etiam ordinum foederati Belgii legato, fuerint conſilia, ſpes pacis indies maior adfulget. Rex Indicarum rerum chronologum primarium dixit Michaelem Herrerum Eſpoletam, quem Philippus princeps bibliothecarium inque beneficiis equitis Sacri ordinis adminiſtrandis * ab expeditionibus primariis habet. Quem rex ad arcis ſtructuram ex Italia acceſſiuit, architectus noſtra aetate celeberrimus, Gueuara, ante dies non ita multos inopinata morte exſtinctus eſt. X. Kalend. Febr. veſperi Olyſſippone aedes Dieterici Mendozae Cortereaiis, ſecretarii regii, incendio conflagrarunt.

* *Comthureyen.*

Lutetia Pariſiorum. VI. Kal. Mart. Theilius, regis noſtri extra ordinem in aula imperatoris legatus, eo rem perduxiſſe nuntiatur, vt vltima manus operi in pace conſtituenda imponatur, quam primum, aequiſſimis cum conditionibus qui Mantuam Carpetanorum abiit, curſor reuerſus fuerit, accedente & hoc, quod rex Hiſpaniarum, ad concordiam longe faciliorem ſe quam antea exhibeat. E collegio quodam ſacrarum virginum in Normannia noſtram in vrbem rediit foemina ſenio confecta, quo eam cognatione coniunctus, verens, ne ſuam, quam ipſe ſperauerat, haereditatem in alium deuoluat, plane inuitam deduxerat, productis epiſtolis, quae hanc regis ſententiam eſſe docebant. Has hae-

haeredipeta ille aureis Ludouicianis centum per alium ſibi comparauerat, ratus genuinas eſſe non lucri cupiditate fraudem ſpirantes, fraudator vero ille & falſarius in vincula raptus eſt.

Londino. VI. Kalend. Mart. Curiae regni ſuperiori exhibita eſt accurata conſignatio praefectorum noſocomii Greenwicenſis, quantum aerarii cuſtos a feſto natiuitatis Chriſti anni trigeſimi quarti ad quintum vſque vel collegerit aeris, vel in alumnorum vſus impenderit. Concluſum fuit inferiori in curia per delegatos, per annum praeſentem regi pendere ad rem militiae naualis tormentariam, librarum Sterlingicarum ducenta & ſeptendecim millia ducentas ſexaginta atque nouem, pro alumnis Greenwicenſibus decem eiusdem valoris millia, nec non quatuor & viginti millia quingentas & octodecim eorum ad ſtipendia militaria, qui emeriti audiunt. Weſtmonaſterienſes per litteras in comitiis petiere licentiam ponte iungendi Tameſim ſuamque vrbem & Lambethanam, quam ſi impetrauerint, ſumptus colligere parant ſortitione publica ducentorum millium aeris Sterlingici, quam quisque quinque libris Sterlingicis experiri poterit, niſi obicem ponant Londinenſes, quorum magiſtratus ius hoc ſibi competere adfirmat ex lege priuata, ſibi conceſſa in praemium laboris, quem maiores impenderunt in Tameſi fluuio aptando, vt naues exciperet.

Lipſia. IV. Id. Mart. Spicilegium vt faciamus votorum, quibus paſſim bene animati nuptias Lotharingiae ducis cum principe Auſtriaca proſequuti ſunt, notanda quoque veniunt ſolemnia Antwerpienſium, qui curiam illuſtrarunt lampadum ordine egregio & expoſita imperatoris imagine, ad calcem adiectis Auſtriae & Lotharingiae inſignibus, geminoque chorographo addito:

FRANCISCI ET THERESIAE FELICISSIMVM CONNVBIVM.

* * * * * *

Felix connubium! mundi cui pronuba Pax eſt,
Pax, Pietas, Genius, Relligionis Amor.
Connubio tali quae non Antvverpia ſperet?
Pacem orbi, populis gaudia, regna Deo.

Sed manum de tabula! noſtroque quid opus eſt ſpicilegio, larga cum meſſis in herba ſit & vaſtum huius argumenti opus Franciſcus Joſephus Antonius Bantl, J. V. Studioſus in academia Vindobonenſi, noſtris etiam in nouis alia occaſione commemoratus, promiſerit ſub rubro ad ruborem inſigni: *Auſtria Lotharingica ſ. Connubium felix Franciſci Stephani, Lotharingiae Ducis cum Maria Thereſia, Hiſpaniarum Infante Auſtriaeque archiduciſſa, Erotematibus Aſtronomico-Aſtrologico-Genealogico-Chronologico-Hiſtorico-Politico-Geographico-Dialectico-Philoſophico-Medico-Juridico-Theologicis, imo ex vniuerſali ſcientia deſumptis intermixtum.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XI. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. IV. Kal. Mart.

Sumuntur arma facilius quam deponuntur, & quo citius belli flamma vniuerſam corripuit Italiam, eo maiori ad incendium tam graue exſtinguendum labore opus eſt. Quaedam ex Italia epiſtolae ſtrepitum armorum plane nouum commemorant, haud ſecus ac ſi Mars ſedem ibi firmam quaereret. Rex Sardiniae totus occupatus eſt in ſupplendo exercitu, caeſariani plures praeſtolantur copias, nec minus Hiſpani in Hetruria, noſtrique dux exercitus ſupremus, Noallius mareſchallus, tam militiae quam annonae praefectis, his ad victum pertinentia, illis ſupellectilem caſtrenſem vendere vetuit. Argumentum inde capiunt, qui diſcordiarum finem quam longiſſime abeſſe contendunt, ſed fallunt & falluntur eorum ex opinione, qui difficultates ſupereſſe concedunt, negant vero & pernegant tantas eſſe, vt vinculum amicitiae aliqua ex parte conſtrictum penitus ſoluatur, ſi vel maxime promulgandae pacis terminus opinione longius prorogetur, quo nondum adpropinquante, paciſcentium quisque rebus ſuis inuigilare & ad caſus quoscunque paratum ſe exhibere ſtudeat. Interim dubia haec pax Noallio mareſchallo plus negotii quam bellum apertum faceſſit, qui arbitrum agit Hiſpanos inter & caeſarianos iterque meditatur Florentiam, vt Montemario duci concordiam ſuadeat. Theilius ad formandam pacem extra ordinem legatus Vindobonam miſſus, quantum conſtat, rem ſuam feliciter agit & perfeciſſet iam totam, niſi obſtacula indies noua poneret aula Hiſpanica, quae, inuita, vt loquimur, Minerua, ad pacis ſtudium trahitur. Caſtra proximo vere ponenda copias modo equeſtres capient, altera vero ad Rhodanum * reduces ex Italia ingredientur copiae, vt, pace conſtituta, per

agro

agros vicinos commodius diſtribui valeant.

* *Rhone.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Ceſſante, vt nuper adnotauimus, foro carbonario, cui & Greuiano nomen eſt, planities, quae ſumptibus fiet publicis, ad plateam vſque Mortellerianam deducetur. Curia quoque reficienda & ad vtrumque latus nouis amplianda dicitur aedificiis, praeterea reparanda, quae illam cingunt. Filius cancellarii Dagueſſeauii hodie in cauſa Ferrandiana coram iudicibus perorauit, multorumque ex opinione, quae vult videri filia Ferrandi praeſidis, cauſa cadet. En vero nouum dubiae haereditatis exemplum! Quae in ſcenam prodire ſolet dramatibus muſicis dedita Rabonia, veſtes, non ſine omnium admiratione, mutauit compoſuitque ad luctum mortui nuperrime cauſarum patroni eiusdem nominis Raboni, cuius ſe filiam priori ex matrimonio dicit vnicam atque haeredem, vtpote qui, matre ſua adhuc viua, cum qua, ſine tamen ſolemnibus, matrimonium contraxerat, ſecundas celebrauerit nuptias, ſed illegitimas, vt ex his qui adſunt liberi, haereditatem adire nequeant. Producere illa parat teſtimonium ſacerdotis, cuius manu ſacris chriſtianorum initiata fuit, & alterius, qui patris matrisque ſponſalia benedictione ſacerdotali confirmauit nec non pactum connubiale, quod ambo inierunt, ſui adeo tenax propoſiti, vt pro redimenda vexa, quemadmodum loquuntur iurisperiti, ſibi oblatam pecuniam accipere recuſauerit. Nouum, duobus quod abſoluitur voluminibus, ſupplementum dictionarii Moreriani * manibus lectorum ereptum eſt, continens res, quae aulae noſtrae ad palatum non ſunt. Qui haud ita pridem ad negotium conficiendum Roma venit, pontificis orator Lercarius, ſuperiori hebdomade, procurante aditum Fleurio purpurato, regis in conſpectum venit. Vterum quae fert Mutinenſis princeps noſtra in vrbe puerperium agere ſecum conſtituit, cuius maritus, princeps haeres Mutinae, Vindobonam proficiſcetur.

* *Editiones Lexici hiſtorici, quod tanto cum eruditorum adplauſu conſcripſit Lud. Morerius, ſunt ſequentes:* (1) *A. 1681. Lugd. fol. T. II.* (2) *A. 1691. Amſt. f.* (3) *A. 1699. Par. f. T. IV.* (4) *A. 1704. ibid. f. T. IV. per Vaultier.* (5) *A. 1718. ibid. f. T. V.* (6) *A. 1725. ibid. f. T. VI. Proſtant quoque Animaduerſiones criticae in illud. A. 1706. Rot. 8. Gall. Geminum praeterea ſupplementum; alterum, quod tertium conficit volumen A. 1689. Par. f. alterum, quo editiones priores illuſtrantur A. 1716. Amſt. f. T. II.*

Londino. III. Kalend. Mart. His diebus, vbi conuenerat ſenatus ſupremus, huius cum principibus cancellarius in conclaue ſe contulit Walliae principis atque paterno regis

gis nomine ex eo quaeſiuit: „Du„cere an geſtiat vxorem eamque „ex patris ſententia principem Sa„xoniae Gothanam, & quidem ſole„mnibus multis an minus? Interrogatus ad ſingula reſpondit: Sibi „non diſplicere id vitae genus in„que eo amplectendo ſe non diffi„cilem fore; Pietatem, qua ductus „nunquam non parentis ſui regis ad „nutum vixerit, legis inſtar ſibi eſſe, „quam ſequi velit, & Gothanam ſiue „aliam, quamcunque rex paterno „conſilio elegerit, principem ſpon„ſam agnoſcere; hunc denique nu„ptiarum ritum ſe adprobare, quem a „rege parente optimo probatum iri co„gnouerit.„ Quod vbi reſponſum cancellarius ſupremus ſuo cum comitatu retulit ad regem, huius ſolemnis euenit promulgatio, quod Walliae princeps principem Saxoniae Gothanam ſponſam ſibi elegerit. Concluſum curiae inferioris de abroganda lege, quam rex Jacobus primus aduerſus praeſtigiatores & veneficos ſtatuit, examinandum curiae ſuperiori propoſitum fuit. Eidem traditae ſunt litterae de recens ſtructo ad viridarium noſocomio, cuius praefectus audit dux Walliae praefectique vicarius cancellarius regni ſupremus, vt collegio canonicorum Weſtmonaſterienſium liceat huius piae cauſae in incrementum vicinum ſuppeditare agrum. VI. Kalend. Mart. qui Ruſſorum auguſtae apud nos legationem adminiſtrat, Cantimirius princeps, quam diutiſſime cum Chauignio, regis Galliae legato, colloquium habuit, de Tanai vrbe, cuius expugnationem Ruſſi moliuntur. Eodem die ſocietas cum Turcis mercaturam exercens dignitatem praefecti, quam Chandoiſius dux ſponte depoſuit, Delavvario equiti contulit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Praefectus Weſtmonaſterienſis laboris, quem in funere Buckinghami ducis praeſtitit, praemium tulit quinquaginta aureorum noſtri valoris,* quibus eum defuncti mater princeps donauit. Apud Weſtmonaſterienſes maxima poſt hominum memoriam intumeſcentia fluctuum heri plateas nonnullas innndauit, ita vt praeſes collegii cum ſuis, qui conuenerant, poſt moram aliquot horarum, nauibus opus habuerit. Pluuioſae tempeſtati praeter morem continuae tribuitur contagium, quo pecudes imprimis oues corripiuntur correptaeque ex his in vicinis agris ter mille & plures perierunt. Ante dies non ita multos tractus vrbis noſtrae Fleetenſis ſacerdos carcerem meruit, ratum qui habuit benedictione eccleſiaſtica puellae coniugium clam contractum cum iuuene, cuius tutorem agit cancellarius regni eques, tradito etiam cuſtodiae illo, quem ſponſa patrem agnoſcit. Multis perſuaſum eſt fore, vt curia publico edicto damnet huius generis clandeſtinas nuptias, quibus iuuenes nobili genere nati in dedecus gentis ſuae perniciem ſibi attrahunt.

Haga

Haga Comitum, pridie Non. Mart. Conditiones licet ignorentur, res tamen ipſa in dubium non vocatur, quod rex Hiſpaniarum, XI. Kalend. Mart. Gallorum Mantuae Carpetanorum commorantem legatum, Vaugrenanum marchionem fecerit certiorem de conſenſu, quo imperatoris Galliaeque pacem agnoſcat, eiusque documentum illi promiſerit, vt Verſaliam illud & inde Vindobonam transmittat. Mercatores noſtrae ditionis valde ſolicitos reddit, quod elector Palatinus, praeter aurum in Montanis detentum detinuerit nuperrime quadraginta & plures mercibus noſtrae nationis onuſtos currus, cauſam interſerens, violento hoc ſe fuiſſe vſum medio, qui ſolutionem pecuniae obtinere non potuerit, quam respublica noſtra a temporibus vltimi belli ſoluere neglexerit. Vindobona nuntiatur; Theilium, regis Galliae extra ordinem legatum, negotium pacis tantum non omne confeciſſe nec quid reſtare praeter tempus, quo Barrenſis ducatus ſit tradendus. Tradendum quoque ſibi expoſcit rex Galliae terras Lotharingicas ſine mora, quam leges nouae pacis definiunt, eamque redimere geſtit tribus quotannis francorum myriadibus, ſed fruſtra, niſi, vt ſpes eſt, contrahentium aliquid remittat alter, alter addat, cum dux Lotharingiae alterum tantum, nempe myriades ſex ſibi pendendas cenſeat. Ordines comitatus Hollandiae renouarunt edictum anno ſeculi decimi ſexti octogeſimo promulgatum, quo nuptiae cum defunctae vxoris nouerca vt & cum defuncti mariti vitrico prohibentur.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. V. Non. Mart. Diſſ. Philoſ. *de Vegetatione Plantarum marinarum*, ventilarunt M. CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIG, & MICHAEL MORGENBESSER, Vratisl. Litteris Breitkopffianis. pl. 5.

IV. Non. Mart. D. JOHANNES FLORENS RIVINVS P.P.& h. t. Rector Magnificus Diſpp. IX. Jur. *ad ſingulos Pand. Libros a Ludovico deſcriptos, a L. I. ad IX.* indixit Programmate, in quo *de incommodis iurisprudentiae ex praeiudiciis ac praeconceptis opinionibus*; diſſeruit. Litteris Langenhemianis. pl. 1.

VII. Id. Mart. Diſſ. Jur. inaug. *de Principiis interpretationis Legum adaequatis, occaſ. L. XVII. Dig. de LL.* propoſuit JOHANNES LAVRENTIVS HOLDERRIEDER, Leucopetr. Litteris Breitkopffianis. pl. $12\frac{1}{2}$.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XII. A. P. C. N. — PARTIC. I. CIↃIↃCC XXXVI.

Neapoli. IX. Kal. Mart. Coercendam multitudinem metu iudicat aula noſtra, quae officio contineri non poteſt, hunc in finem excubitores ſedulo pererrant vrbis vicos, ne male animati imperiique praeſentis rationem perſtringentes in ſcelus conſpirent, vtque fama fert, breui plures ſolum vertere tenebuntur. Panormum vbi venerant in Siciliam eiecti noſtro e regno Ottoianus Medicis dux atque Auellinus abbas, publico in diuerſorio ſumere coacti ſunt hoſpitium, quo eos amici excipere recuſarunt, ne quam ſibi ſuſpicionem attraherent. Pretioſa iterum varia, quae moueri potuerunt, e palatio Parmenſi & Placentino aduecta ſunt, aduectisque in vniuerſum omnibus, Dorothea princeps Parmenſis vidua ipſa ſubſequetur. Variant quidem circumſtantiae, rem tamen ipſam haud vocant in dubium de periculo vitae, quo Carolus dux Hiſpaniarum vix euaſit. Incautus ille equos currus ſui flagello incitauerat, quos niſi vi ſumma & fortuna adiuuante in alterum latus flectere nouiſſet auriga, tanto in praecipitio certo certius interitum ſibi contraxiſſet. Periculo, quod primum ipſe non ſenſerat, liberatus, vitae ſuae conſeruatorem centum donauit aureis ſolidis * & viginti ſcutatorum ſtipendio, quo ad dies vitae per ſingulos menſes fruatur. Paulo poſt reditum eius ex venatione hac periculoſa in vrbem noſtram, ex Hiſpania aduolauit curſor, vt aiunt, cum nuntio, quod rex Hiſpaniarum in pacis conditiones deſcenderit, cui tamen non reſpondet indefeſſum Martis ſtudium, haud ſecus ac ſi Hannibal ad portas eſſet.

* *Piſtolen.*

Roma. V. Kal. Mart. Superioris hebdomadis feria ſexta, Acquauiua purpuratus ex aula Hiſpanica ſibi

ſibi nuntiata per curſorem expoſuit pontifici, qui poſt meridiem eiusdem diei quibusdam nationis illius ducibus pedem oſculandum praebuit, eosque numiſmatibus argenteis donauit. Tertio poſt die mane iidem & reliqui duces omnes, vrbe noſtra relicta, ex mandato Montemarii, ſummi militum ducis, in caſtra abierunt, rumorque percrebuit, quam primum pax conſtituta fuerit, exercitum vniuerſum ex Hetruria in Hiſpaniam traiiciendum fore. Quartonus, celebris mathematicus, ſenex annorum ſex & octoginta, naturae debitum ſoluit, gaudium haeredum ſuorum, qui quadraginta ſcutatorum millia conſequuntur. Singularem denuo gratiam Anconitanis pontifex probauit ex lucro ſortitionis publicae illis offerendo duodecim ſcutatorum millia ad portum reficiendum & noſocomium, aliamque pecuniae ſummam monachi regulam profitentes S. Bernhardi apud Senenſes, qui in monaſterio ſuo ampliando occupati ſunt, acceperunt. Praeterita nocte e ſacello pontificis Quirinali ſtatuas binas argenteas octoginta pondo homo trium litterarum rapaci manu abſtulit. Superioribus diebus auriga equitis Georgiani ſuo carpento impegit fregitque alterum, quo Piccininia comes vehebatur, & hac ratione viam ſibi aperuit, aperire quam alter negauit. Aegre hoc ferens dicta comes petiit a Palombara marchione, qui die illo excubiarum praefectum agebat, vt auriga equitis Georgiani cuſtodiae tradatur, ſed ingratum tulit reſponſum, mandata pontificis carcerem poenamque definire imponendam his, qui equiti Georgiano obuiam facti leges humanitatis &, qui ipſi debetur, honoris neglexerint.

Ex eadem vrbe, eodem die. Accidit nuper, vt certamen equorum ſpectatum venientem Donghium centurionem caeſarianum famulorum publicorum praefectus auderet impellere, vt locum faceret carpento, quo procurator fiſci & pontifici a cubiculo Cordonus abbas vehebantur. Deſiliens ille carpento & ad iram merito prouocatus viae moderatorem intempeſtiuum verbis admonuit, ſpernentem monita baculo caſtigauit & iure ſuo vſus alterum carpentum poſt ſe reliquit. Magiſtratus, vbi de plagis querentem audiuit, Donghio domum ſuam carcerem ſtatuit, qui flocci habens imperium ſedis Romanae, prodiit in publicum poſteroque die drama muſicum frequentauit, quo egreſſus in carcerem ductus, ſed ſtatim dimiſſus fuit, non ſine indicio, iudicem ſeuerum poenituiſſe facti, quod ſine mora Vindobonam nuntiatum eſt per curſores diuerſos, quorum alterum Harrachius comes, imperatoris legatus, alterum qui pontifici ab expeditionibus publicarum rerum ſunt, ad Paſſioneum, oratorem in aula caeſarea pontificis, ablegarunt. Giudicius quoque purpuratus, Coiro vrbis noſtrae praefecto, ſignificandum curauit, aditum ſe concedere interea non poſſe viro, quem auctoritas imperatoris

peratoris in deteſtando hoc facinore non mouerit. Coſcia purpuratus animum ſibi eſſe thermis vtendi per litteras expoſuit Corſino purpurato, quo deprecante pontificis conſenſum, vt opinio eſt, impetrabit.

Ferraria. IV. Kal. Mart. Contagioſa pecoris lues, quae magnam in terris Mediolanenſibus ſtragem edidit, latius ſerpere coepit per ditionem pontificis inque noſtra ingentem pecoris multitudinem corripuit. Quare praemonendum cenſuit rex Sardiniae militiae Gallicae duces ſuo in reditu ad patrios lares abſtineant omni iumento ſoliſque equis aut mulis per fines Pedemontii ſupellectilem ſuam militarem deportandam curent. Gallis, Mutinae qui praeſidio hucusque fuerunt, in mandatis eſſe nuntiatur, vt vrbem non modo dictam & conterminos agros ſed loca quoque relinquant, quae in Mantuana prouincia tenent. Detecti comprehenſique ſunt Parmae adulteratores monetae & quidem nummorum, quibus apud Hiſpanos de octonario numero nomen eſt.

Lutetia Pariſiorum. VI. Non. Mart. Summopere noſtrae nationis mercatores, quorum intereſt, laetantur nuntio, quem curſor IV. Kalend. Mart. Mantua Carpetanorum Verſaliam aduentans retulit, quod Americana claſsis theſauro duarum & triginta myriadum noſtri aeris onuſta Gaditanum intrauerit portum. Eodem curſore relata eſſe perhibetur pacis a rege Hiſpaniae facta adprobatio, quodque Montiius comes rediturus ad legationem in aula Britannica adminiſtrandam, ſuo in tranſitu per vrbem noſtram documentum hoc litterarium tamdiu exſpectatum, regi noſtro exhibiturus ſit, de quo tamen alii ſubdubitant. Horum ex coniecturis, ſi vel maxime nos inter & imperatorem pax firma ſtatuatur, nouae inſtant turbae, quae etiam cauſa allegatur, cur imperator aeque ac rex noſter ad vtramque Rheni ripam exercitum quinquaginta millium alere decreverint. Poreus profeſſor rhetorices in collegio Ludouiciano VI. Kalend. Mart. Latio recitauit idiomate ſermonem de fabulis Romanenſibus, an & in quantum bonis artibus atque moribus plus obeſſe quam prodeſſe queant,* praeterque optimates alios, Polignacum purpuratum, archiepiſcopos & epiſcopos varios auditores habuit. Fontaninus abbas, ſi non auctor, certe editor ſatyrae, quae academiae Gallicae mores falſe perſtrinxit, in vrbem redux nulli adhuc conſpiciendum ſe praebet graviter reprehenſus a tribuno vrbano regia auctoritate conſtituto, ** vt cautius impoſterum piſcari diſcat.

* *Oratoris forte facundia tot tantosque viros ad ſe traxit, non certe nouitas argumenti, dudum exploſi ad nauſeam vſque a Germanis, ſpeciatim a Gotthardo Heideggero, cuius Mythoſcopia Romantica, ſ. Diſcurſus de Fabularum Romanenſium origine*

gine , frequentia , varietate, vſu & abuſu, Germanica lingua prodiit An. 1698. Tiguri. 8.

* * *Lieutenant de Police.*

Londino. VI. Non. Mart. Nudius quartus regi tradidit Borckius baro litteras regis Pruſſiae , cuius apud nos legatum agit , pollicentes fore, vt damnum reſtituatur incolis, quod Hanoueranis ſuo in itinere quidam militum Pruſſicorum duces intulerunt. Die eodem Oſorius eques, regis Sardiniae acceſſum ad pacis conditiones, & poſtero die Kinskius comes , imperatoris legatus, connubium ducis Lotharingiae & archiducis ſolemnibus epulis celebrarunt. Quos pietas mouit, quidam Gloceſtrienſium litteras ſubſcriptione firmarunt, quibus curiae regni adſcriptos permouere ſtudent ad legem condendam, ne quis naufragorum bona aut eorum, qui fluctibus iratis ad littus inuiti propelluntur , diripere ſibique vindicare impoſterum audeat. Centum atque tredecim numerantur naues, quae per menſem proxime praeterlapſum oſtium Tameſis fluuii intrarunt. Quae IV. Kalend. Mart. euenit poſt hominum memoriam vehementiſſima inundatio centenorum aeris noſtri millium damnum feciſſe perhibetur, eodemque die in agro Goldongerano comitatus Eſſexiae , intra dimidium horae, cum iactura nonnullorum hominum , Neptunus rapax decem milliarium tractum ſuo imperio ſubiecit.

Vindobona , Nonis Mart. Si cui in deliciis ſunt chronographica diſticha, ſitim ſedare poterit ſequentibus in nuptias noſtro aeuo celeberrimas , vel ideo praeſtantibus, quod verſus aſteriſco notati , raro exemplo annum connubialem ordine iuſto ita exprimant , vt collectione numerorum non opus ſit;

* Mars Dat paCe faCes, paX eXtat, VeraqVe nVbIt,
seDet Vt arMa VenVs, qVae VenVs hVIC CIerat:
* ReM Dea ConCertat , paX eXtera sVaVe sVbIntrat;
* Mars Dat & hoC beLLaX ; paX Veges Vt VIgeat.
sponſa Deo ſaCra & IoVIs InCLVta fiLIa & aVCtrIX
PaCIs Da aVſtrIaCo pIgnora ſoLa ſoLo.
* Mater aDeſto CeLer! ſoLa paX eX aXe reVIſet;
* Me DoCet hoC bona faX; paX pVer VnVs erIt.
BeLLa gerant aLII, tV feLIX aVſtrIa nVbIs,
HoC CeCInere patres , CanaqVe faMa Canet.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XII. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIↃIↃcc xxxvi.

Gibraltaria, pridie Id. Febr. Modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati praeſentis fortunae, hominis merito prudentis eſt. Minime igitur prudenter egit Tetuanus praefectus, qui nimium confiſus rebus ſecundis elatiorem ſe gerere coepit & iugum imperii excutere, quod abſolutum adfectans tantum in diſcrimen fuit vocatus fortunae, vt vix ac ne vix quidem praefecturam retinuerit. Rex Marochanus Muleius Achmetus Ali vocauerat eum ad ſe Mequineſiam deliberatum de rebus magni ponderis, breuique poſt, cum venire recuſaret, filium principem ad eum miſit. Enim vero male ſibi conſcius praefectus, aduentu huius cognito, fuga ſibi ſuisque conſuluit cumque theſauris ſuis & copiis, quas collegerat, Tangeranum in oppidum ſe recepit, quod rex Muleius Ali obſidione cinxit. Cinctus non ſatis tutum ſe fore ratus extrema experiri noluit, placauit itaque regem quinquaginta argenti centenariis atque ſpondendo tributum annuum, quod Muleio Iſmaeli regi pendere ſolitus fuerat, quibus tandem conditionibus dignus habitus fuit, qui Tetuanenſem vlterius praefecturam teneat.

Mantua Carpetanorum. IX. Kalend. Mart. Pardenſi in villa, vbi aula noſtra in praeſenti commoratur, ſolito frequentiores fiunt conſultationes, quid vero concluſum ſit, nulli perſpectum ac cognitum eſt. Pacis vero ſpem adfulgere indies certiorem vel ex eo colligere licet, quod rex in conſiliis praeſens maiori quam antea cura & ſolertia publicas res tractare incipiat, cum quo, remotis arbitris, qui colloquium habuit Vaugrenanius marchio, regis Galliae legatus, nudius tertius curſorem Verſaliam ablegauit. Binis ex nauibus, quas ex America reduces tempeſtas diuulſit, altera IV. Id. Febr. Gaditanum intrauit portum, altera Neptu-

no

no irato per fretum Herculeum ad Malaccenſes delata fuit, vtraque vero auri & argenti cuſi & non cuſi inſignem aduexit theſaurum, ſcilicet myriades quinque centena & quinquaginta & quinque millia três & nonaginta nummorum, quibus octonarius numerus nomen dedit. Qui cum his nauibus in exſpectatione fuit, prorex, Limae remanſit breuique duas vel tres eiusdem valoris myriades ſecum feret.

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Mart. Ante octiduum miſſus a Vaugrenanio marchione, legato noſtro, curſor vbi ad nos aduentarat, protinus Vindobonam alius abiit ad Theilium cum nuntio, regem Hiſpaniae, adprobata pace, adprobationis ſuae documentum litterarium, qua fieri poterit feſtinatione conſignandum promiſiſſe. Eodem ferme tempore Vindobona venit curſor, quemque attulit nuntium Ferdinandus Treuignus, regis Hiſpaniae apud nos legatus, VI. Non. Mart. aulae ſuae per curſorem exponendum duxit. Haec & alia, inprimis litterae diuerſis ex locis ad nos datae abunde docent eo rem perductam eſſe a paciſcentibus, vt vltima manus operi proxime imponi valeat, quae etiam ratio allegatur, cur neque caeſariana neque Gallicana ad Rhenum, vt fama tulit, caſtra ponenda ſint. Charoſtus abbas habitum, clerus quo vtitur, depoſuit & comitis Charoſti nomen adſumſit, quem Bethunius Charoſtus dux vnicum adhuc filium agnoſcit. Quam ille tenuit abbatiam rex contulit epiſcopo Mirapicenſi, praeceptori principis Delphini, qui dictam modo epiſcopen vacuam facere ſecum conſtituit. Nudius tertius, quae pridie eiusdem diei in acta curiae prouincialis relata fuit, lucem conſpexit regia conſtitutio, eximens Arteſiam * prouinciam a legis nouendecim articulorum, menſe Februario anni trigeſimi primi publicatae obſeruantia, in quantum illa regulam citationis peremptoriae atque donationis definit. Qui praeſidem egit comitiorum Languedociae, Farius marchio, redux in vrbem noſtram, his diebus regis in conſpectum venit eique muneris, quo defunctus fuit, rationem reddidit. Nocte, quam excepit dies III. Kalend. Mart. ad Caletum ** ruptis fluctuum vehementia aggeribus, diluuio pagi aliquot inque his homines & pecora perierunt. * *Artois.* * * *Calais.*

Londino, pridie Non. Mart. Olyſſippone nuntiantur ſolemnia, quibus Beyrana princeps, quae nondum aetatis annum abſoluit primum, in ſacello regio, habitu virginum ſacrarum, quae S. Auguſtini regulam profitentur, ornata fuit. Rex Luſitanorum vota audiuit gratulantium aulae optimatum virorumque ordinis equeſtris, & inprimis magna cum beneuolentiae ſignificatione excepit eodem humanitatis officio defungentes Norriſium, ſummum maris praefectum & quos ſecum habuit claſſis ſuae, cui praetor praeeſt, praefectos reliquos, vtpote qui nullam praetermittit occaſionem declarandi, quanti nationem Anglicanam faciat. Qui

vaſa

vaſa colligit, Kinskius comes, imperatoris in aula noſtra legatus, proxima hebdomade iter Vindobonam aggredietur. Solemnes choreas, quibus ille nuptias Lotharingiae ducis cum archiduce Auſtriaca celebrauit in palatio Sommerſetano, gens regia tantum non omnis, ſi reginam excipias, frequentauit. Rex cinctus fuit tunica talari Turcica coerulei coloris albique veſte interiori, gerens in capite cidarim * more itidem Turcico, adamantibus inſigniter coruſcantem; principes fratres, Walliae alter viri equeſtris Veneti, alter Cumbriae, equitis caeſariani armaturae Hungaricae perſonam ſumſerant; principes autem ſorores & quidem Amalia atque Carolina, haec paſtoris ouium, illa Turcici imperatoris vxores veſtitu referebant.

* *Turban.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Ad litteras, quibus irenarchae Midleſecienſes ebrietatis vitium plebis emendandum ſuaſerunt, in curia regni inferiori luce heſterna concluſum fuit onerare tributo maiori liquores facile inebriantes, vt vel inviti cogantur modice viuere, quibus res anguſta domi eſt, huiusque generis delicias vendendi licentiam nulli, praeterquam qui vini aduſti ex venditione quaeſtum faciunt, cauponariam exercent aut ſuis in tabernis potum Caffe ſuppeditant, concedere, quam certo pretio acquirant neceſſe ſit. Reginae a cubiculo qui eſt, Roberti *Montaguei* equitis coniux filiolam in lucem protulit; e contrario heri Chetwindus Beerhauen vicecomes Rathdounus baro diem extremum obiit. Caſus plane ſingularis in re matrimoniali ad iudices delatus fuit nuper his fere circumſtantiis: Quidam non infimae conditionis, quam multo labore multis ſumptibus ſibi elegerat, ſponſam vocauit in ius, quod die nuptiarum iam conſtituto contractum connubialem ſoluere nulla erubuerit. Judice cauſam quaerente, cur tam ſubito animum mutauerit, conticuit rea pauliſper, haud ſecus ac ſi nullam ſciret allegare cauſam, tandem vero incauta vel pia ex ſimplicitate in haec erupit verba: „Sponſus„ hodie accuſator meus nuper fateri„ nullus dubitauit, ſe Farinellum, „ Italum natione, cuius cantandi pe-„ ritiam omnes admirantur, haud ma-„ gni facere; Praeterea iterum ite-„ rumque mihi inculcandum cenſuit: Horam vel decimam vel vndeci-„ mam veſpertinam merito haberi le-„ gitimum tempus, quo coniuges le-„ ctum petant, choreasque, ad ſeram„ noctem quae ducuntur, inprimis„ a perſonatorum grege, viuentibus„ in matrimonio nequaquam conue-„ nire. „ Plures diuortii voluntarii cauſas enumerare ſibi facillimum fore dixit, ſed ſufficere praeſentes ſatis praegnantes, ne iudicum patientia abutatur, ita certe comparatas, vt iure meritoque ſe repulſam dediſſe ex aequo & bono ſententiam ferant. Exornandae ſunt quam ocyſſime naues, quibus gens regia vtitur, abiturae, quam primum viſum fuerit

ad

ad Belgicum littus, vt eas, cum omni comitatu ſuo, conſcendat Saxoniae Gothana princeps, quam dux Walliae ſibi ſponſam elegit. Naues octo bellicae claſſis Norriſianae, quae Olyſſipone reuertentur, ſine mora omni adparatu ſuo priuandae dicuntur.

Haga Comitum. III. Id. Mart. Vera omnes latet cauſa diſſenſus rempublicam inter ſuborti & electorem Palatinum, qui iterato quatuor currus noſtrae nationis mercibus onuſtas detinendos detentosque Düſſeldorpium deducendos curauit. Diſſenſus quoque propullulaſſe dicitur ordines inter Friſiae orientalis quique huic praeeſt ducem Arauſionenſem, quo vero de argumento, aut quo feruore, exploratum minus ac cognitum eſt. Nemo mirabitur dubias ſoepe & incertas eruditorum de haereticis antiquiſſimis ſententias, cum non conueniat inter omnes, quid de hodiernis apud nos Libertinis, * ſi exoſo, vt in hoc ſtudio moris eſt, liceat vti vocabulo, ſtatuendum ſit. Quantum ad hunc vsque diem explorare licuit, non precibus, non hymnis, ſuis vtuntur in conuenticulis, ſed cibo potuque &, ſine haereſeos crimine, fumo tabaci, iusiurandum dixeris nullum de non prodendis arcanis, arcana cum ipſi ignorent. Suſpicionibus itaque agendum alii putant, neſcio quem latitare Fanaticiſmum, quod nitantur in vetitum, quod in locis remotisſimis conuentus inſtituant prohibitos, quod poenam non extimeſcant, adeo pertinaces, vt, ſi fabula vera eſt, quidam perſecutionis participes fieri qui geſtiunt, in Angliam profecti in album ſocietatis huius nomina ſua inſcribenda curauerint.

* *Freymaeurer.*

Vindobona. VI. Id. Mart. Architecturae militaris tribuni vicarii Weisſius atque Pletzgerus ad altiorem dignitatis gradum adſcenderunt meritis ſuis & inprimis mappa geographica Daciae mediterraneae ſiue moderni principatus Tranſyluaniae, quam imperatori exhibuerunt. Ne facile obliuioni dentur celebres, quas vidimus, nuptiae, variis ingenii luſibus, ſummi, velut de palma, certant viri, in his nonnemo ſcripſerat:

PVGNATVM SATIS EST. AVGVSTI FILIA NVBIT.
DORMIRE VT POSSIT DVLCIVS, ARMA SILENT.

Cui, non contradicendi ſed illuſtrandi ſtudio ductus Johannes Carolus Newenſteinius, poeta aulae caeſareae laureatus, cuius de eodem argumento elegantiſſimum nuper exhibuimus carmen, ſequens oppoſuit diſtichon:

FALLERIS, O BONE VIR! AVGVSTI FILIA NVBIT.
DORMIRE VT POSSIT DVLCIVS, ARMA DECENT.

Conſtantinopoli relatum accepimus, Ismaelem, aulae purpuratorum principem, pulſum dignitate & Scio eiectum in inſulam, nactum eſſe ſucceſſorem, virtutibus, vt aiunt, non imparem, Kaimakam, forte nec imparem fato, quod vrbis totiusque imperii Turcici ſtatus admodum turbulentus minatur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIII. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. III. Kal. Mart. Quemadmodum leges egregiae & exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gignuntur; ita conſuetudo apud nos mala occaſionem praebuit in gratiam bonorum conſtituendi novum magiſtratum, qui cognomine bonus adpellabitur. Huius erit omne ſtudium, omnem induſtriam adhibere, vt luxum cohibeat, quo plures, ſoepe etiam diuitiis omnibus adfluentes, ad incitas rediguntur, ceduntque foro; vt in oneribus quibusdam publicis ferendis clerum ciuibus reliquis parem ſtatuat temperando immunitates, quas ſibi nimias ſumſit; vt denique commercium, inprimis maritimum priſtino flori reſtituat, quem in finem quinque naues aedificari coeptum eſt. Collegio huic ſiue magiſtratui praeerit praeſes curiae fiſci, nomen & omen habens, Paternus marchio eique bini procuratores fiſci Matthaeus Ferrantus & Vincentius Hippolitus, nec non duces totidem S. Angelus Imperialis & Cutola Papacoda, collegae dabuntur, qui ſemel iterumque iam cum ſenatu publicarum rerum agitarunt conſilia. *Sub finem hodie Bacchanaliorum*, quibus formula, caro vale, vulgo nomen dedit, S. Stephanus, comes, ludos choreasque ſolemnes inſtituit, quas frequentauit, ſumpta hortulani perſona, ipſe dux Hiſpaniarum Carolus dictique modo comitis hoſpitis nurum & filiam nec non Siluae atque Montalegrii marchionum coniuges in choreas prouocauit. Militiae Hiſpanicae duces omnes, ex ordine autem equeſtri Neapolitano Stiglianus Colonna princeps & Fuſcalda Spinellus marchio inuitati aderant. Mortuo nuper archiepiſcopo Panormitano Paretto Carolus Hiſpaniae dux Roſſum ſucceſſorem ſurrogauit. Ex quo tempore nouiſſimus ex Hiſpania curſor aduolauit, fama percrebuit, pacem certo certius conſtitutam & quidem

pridie

pridie Non. Mart. publicandam eſſe. Cui tamen non reſpondet bellicus qui ſit adparatus, Caieto etiam electo loco, quem ad arma vocati petant milites.* Aurum argentumque cuditur valde multum imaginem ſiſtens Caroli Hiſpaniarum ducis, ex quo pacem inſtare coniiciunt alii, alii vero, quod ille nummos proiiciendo per vicos vrbis equo vectus popularem gratiam ambire ſtatutum cum animo ac deliberatum habeat. * *Waffen-Platz.*

Roma. V. Non. Mart. Per omnes pontificis prouincias iubilaeum, vt vocamus, indictum eſt & promiſſa peccatorum venia omnibus, qui Deum exorare precibus allaborauerint, vt clementiſſime auertat contagium bovinum, quod in Ferraria & Romandiola ſaeuire coepit. Nocte, quae diem ſequebatur III. Kalend. Mart. furtum quia commiſſum fuit, auri nimirum, quo, in conclaui pontificis anteriori, aulaeum ianuae illiſum erat, de hoc & nuperrime e ſacello Quirinali ſubreptis ſtatuis argenteis mille & ſexcentorum ſcutatorum, litterae adfixae valuis proſtant patentes, quibus praemium trecentorum ſcutatorum promittitur nuntianti auctorem ſceleris, etiamſi ipſe facinus quocunque modo adiuuerit. Nec terruit hos nebulones ſeueritas poenae, qua animaduertitur in putrida ciuitatis membra, cum iterata vice ſuperioribus diebus ad remos damnati duo & ſeptuaginta Centumcellas * delati ſint, in his Monterotundo oriundus Paulus Amoroſius, qui falſa conſignando documenta quaeſtum fecit. Nudius quartus Acquauiua purpuratus colloquio gauiſus pontificis repetita gratiarum actione expreſſit gaudium, quod rex Hiſpaniarum cepit ex collata filio principi Ludouico purpura, qui gratum vt teſtetur animum in ſedem Romanam, decreuiſſe traditur purpuratos impoſterum ſalutare eminentiſſimos atque reuerendiſſimos, praeter morem regum, qui eos ſaltem illuſtriſſimos & reuerendiſſimos adpellare conſueuerunt. Per curſorem hodie mane ſenatus publicarum rerum factus eſt certior, quod Germani Ferrarienſium e finibus diſceſſerint. * *Ciuitauecchia.*

E finibus Longobardiae, Nonis Mart. Parmenſes ſpes alit certa fore, vt menſe Maio aut citius Hiſpanos excipiant Germani, quo facto, vt fama fert, Dorothea princeps vidua Bononiam ſibi ſedem eliget. Florentiam quotidie plures ingrediuntur duces militiae caeſariani, e contrario Hiſpani parant abitum ex Hetruria vniuerſa, quorum primitiae Liburno ſoluentes Portum Longum atque Neapolim iam traiectae ſunt. Adulteratores monetarum bini apud Parmenſes nuper comprehenſi, nummos, quibus Hiſpani de numero octonario nomen dedere, tanta peritia fingere nouerunt, vt a genuinis vix ac ne vix quidem diſcerni valeant. Ferrarienſes praeter ſpem atque opinionem Germanos vlteriori excipere coguntur hoſpitio, Gallos impediente viarum difficultate, quo minus

nus

nus Mantuanam atque Mediolanenſem relinquant prouincias easque ſucceſſoribus vacuas reddant, quae etiam coeli inclementia, allegatur cauſa, cur Hiſpani, vt animus ipſis fuerat, ſua Mirandulae ex oppido praeſidia non eduxerint. Lues pecoris Mediolanenſi in agro ceſſauit penitus, e contrario in Cremonenſi & Mantuana ditione ſubita morte hominum quam plurimi corripiuntur.

Lutetia Pariſiorum. VII. Id. Mart. Non poteſt non grata atque accepta eſſe concordia, qua pacis negotium cum aula Vindobonenſi tractare nobis licuit, ſine arbitris, ſine conuentu ſolemni, in quo minutiſſima quaeque moram ſolent iniicere, quicquid videatur Hiſpanis aut aliis, qui hunc exoptaſſent. Nouiſſimum omnium, de quo ſermones caeduntur, regis Hiſpaniae eſt ad dictae pacis conditiones acceſſio, de qua ſuſpicionibus quidem agitur tantum, ſed certioribus quam antea, vel ideo quod cognitum ac perſpectum habeamus, Montemarium, ſummum in Longobardia exercitus Hiſpanici ducem, accepiſſe mandata, vt Hetruriae locis educat copias, iis exceptis, quae ad maris littus Carolus princeps conſequetur, idemque, qui mandata haec, curſor ex Hiſpania nuntium ſimul de regis Hiſpaniae conſenſu ſtudioque pacis ipſi attuliſſe perhibetur. Senatui ſanctiori noſtro ab expeditionibus curſoriis quidam ſuperioribus diebus Italiam petiit, quantumque coniicitur eo iam peruenit, Noallio mareſchallo regis expoſiturus ſententiam de vacuis faciendis terris, quas caeſariani ex legibus noui pacti occupabunt. Hiſpanorum equeſtres copiae, terreſtri itinere, per Galliae terminos in patriam reuertentur, nec forte ad Rhenum fient proximo vere caſtra, vel certe minus ampla, eum potiſſimum in finem, vt equitatus reliquias pabuli conſumat. Prima currentis hebdomadis feria, in praemium virtutis per bellum modo compoſitum exhibitae, rex numero plures militum duces optime meritos in ordinem equeſtrem Ludouicianum legit, quosdam etiam ſtipendiis annuis donauit. Figeaco, quod tractus Caducenſis* eſt oppidum, nuntiatur, V. Id. Febr. incolam pagi Carbonierii diem obiiſſe ſupremum, qui centum ſeptem & viginti annos viuendo attigit.

* *Queroy.*

Londino. VII. Id. Mart. Praeter inſignem aeris copiam, cuius nuper calculum dedimus, regi in curia inferiori nudius tertius concluſum fuit dare librarum Sterlingicarum ſex & quinquaginta millia ducentas & quinquaginta, vt ſuppetant per annum currentem ſtipendia militaria, quibus auxilia Danorum aluntur; ſex & quadraginta millia ſeptingentas & octoginta, vt habeant vnde viuant militiae praefecti, qui nullam amplius terra marique operam praeſtant; tria millia octingentas octo & viginti horum prouiduis, tandemque vnum & viginti millia nonaginta & ſex ad ſupplendam pecuniae ſummam, quae definita erat, ſed caſu in aerarium non rediit anno, quem proxime abſoluimus. Luce heſterna

heſterna patres conſcripti curiae ſuperioris, concluſum inferiori in curia factum per delegatos examinarunt, examinatum adprobarunt, abrogandam ſcilicet eſſe legem publicam, regnante Jacobo primo, pro more illius ſeculi, conſcriptam nimio rigore aduerſus magiae illicitae cultores, ſufficere iudicantes, quod praeſtigiis qui fallunt & falluntur, ex legibus ordinariis iudicisque arbitrio nihilominus puniri queant. Quo facto, praelegebatur eiusdem ferme argumenti lex, quae olim ſub Maria regina Scotiae in curia condita fuit. Naues Liburnicae, quibus gens regia vtitur, ad manus iam ſunt, vt ad Belgicum littus excipiant Walliae principis ſponſam, termini vero ſolutionis noſtro de littore ad VIII. Id. Apr. differre conſultum viſum fuit, ſuadente anni tempeſtate praeſenti, quae nauigantibus periculoſa atque vt plurimum procelloſa eſſe ſolet. Quod fatum experta eſt cohors integra militaris &, magna pars alterius Hargravianae legionis, quae Briſtolio Waterfortum Hiberniae ad portum tendens naufragium fecit, quo bini centuriones militesque gregarii ſeptuaginta & ſex miſere perierunt. Haec dum ſcribimus, aulam frequentantium ex ore haurire datur, Delewarium equitem a rege electum eſſe, qui Gotham proficiſcatur, pronubum agat ſponſamque Walliae principis ad nos comitetur.

Vindobona, pridie Id. Mart. Quam ſera recolet poſteritas, memoriam connubii apud nos celebrati, nec a nobis tam facile obliuioni poſſe dari nemo mirabitur, aut meminiſſe vitio vertet. Gratulantium in numero erat alma quoque noſtrae vrbis academia, interprete Pro-Rectore D. Oppenrittero, qui ſuum ſequenti obſignauit diſticho votum:

Dux magne, archiducem Tibi, quam dedit Auſtria ſponſam,
Cæſaris hæc nunc eſt filia, Mater erit.

Latio reſpondit pariter ſermone archidux ſponſa: *Gratum nobis accidit, quod alma Vniuerſitas ſe noſtri memorem hodie ſiſtat. Si clementiſſimus Deus nobis benedixerit, non tantum bonae patriae, ſed etiam Vniuerſitati addictae erimus, eique gratiam & beneuolentiam noſtram adprobabimus*; Sponſus vero dux Lotharingiae: *Gratias ago Domino Decano & Celeberrimae Vniuerſitati pro humanitate mihi facta, &, quantum in me erit, huius affectus memor ero.* Cuius etiam feſti monumentum dixeris catalogum clauigerorum aulae caeſareae, qui paucis poſt diebus, nempe XI. Kal. Mart. publicatus ordine alphabetico ita ſe habet:

Carolus Rudolphus Aichbügelius, Immanuel nec non Thomas & Michael Wenceslaus Althanii, Antonius Ferdinandus Athimiſius, Philippus Arco, Ahrembergius, Hieronymus Albanus, Antonius Argenteauius Mercius, comites.

Ferdinandus Breunerus, Franciſcus Bouquoy, Paulus Balaſſy, Jobſtus Weinhardus Antonius Barba Waxenſteinius, Otto Leopoldus Beeſius, Adamus Bathyani, Vlyſſes Maximilianus, Broune & Camus, comites, Bournonuillius marchio.

Reliquorum nomina proxime dabimus.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIII. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↃ IↃCC XXXVI.

Olyſſippone. XVI. Kal. Mart. Simultate laborantibus facile patet etiam leuiſſima occaſio vindictae ab his ſumendae, quos odio proſequuntur. Huiusmodi nuntium his diebus attulit nauis tabellaria, quae Sinu Omnium Sanctorum Braſiliano ſoluit, quod Hiſpani binas noſtrae nationis naues expugnarint, quarum altera dicto ex portu, altera ex Janeirano exierat. Cuius facinoris vera latet cauſa, nec firma ſatis eſt, quam Hiſpani allegant, quod vtraque vetitum ad littus Hiſpanicae ditionis Americanum exercere commercium ſuſtinuerit, quo ſub titulo multum damni Anglis datum haud raro fuit.

Mantua Carpetanorum. III. Kalend. Mart. Santobuonus abbas mitram, purpuratorum inſigne, horum in numerum lecto Ludouico principi regio oblatum venit ad nos Roma VIII. Kalend. Mart. quem Corſinus princeps cum pileo ſubſequetur proxime, quo purpurati ſua tegunt capita. Caſtellae ſenatus praeſes praeterita hebdomade Toleto in vrbem noſtram rediit, quo abierat, vt nomine Ludouici principis archiepiſcopatum occuparet. VI. Kalend. Mart. Patinhus, publicis in rebus a ſecretis, legatis Anglorum Belgarumque regis noſtri expoſuit ſententiam, quod ad inſtantiam vtriusque nationis praeliminares agnouerit articulos pacis, quam imperator cum Galliarum rege iniit dederitque mandata ad Montemarium, ſummum exercitus ſui in Italia ducem, vt terris, quae nouo ex pacto imperatori debentur, copias ſuas educat reportandas in Hiſpaniam nauibus octo bellicis, quae Gadibus * hunc in finem eo curſum dirigent. Montiius comes, legatus apud regem magnae Britanniae, menſe demum proximo Londinum proficiſcetur.

* *Cadix.*

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Mart. Transactiones Vindobonae felici gau-

dere ſucceſſu relatum accepimus tantique ponderis in negotio conficiendo omnem operam & induſtriam ponunt aulae noſtrae adminiſtri, vel ideo, quod aerario quam maxime conducat parcere ſumptibus, quos impendere opus eſt per omne tempus, quo ſocer regius in ſeptentrionis partibus degit. Convenit Theilium inter legatum noſtrum in aula Vindobonenſi & huius cancellarium ſupremum, Sintzendorffium comitem, de euocandis militibus noſtris ex agro Mantuano, vt caeſariani ſuccedant, quos in terris ſedis Romanae moleſtos admodum hoſpites eſſe nemo neſcit. Deprecandi pro pontificis incolis ſuſcepit munus Lautrecus comes, quem Noallius mareſchallus ad Kheuenhüllerum comitem, caeſarianae militiae praetorem, ablegauit, vtpote qui conqueruntur, quod tribunorum quisque ad victum ſibi comparandum quotidie imperiales quadraginta & pro dignitate ſua reliqui duces non minus grauem exigant ſummam, ſique res ita ſe habet, tanto onere preſſis vix per decennium vires recolligere dabitur. Sedani Kalendis Mart. centum atque nouem natus annos vita defunctus eſt Johannes Maucomblius, frater germanus Cretae viduae, quae pariter longaeua Kalendis Nov. anni proxime praeterlapſi centum atque vndecim annos nata viuere deſiit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Non omnibus cum liceat adire Corinthum ſexuique ſequiori frequentare virorum ſolemnes congreſſus, fraudem moliri non dubitauit ludis ſcenicis operam dare ſolita Petitpaſſa, quam Bonnierius ſecum in Languedociam ſumſerat. Quae cupidine ducta ordinum illius prouinciae videre concilium, ſumpto abbatis habitu, epiſcopi cuiusdam ad latus ſubſtitit ſuaque garrula lingua nec incultis moribus adeo eum mouit, vt ille abbatem hunc laruatum ad conuiuium adhiberet, in quo callida tam ſtrenue ſuam egit perſonam, vt, ſi vel maxime omnium oculos ad ſe traheret, agnita non fuerit praeterquam Bonnierio, cum quo familiariter viuere conſueuit. Quam hiſtoriam in ſuccum & ſanguinem conuertere qui apud nos ſtudent, iocoſam fundunt quaeſtionem: Quis formoſum huiusmodi abbatem non lubens vicarium ſibi expeteret? Sponſa, quam nuper commemorauimus colaphis ad fores aedis Euſtachianae exceptam fuiſſe a ſponſo, cauſa aduerſus hunc fierit, qui damnatus ad deprecationem iudicialem praeterea matrimonium reſpuenti ſex aeris noſtri millia coactus eſt ſoluere, eſt vero illi Barreae nomen, quae mercatorem noſtrae vrbis patrem agnoſcit. Tandem compertum eſt, interfectum nuper abbatem fuiſſe miniſtrum eccleſiae ad aedem S. Germani Antiſſiodorenſis, * pulſum officio, quo ſe indignum reddidit conuerſatione ſcandali pleniſſima cum vxore chirurgi, cui falſus accuſator carcerem erogauit. Erogatas hunc in finem litteras qui habuit amicus in-

integerrimus clam monuit, vt fuga ſibi conſuleret, qua vbi ſe ſubduxerat, famulus publicus eum qui comprehenſum miſſus fuerat, dictum abbatem offendit, quemque putauit, maritum in cuſtodiam rapere voluit. Qui cum non deſiſteret ſuam poſthac frequentius inuiſere amaſiam, interitum ſibi attraxit, non ſine ſuſpicione caedem iuſſu chirurgi peractam fuiſſe, cum illa non procul ab aedibus eius euenerit, ipſe vero per dies aliquot hominum oculis ſe ſubtraxerit. * *Auxerrois.*

Londino. III. Id. Mart. Natalem heri reginae multis ſolemnibus celebrauimus ſubque veſperam curſor aduentauit, quem Lutetia Pariſiorum, noſter ibidem legatus, Waldegrauius eques ablegauerat. Ambroſium Stanyfordium rex dixit conſulem ſiue praefectum nationis noſtrae, quae Alone * in Valentiae ad mare mediterraneum oppido mercaturam exercet. Qui legatus & pronubus Gotham proficiſcetur, praeſenti adhuc hebdomade iter aggredietur, rebusque feliciter geſtis, Vindobonam, vt aiunt, petet, vt de nuptiis ducis Lotharingiae cum archiduce gratulantis munere defungatur. Pons, quibus Tameſis fluvius Weſtmonaſterium inter & Lambethum iungetur, latus pedes quatuor & quinquaginta, arcubus vndecim conſtabit. VII. Id. Mart. Saluator recutitus, lapidum pretioſorum explorator acutiſſimus, exſpirauit atque centenorum aeris Sterlingici millium haereditatem reliquit.

* *Alicante.*

Haga Comitum. XIII. Kalend. Apr. Nemo non cupiditate flagrat cognoſcendi, quo ſucceſſu negotium Manhemii conficere dabitur Burmanniae, repetitum miſſo pecuniam mercesque, quarum mercatores noſtri in Montanis iacturam fecerunt, maxime cum elector Palatinus praedam hanc ſuos in vſus iam conuerterit. Accedit & hoc, tanti non eſſe ſummam ex calculo vectigalia exigentium, quanti eam mercatores ordinibus foederati Belgii ſignificarunt eſſe, dubioque procul quod mercatores non indicarunt vectigalium exactoribus, repetendi facultas non dabitur, his fraudem allegantibus, qua illi leges antiquas violare laborauerint. Rex Galliae licet impetrauerit ab imperatore, vt Commerciacum vna cum Lotharingia ſibi tradatur, de huius tamen reditibus annuis nondum conuenit inter paciſcentes, cum quatuor ſaltem aeris Gallici myriades offerat, quinque autem dux Lotharingiae poſtulet. Dux Arauſionenſis ſub initium proximi menſis demum Groeningam ſolemni cum pompa intrabit, quo etiam tempore ſua cum coniuge noſtram ingredietur vrbem, vt Gothanam principem, principis Walliae ſponſam, ſuo in tranſitu ad Anglos ſalutet.

Vindobona. XVI. Kal. Apr. Rumor qui percrebuit, imperatorem ſtatutum cum animo ac deliberatum habere iter ſuſcipere in terras Rhenanas proximo vere hacque occaſione colloquium inſtituere cum

Gallia-

Galliarum rege, qui Argentoratum eodem tempore venire decreuerit, omni plane fundamento caret. Exactiones noui tributi in terris haereditariis per annum praeſentem continuabuntur quidem, non tamen pendendi de ſalariis ſed facultatibus ſaltem, quibus quisque gaudet parique ratione ſupplementum exercitus quinque & viginti millium colligendum dicitur. Inter alia, quae rex Sardiniae in paciſcendo mouet dubia, non vltimum meretur locum, quod ad compenſandos belli ſumptus ſibi debeantur Mediolano Ticinum & alia in loca translata fuere hisque expugnatis iure belli occupata tormenta, quorum nonnulla tempore Caroli quinti imperatoris fuſa deprehenduntur. Clauigeri nuper electi quo ſe inuicem honoratiore excipiant loco, nondum plane definitum eſt, quidam vero iam fidem iureiurando dederunt. Sunt vero, quo coepimus ordine alphabetico, ſequentes:

Joſephus Ciceri comes, Jacobus Caracciolus princeps S. Boni, Johannes Carolus Coteckus, Andreas Joſephus Cohari, Vinciguera Cobalto, Carolus Stiglianus Caraffa, Johannes Carolus Caroninus, Johannes Antonius Clarius, Antonius Colloredus, comites; Caponus marchio; Johannes Ciaralt y Santa Coloma; Franciſcus Caprara, Henricus Churſchwant, Jeremias Caimus, Marquardus Willibaldus Schenck Caſtellus, comites; Ferdinandus Johannes Clam baro; Leopoldus Daunius comes; Johannes Doria marchio; Carolus Joſephus & Franciſcus Wenceslaus Defourii, Gotthardus Joſephus van der Nath, comites.

Paulus Antonius Eſterhaſy princeps, Joſephus Eſterhaſy, Franciſcus Fridericus Engel, Ludouicus Erdoedius, comites.

Erneſtus Auguſtus Falckenhahnius comes, Franciſcus Lactantius Firmianus baro, Otto Franckenbergius, Hieronymus Fieſchius, Joſephus Friedbergius, dapifer imperii haereditarius, Adamus Franciſcus Fugger Kirchbergenſis, comites.

Sigismundus Gonzaga dux; Antonius Gaysrück, Ladislaus Gythlaffus de Latoth, Stephanus Ghylay, comites; Gaurius marchio.

Franciſcus Sigismundus Herberſteinius, Franciſcus Michael Halleweilius, Johannes Erneſtus Herberſteinius, Fridericus Wilhelmus Haugwitz, comites; Theodorus Hangsleder baro; Alphonſus Hercolanus dux; Franciſcus Joſephus Heiſſenſteinius comes; Joſephus Leopoldus Hallerſtein baro; Heninus ſummus militum dux; Hercelles marchio, Haller Hallerſteinius baro.

S. Ignon dux militaris ſupremus, Johannes Philippus Ingelheimius, Wolfgangus Sigismundus Jaxtheimius, barones.

Quorum reſtant nomina, proxime dabuntur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIV. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli, pridie Non. Mart. Si felicem dixeris rempublicam, quae tempore pacis de bello cogitat, quanto feliciorem, quae bello finito ita deponit arma, vt ea, nouis ſubnaſcentibus turbis & ex improuiſo ſurgente hoſte, reſumi facile queant. Tantum enim abeſt, vt, pace imminente, Mars ſileat omnis, vt potius non minori quam hactenus ſtudio colatur, replendo munitiora loca neceſſario belli adparatu & conſcribendo tyrones, quibus legiones ſupplebuntur. Collecta quoque ad manus ſunt nauigia, quotquot conquiri potuerunt, eum in finem, vt aiunt, qui firmam ſibi pacem fore perſuadent, vt equeſtres excipiant inque Hiſpaniam traiiciant copias, ſine tamen equis, quibus noſtrae legiones ad iuſtum numerum reſtituendae dicuntur. Multorum ex coniecturis die S. Joſephi pax publicabitur, publicata hac, rex vtriusque Siciliae qui ſalutabitur, Carolus, legatos ſuos & quidem Londinum S. Minardum ducem, Vindobonam Carigliaunm principem, Olyſſipponem Marigliani principis filium Romamque Santobuonum ducem mittet. In tabulario publico omni ſolertia excutiuntur monumenta antiquitatis litteraria, minus adplaudente noſtrae vrbis regnique totius clero, cui certis in caſibus idem, quod reliquis ciuibus, tributorum genus imponendum fore perhibetur.

Roma. VI. Id. Mart. Ante octiduum ex aedibus Cartoli marchionis in foro, vt vulgo adpellatur, Hiſpanico ſuſtulerunt fures quinquies mille ſcutatorum pretio venientem adparatum pecuniae veteris & numiſmatum, poſteroque mane Altierii principis in palatio ciſtula reperta fuit. Gens Corſinia nouiſſime ſtructum Liuii Caroliſii Corſi palatium cum omni, qua abundat, ſupellectili pretioſa, centum & quinquaginta ſcutatorum millibus emit vicinasque nonnullas ædes emptionis iure ſibi comparare nititur. Ponti-

fex

ſex Stellam ſupremum vrbis Beneuentanae praefectum conſtituit. Acquauiua purpuratus per curſorem Mantua Carpetanorum accepit deductionem ſatis prolixam, qua rex Hiſpaniarum ſua in Parmam, Placentiam atque Hetruriam iura defendit, eamque dictus purpuratus quibuscunque diſtribuendam cenſuit. Pariter purpuratorum collegio Antonius Broggius, procurator fiſci, exhibuit ſcriptum de iuſte incarcerato Donghio centurionis vicario caeſariano, vtque fidem faciat dictis, decem teſtes produxit.

Genua. VI. Id. Mart. E caſtris quibuscunque profugos ſuſcipit ſuisque immiſcet respublica copiis, quibus Corſos rebelles ad obſequium perducere conabitur. Ante vero quam vis ſumma adhibeatur, placuit Riuarolae equiti, reipublicae apud inſulanos a commiſſionibus, lenioribus vti mediis ablegando ad eos Corſum natione Ferrandum abbatem, ephorum qui olim egit familiae nobilis, quam S. Aignanus dux, regis Galliae legatus, Romae alit, qui eos permoueat, vt vnum de principibus ſuae factionis ad tranſigendum mittant. Sed hactenus fruſtra, elatius ſe gerentibus male in rempublicam animatis, cum ſua in poteſtate habeant loca in planitie ſita omnia viasque, quae Baſtiam atque Balagnam ducunt, vt ipſis inuitis nihil cinctis vndique ſupportari queat. Noſtris in terris ratio iam habetur itineris, quod Hiſpanorum equitatus ſuam in patriam aggredietur, conductis inſuper nauibus adhuc pluribus, quae rem eorum tormentariam e portu Fani S. Petri ad arenam Barcinonem partim, partim Neapolim transferat, quam Montemarius dux eo conferendum curauit. Ad hunc, prima huius hebdomadis feria, venit ex Hiſpania curſor & pridie alius Neapolim tendens, relicto epiſtolarum faſciculo, qui ad legatum regis Hiſpaniae apud Venetos ſpectabat.

Venetiis. XVI. Kalend. Apr. Sub finem praeteritae hebdomadis terreſtri itinere ad nos Conſtantinopoli perlatae ſunt litterae pridie Non. Febr. datae, quibus nuntiatur, quod nouus aulae purpuratorum princeps ſolemnem in vrbem diſtulerit introitum, donec ad finem perductum fuerit ieiunium magnum, quod Turci ſua lingua Bairam adpellant. Die, quo hebdomadem cultu diuino auſpicati fuimus, Correrius, vrbis noſtrae archiepiſcopus, pontificis, qui nuper aduentauit, oratorem prima omnium vice ſalutauit. Mediolanenſes toti exoptant diem laetum, quo Germanorum ſibi frui liceat praeſidio, peregrino dimiſſo, quod peſtis fuit vrbis & prouinciae tanta, vt maioribus ciues eneruare non potuerit oneribus rex Sardiniae, ſi vel maxime a primis belli initiis fati futuri augurem egiſſet, ſibi in his terris temporarium ſaltem imperium fore. Quem ipſis imperator daturus ſit praeſidem ſupremum, non liquet, infelicitate autem temporum ſuis depulſi muneribus eadem rurſus occuparunt. Dicitur rex Sardiniae dediſſe mandata ad Cabaneſium marchionem, maneat in praefectura caſtelli

ſtelli Mediolanenſis, donec Galliarum rex promiſſas nupero pacto prouincias bellique ſumptuum reſtitutionem ſpondeat. Contagium bouinum latius ſerpere coepit ad Nouarenſes, in Pedemontanis vero vim omnem exercet & indies maiorem ſtragem edit.

Lutetia Pariſiorum, XVII. Kalend. Apr. Idem qui publicae fuit, eccleſiaſticae quoque pacis ſalutari cupit autor Fleurius purpuratus famaque percrebuit de pontificis edicto, quo diſſidentes in religionis capitibus conciliabuntur, ſi conciliatio vera locum habet in animis horum, qui in rebus theologicis ſententiarum diuortia fecerunt. Edictum hoc pacificatorium duodecim abſoluetur articulis, quibus, dum viueret, Benedictus decimus tertius pontifex explicationem conſtitutionis *vnigenitus* dare in animum induxerat, contrahendis ad numerum octonarium, ita comparatis, vt pars litigantium vtraque eos, ſi velit, agnoſcere poſſit. Montis Peſſulani * epiſcopus, vt ſymbolum ſuum conferat, prouocandus traditur, qui litteris ad pontificem datis ſe auctorem eſſe negat ſcripti, quod aulam Romanam adeo offenderat, vt eius ex ſententia igni daretur. Beſenoalius Bronſtatus baro, ſummi militum ducis vicarius & legionis Helueticae tribunus V. Id. Mart. anno aetatis ſexageſimo ſexto celeri morte extinctus eſt. Rex opera eius vſus fuit in variis ad ſeptentrionem aulis, quamque tenuit e dignitate tribuni quinquaginta quotannis aeris noſtri millia redeunt. Longaeuior quoque & quidem annorum quatuor & nonaginta ſenex Barbinus, cauſarum in curia prouinciali patronus, VIII. Id. Mart. vitam cum morte commutauit. * *Montpellier.*

Londino. XVII. Kal. Apr. In curia inferiori luce heſterna concluſum fuit regem adire per litteras, vt pactum de commerciis, cum Ruſſorum auguſta XIX. Kalend. Jun. anni trigeſimi quarti initum Petroburgi, patribus conſcriptis perluſtrandum exhibeatur praetereaque altera vice praelegebatur concluſum, quo nuptiis clandeſtinis obicem ponere conſultum videtur. Ex calculo, quem Chorkius curiae tradidit, aes alienum, quod natio noſtra contraxit, librarum Sterlingicarum ſeptem & quadraginta myriades, nongenta viginti & octo millia ducentas nonaginta & octo conficit. Accidit his diebus, vt pugnis concertantium rabie canina actus alter alterius labium auulſerit ſuperius dentibus, dignus qui in carcerem raperetur, verum reſtitutione in integrum non habente locum, laeſus cum laedente rediit in gratiam, labiumque decem vbi vendidit aureis ſolidis * deprecando apud iudicem ipſe amicum reconciliatum in libertatem vindicauit, ſaluo iure, vt labium inferius ſibi pluris vendere liceat.

* *Guineen.*

Lipſia. III. Non. Apr. Splendorem aulae caeſareae generisque nobilitatem hodie florentem noſſe cupidis quem tradere coepimus, catalogum iuuat pertexere:

Wenceslaus Kaunitz, Franciſcus Carolus Kottulinsky, Ferdinandus Jacobus

cobus Kokorſowa, Ladislaus Kollonitſchius, Chriſtianus Koenigseckius, Caietanus Krakovvsky Collowrathus, Johannes Leopoldus Kinskius, comites; Wilhelmus Ludouicus Kirchbergius, burggrauius.

Carolus Lengheimius comes; Antonius Litta marchio; Carolus Loewenſteinius princeps; Eugenius Lannay, Fridericus Ferdinandus van der Leyen, comites.

Franciſcus Raymundus Montecuculi marchio, Spazzanus Muſchettola dux, Henricus Mansfeldio-Fondius princeps, Franciſcus Metternichius baro, Nuo Mendoza, Franciſcus Marullius; Franciſcus Caracciolus Miranda dux; Ognies Maſting, Johannes Wenceslaus Carettus de Milleſimo, comites.

Johannes Wilhelmus & Antonius Noſtitzius comites tertiusque huius nominis, militiae Saxonicae centurio, Nouatus marchio, Leonhardus Neuhauſius comes.

Antonius Oettingenſis Spielbergius, Ludouicus Wilhelmus Oſteinius, comites; Hyacinthus Oliuierius Bottellus.

Ferdinandus Pergenius comes, Poil marchio, Albertus Eugenius Przichowskius baro, Octauius Piccolomini, Franciſcus Plettenbergius, Johannes Leopoldus Platzius, Johannes Lucas Pallavicinus, comites; Pasquarolla marchio; Chriſtianus Wilhelmus Carolus Pücklerus, Wenceslaus Pöttingius, comites; Antonius Portugallenſis ſ. Puebla, marchio.

Sigismundus Ferdinandus Ringsmaulius, Joachimus Adam Rottalius, comites; Thomas Rios marchio, Carolus Adolphus Rappachius.

Immanuel Stahrembergius, Carolus Otto & Philippus Salmii, Franciſcus Joſephus Sauer, Felix Sobekius, Franciſcus Philippus Sternbergius, Carolus Gotthelff Schaffgotſch, Antonius Sedlinskius, Leopoldus Schellenbergius, comites; Franciſcus Adelbertus Schleiffraſius, Damianus Sickingenius, Ferdinandus Steinius, barones; Ludouicus Ferdinandus Schulenburgius Oynhuſanus, Hannibal Schauenburgius, Franciſcus Roma Spauer, Fridericus Stadianus, comites; Immanuel Sylua & Alagon; Joſephus Straſoldus, comes.

Franciſcus Vlricus Thurn, Turnismondus Torrius, Sigismundus Paulus Thurn Carniolenſis, Ludouicus Thierheimius, Carolus Abenſpergius & Traunius, Fridericus Albrechtus Tenczynius, comites; Chriſtianus Egon Taxis princeps; Nicolaus Taff, Johannes Joſephus Trappen, comites; Sigismundus Ludouicus Teuttenhoffen baro, Cyriacus Secundus Trogerus comes.

Franciſcus Antonius Vhlefeldius, Joſephus Vgardus, Leopoldus Verdugius, comites; Odoardus Valentius marchio, Veſſelinus baro.

Ignatius Maria Wurmbrandius, Erneſtus Henricus Wiedenſteinius, comites; Leopoldus Wiedmannsdorffius baro, Johannes Leopoldus Walſeggius comes; Weſtenrodius baro, Joſephus Welsbergius, Antonius Wolckenſteinius, Wenceslaus Michael Würbenius, Michael Fortunatus Wolckenſteinius, comites; Johannes Franciſcus Wolffeggius, dapifer imperii haereditarius, Joſephus Zobor & Franciſcus Erneſtus Zeyl, comites.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIV. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↃIↃCC XXXVI.

Olyſſippone. IX. Kal. Mart. Corpus ſine anima, ſine commerciis regnum languet, tabeſcit, corruit. Merito itaque nobis gratulamur de flore apud nos mercaturae, quem inſignem teſtatur nauium frequentia. Ducto harum calculo per annum proxime praeterlapſum naues in vniuerſum mille centum & ſexaginta, nimirum Anglorum quingentae ſeptuaginta & ſex, Gallorum ducentae octoginta & tres, Belgarum centum atque quatuor, Suecorum quatuor & viginti, Danorum ſex, Hiſpanorum quinque, totidem Melitenſium, Lubecenſium quatuor, Hamburgenſium tres, vna caeſarianis inſtructa velis, Gedanenſium vna, Luſitanicae ſex & octoginta, praeter Anglorum Belgarumque bellicas portum noſtrum intrarunt. VI. Id. Febr. naturae debitum ſoluit vita longiori dignus Immanuel Telleſius Sylua, gentis Allegrette tertius, Villae Maioris comes quartus, beneficiorum ordinis equeſtris, cui de Chriſto nomen eſt, adminiſtrator nec non academiae hiſtoriarum regiae, quae apud nos floret, a ſecretis, * quem illa poetam atque hiſtoricum inſignem, praematura morte, vtpote annos ſaltem quatuor & quinquaginta natum, ſibi ereptum quam maxime luget. Quae Fernambuco ſoluit abſoluitque iter diebus octo & quinquaginta, nauis tabellaria minus gratum confirmauit nuntium, quod Hiſpani ſub ſpecie mercaturae, quam exercuerint, illicitae, duas vel etiam tres noſtrae nationis naues expugnarint.

* *Viro huic de orbe erudito & hiſtoria patria, quam excoluit, optime merito debemus non modo Collectionem Documentorum, Statutorum & Commentariorum Academiae regiae hiſtoriae Luſitanicae ab A. 1721. compoſitorum & iuſſu cenſorum academiae editorum ab ipſo in ordinem redactam; ſed quoque hiſtoriam academiae regiae illius, quarum haec A.*

1727. Olyſſip. 4. illa A. 1721. ſqq. ibid. fol. prodiit, de vtraque vero, cum lingua Luſitanica conſcripta non omnes admittat lectores, conferri poſſunt Acta Erud. Lipſ. ad A. 1727. pag. 1. & ad A. 730. p. 433.

Mantua Carpetanorum, pridie Non. Mart. Aulae noſtrae adminiſtri cum legatis Galliae magnaeque Britanniae regum vt & ordinum foederati Belgii, tantum non quotidie agitant conſilia. Nondum omnis coniecta eſt in chartam ratio amplectendi pacem, quam imperator cum Galliarum rege iniit, inque ſciagraphia vnum alterumue adhuc immutandum dicitur, quam primum miſſus Verſaliam curſor redierit. Interim dubio caret flagitatus a paciſcentibus conſenſus famaque percrebuit fore, vt rex legatum mittat Vindobonam, qui rebus ſuis ibidem praeſit. Cum aula Romana quoque transactio ſub manibus eſſe dicitur, qua pontifex concedat regi noſtro licentiam nominandi epiſcopos & conferendi beneficia eccleſiaſtica ad morem, quem rex Galliae ſeruat. Ingens auri argentique pondus, quod nuper ex America ad Gaditanos reduces aduexerunt naues, & aulam & ciues noſtros valde exhilarat. Octo bellicae naues, quae Gadibus Liburnum curſum dirigent, vt exercitum noſtrum domum reducant, non prius ſoluent, quam vltima regis mandata acceperint. Portio ſupellectilis itinerariae, qua ſummus dux militaris Montemarius in Italia vſus eſt, VIII. Kal. Mart. Barcinonem* aduecta fuit.

* *Barcellona.*

Lutetia Pariſiorum. XIV. Kal. Apr. Ex Italia nihil noui nec de locis ab vna vel altera parte ex pacto vacuis factis, relatum accepimus, nec fidem meretur apud omnes, noſtras copias Hetruriam ingreſſuras atque Liburnenſibus praeſidio fore, ſimul ac Hiſpani diſceſſerint. Imperatori a commiſſionibus rerum bellicarum primariis Salaburgius comes praefecto Bononienſium ſupremo, quem pontifex conſtituit, decem aureorum millia ſoluit ad delendum aliqua ex parte, quod caeſariani in ditione pontificis contraxere, debitum, declaraturus hoc ipſo hoſpites eos eſſe non hoſtes, qui tributis imponendis oneri eſſe cupiant, quanquam leuis haec ſumma vix aliquot dierum ſumptus conficiat. Noſtris in terris, quos tempore belli aluimus, milites prouinciales, paucis exceptis legionibus dimidiatis, penitus omnes ſub finem menſis currentis dimittendi dicuntur, de reliquis autem nonniſi octo, quibus vna quaeque redituum cohors decreſcet. Conflictus militiae Helveticae & Gallicae, qui haud ita pridem noſtra in vrbe euenit, praebuit occaſionem nouae conſtitutioni ipſis Kalendis Mart. publicatae, excubiasque ad ripam fluuii per vrbem noſtram non milites ſed famuli publici peragent. In locum defuncti Beſenvalii tribunitiam Helueticae legionis dignitatem Erlachius obtinuit.

Londino. XIII. Kal. Apr. Praeteritae hebdomadis feria ſexta, curiae inferiori litteras exhibuit archiepiſcopus Cantuarienſis, ſolemni intercedens

cedens

cedens formula, ne damno ſibi ſuisque poſteris ſit ſtructura pontis, quo Lambethum & Weſtmonaſterium coniungentur, cum aes, quod colligitur ex traiectione vtriusque loci ciuium, magnam redituum ſuorum partem conficiat. Eadem in curia heri de ratione omnium facillima aerarium augendi vt ſubſidia regi promiſſa conquirantur, deliberatum concluſumque fuit, feſtum S. Johannis ſtatuere terminum, quo praeterlapſo, quaeſtum facientes ex aquis deſtillatis cuiuscunque generis pro definita copiae, quae ipſis in praeſenti eſt, menſura aſſes viginti, impoſterum autem pro licentia, quantum velint, vendendi, quotannis quinquaginta libras Sterlingicas pendant. Eodem die, Robertus Walpolius eques mandatum regium, ſigillo regni munitum tradidit Delawario equiti, quo inſtructus Auguſtam Saxoniae Gothanam principem Walliae principi ſponſam expetet, nec non litteras, quibus ille ſponſae fratri germano Saxoniae Gothano duci fidem publicam docebit, quod iter aggreſſurus luce craſtina conſcendet nauigium regium, quo in Belgium traiiciet. Rex Carolum Haywordum, mortuo Daniele Moorio, conſulem ſiue praefectum creauit nationis Anglicanae Zacynthi, * quod primarium inſulae maris Jonici eiusdem nominis oppidum eſt, Kinnoulius autem comes, qui legationem in aula Turcica per aliquot annos adminiſtrauit, ſub finem huius menſis ad nos reuertetur.

* *Zante.*

Haga Comitum. VI. Kalend. Apr. Legatus reipublicae noſtrae in aula Palatina, Manhemio perſcripſit ad hos, quorum intereſt, electorem haud difficilem ſe exhibere ad merces ſuis in terris detentas tandem reddendas, ſi ſumptus hunc in caſum factos, aut ſi mauis dicere, mulctam mercatores ſoluant, qui tamen nec immerito verentur, ne plurima auri portio nihilominus in Palatinatu remaneat. Quem tam anxie exſpectauit, ex Hiſpania redux curſor, nihil dignum notatu retulit S. Gilleſio marchioni, Hiſpanorum legato, multo minus documentum litterarium pacis adprobatae, quod nec Galliarum regi exhibitum hucusque eſſe multi adfirmant, licet id ipſum litterae Lutetia Pariſiorum ad nos datae ſtatuant. E contrario reginam Hiſpaniae conſtat ſpem non depoſuiſſe omnem filiio principi Carolo acquirendi archiducem Auſtriae ſponſam, legatum extra ordinem Vindobonam mittendo, qui pacis forte & connubii negotium conficiat. In hoc impediendo vt omnes neruos intendere videtur Theilius, Galliae regis ibidem legatus, ita non minorem ſumit operam, vt ducatum Lotharingiae ſine mora regi ſuo impetret, pollicemque premere incipit Bauariae electori, cui aliquo modo faciendum ſatis eſſe conatur euincere. Brandenburgicus Onoldinus * marchio, interprete Voigto barone, ordines foederati Belgii ſuſceptores erogauit recens nati principis filii, erogabit etiam Angliae regem, vel ut alii

volunt,

volunt, Walliae principem, quem in finem Londinum iter proſequutus eſt.

* *Anſpach.*

Auguſta Vindelicorum. IV. Kalend. Apr. Salisburgenſes religionis cauſa exules, qui nouas ſibi ſedes in Georgia, Americana Anglorum colonia, quaeſiuerunt, quantum ex litteris menſe Septembri ſuperioris anni conſcriptis, noſſe datur, recens ſtructo in oppido Ebenezer omni proſperitate fruuntur ſuisque in rebus ordinandis felici admodum gaudent ſucceſſu. Clima illius prouinciae quam maxime ſaluti eorum conducit, agrumque colere alio quam patrio more indies magis magisque addiſcunt. Terra abunde profert frumentum Indicum, fabas & cucurbitas, malaque Perſica & vuas optimi ſaporis, quas in ſyluis offenderunt, ſuos in hortos transplantare toti deſudant. Deſudant praeterea in aedibus ſtruendis facilius, ex quo tempore quatuor ſua olim ex patria fabri lignarii nuper aduentarunt, qui aſſeres conficere norunt, furnos etiam conſtruere incipiunt, lutum conſecuti, vt panem auito more, nec amplius, quanquam ſatis commode, ollis in ferreis, coquant. Dexteritatem praefectorum coloniae Georgianae vt & ſocietatis Anglicae de promouenda, vt audit, cognitione Chriſti, ſummis in coelum extollunt laudibus ſibique plus datum praedicant, quam in promiſſis fuerit. Cauſtonus, conſul Savannahenſis, qui, abſente Oglethorpio, vices praeſidis totius prouinciae agit, omnem amorem & inſeruiendi promptitudinem paſtoribus & vniuerſae eccleſiae Ebenezeranae quacunque occaſione declarat. Idem Cauſtonus, promiſſum aduentantibus donum ad vires reſumendas, nimirum pridie Non. Jul. viginti boues bene ſaginatos, atque pridie Id. Aug. totidem porcos nec non pro infirmis vndecim vini Maderani lagenas, ipſis obtulit, pollicitus fore, vt aligerum genus varium proxime mittat, ne quam in familia alenda defectum ſentiant. Corporis hanc non animarum curam flocci facere docet teſtimonium, quo eos paſtores cenſent dignos, qui etiam ipſi litteras Indorum addiſcere non intermittunt.

Lipſia. VIII. Id. Apr. Hanouia nuntiatur, quod vltimus ſtirpis ſuae ſine prole deceſſerit V. Kal. Apr. veſperi Johannes Reinhardus Hanoviae comes, qui morbo confectus difficili duodecim vel quatuordecim dierum annum aetatis ſeptuageſimum primum viuendo attigit. Incidit in manus, auctoris, qui ſub litterali initiali W. latere voluit, chronodiſtichon in nuptias Lotharingico - Auſtriacas huius argumenti:

In
nVptIas
per ſaeCVLa proſperatas
MarIae TheresIae, CaroLI seXtI fILIae
FranCIsCo Stephano LotharIngo nVbentIs
toto orbe Crebro optatas.

Enthea Mene DeCent? stephano sata Caeſare seXto
(paX eXorta refert) o bene nVpta nItet!
Magna DoCebo: sat eſt: stephano sata Caeſare seXto
(sors eX aXe refert) o bene nVpta parIt!

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XV. A. P. C. N. — PARTIC. I. cIↃIↃcc xxxvi.

Neapoli. III. Id. Mart. Bis dediſſe videtur qui cito dedit ſuaque non tardauit munera magiſtratus vrbis noſtrae, qui in vniuerſum omnis, prima praeſentis hebdomadis feria, venit in conſpectum Caroli principis eique ſignificauit, ad manus eſſe, quam imperauit, myriadem aureorum; quem ille nuntium hilari fronte excepit iuſſitque, vt donum hoc gratuitum, vbi & quando aulae viſum fuerit, in numerato habeatur. De fide ſuſpectorum plures adhuc cuſtodiae traditum iri deprehendimus, quorum in numero fuit Nicolaus Marinus, gemmarius, qui ſuo, quod tenuit, officio excidit inque caſtello Aenariae * inſulae carcerem nactus eſt, eiectis quoque paſſim monachis, qui animi ſui ſenſa paulo liberius expreſſerunt. Quid noui, qui nudius tertius ex Hiſpania venit, curſor attulerit minus exploratum ac cognitum eſt, praeterquam quod pax certo certius conſtituta ſit, cuius etiam rei indicium praebet Galliae regis legatus, qui aulam noſtram tantum non quotidie frequentat. Hoc nihil obſtante, indefeſſum valet Martis ſtudium atque ex vrbis noſtrae officina armorum pilae ferreae, globi plumbei, quaeque rem tormentariam iuuare poſſunt, copioſe admodum nauibus imponuntur, quantum noſſe datur ad firmanda vtriusque Siciliae loca, quae noſtri regni in finibus inſuper nouis munitionibus cinguntur.

* *Iſchia.*

Roma. XVI. Kalend. Apr. Praeter ſupellectilem pretioſam, quae palatio e Parmenſi, mari, terras in Neapolitanas delata fuit, ſub finem ſuperioris hebdomadis equos numero plures inde per agros vicinos Carolus princeps ſibi adducendos curavit. Tandem pontifex decreuit mittendum in Hiſpaniam Altouitum, qui Ludouico principi regio, recens creato purpurato, pileum, quo huius dignitatis

gnitatis viri ſua tegunt capita, perferat, Hiſpani in Hetruria penuria inprimis pabuli laborantes, noſtram implorarunt aulam, ſibi vt liceat cum quinque millibus ad tempus progredi in agros ditionis pontificis & quidem equitibus in Perugiam & Vmbriam, peditibus in Viterbienſem prouinciam, pollicentes fore, vt neceſſaria ſibi ad victum & pabulum numerata comparent pecunia. Caeſarinus dux pretioſum familiae, quam alit, veſtitum fieri curat, ſi coniectura quid valet, vt, pace conſtituta, legatus Caroli Hiſpaniarum principis annuum Neapolitanorum tributum pontifici offerat, qui, vt aiunt, interprete Corſino purpurato, regnum Neapolitanum dicto principi beneficium ſedis Romanae conferet eumque Siciliae vtriusque regem ſalutabit. Tandem finis diſcordiarum adparet noſtram inter & Luſitanicam aulam, opera potiſſimum & ſtudio purpurati curiae fiſci praeſidis nec non Fonſecae, res Luſitanorum apud nos adminiſtrantis, cui negotio vt vltima manus imponatur, pontificis ſub auſpiciis quatuordecim purpurati proxime agitabunt conſilia. Rex Hiſpaniarum Santobuono abbati, qui mitram purpuratis ſolitam Ludouico principi filio attulit, annuum quater mille ſcutatorum ſtipendium adſignauit & reditus eccleſiaſticos in finibus Hiſpaniae, qui quotannis ſex eiusdem aeris millia conficiunt. Nudius tertius Ghigii ducis filio primogenito ex Albania principe vxore natus eſt filius, quem heri purpuratus curiae fiſci praeſes ſacris chriſtianorum initiauit.

Florentia. XVII. Kal. Apr. Menſe adhuc praeſente noſtram ingredietur vrbem Kheuenhüllerus comes, agetque cum aulae noſtrae adminiſtris de rebus bene ordinandis ſub aduentum caeſarianorum, quibus ille praeeſt. Militiae Hiſpanicae praefectis licentia eſt vendendi ſupellectilem ſuam caſtrenſem, ad exemplum ſummi ducis ſui Montemarii, qui quam plurimos alienauit equos, quibus numero quatuor admodum generoſis Alberonum purpuratum donauit. Magnus dux Hetruriae aulae Vindobonenſi per litteras expoſuit, neceſſarium omnino fore; vt gentilitium cum eo condat pactum, quem olim ſucceſſorem habiturus ſit. Corſica in inſula male animati Paludellam atque Campolorum occuparunt & inſignem pulueris nitrati & adparatus bellici copiam inuenerunt, qua praeda locupletiores facti elatiores ſe gerere incipiunt atque, architecto militari natione Gallo opus dirigente, de Fano S. Peregrini expugnando cogitant. Apud Liburnenſes, quascunque poſſunt, naues colligunt Hiſpani, quibus in Hiſpaniam vel ad Neapolitanos transportandam rem tormentiam imponere coeperunt, iubente Montemario, ſummo exercitus duce, qui Piſano ex oppido, quod ipſi hoſpitium hybernum eſt, eo peruenit.

Parma. XVI. Kalend. Apr. Certo cer-

certiores facti ſumus nouiſſime conditam ab imperatore cum Galliarum rege pacem ſuo firmaſſe conſenſu tam Hiſpaniarum quam Sardiniae regem, & hunc quidem cum ceſſione, vt iurisperiti loquuntur, feudorum Langharum tractusque Nouarienſis & Teſinenſis idque in praeſenti agitur, vt fines conſtituantur, rege modo commemorato vrgente, ne quod futurae diſcordiae ſemen ſuperſit. Regina Hiſpaniarum filio ſuo principi Carolo impetrat Iluam inſulam, Orbitellum Portumque Herculis, quibus locis eadem erit conditio, quae bonis patrimonialibus, quo nomine Parmam, Placentiam atque Hetruriam ſibi competere contendit. Quapropter rex Hiſpaniarum publicam dabit fidem dicta loca non pertinere ad regnum Hiſpaniae nec vt partem huius conſiderandam impoſterum fore, ſed Carolo principi dari poteſtatem eadem ſuo firmandi praeſidio, Hiſpanicum poſtquam domum reuocatum fuerit.

Mediolano. XII. Kalend. Apr. Galli, quam primum per coeli clementiam dabitur, ſuam in patriam redire parant, quorum legiones quinque e terris Mutinenſibus & Mantuanis diſcedendo locum patefecerunt caeſarianis, ne nimis moleſti ſint incolis ditionis Romanae, quibus omni modo parcendum eſſe Noallio mareſchallo rex Galliae ſcripſiſſe perhibetur. Pedemontanorum quoque ex his terris adpropinquare diſceſſum, haud immerito colligitur ex eo, quod aulae regis Sardiniae miniſtri conſultationes ſolito frequentiores inſtituant, cui etiam quid debeatur ad lacum Maggioranum & Teſinenſem, definitum iam eſt. Fama percrebuit, breui fore, vt in Tiroliam ipſi quoque regrediantur caeſariani, relictis quatuor & viginti millibus, quae paſſim, nimirum decem noſtrae prouinciae, quatuor Parmae & Placentiae, totidem Mantuae nec non ſex Hetruriae praeſidio erunt, atque ex hac, quam vltimo loco nominauimus, prouincia, menſe Maio Hiſpani abire ſe velle declarant.

Lutetia Pariſiorum. X. Kal. Apr. Copiae licet noſtrae in Longobardia ad iter ſe accingant, non tamen prius illud aggredientur, quam nix Alpium liquefacta viam aperiat, aperiet autem vix ante initium menſis Junii, interim pedem figere iuſſi ſunt tyrones, qui in ſupplementum Italici exercitus lecti in Delphinatum vſque iam peruenerant. Hunoldſteinius comes, ducis Lotharingiae ſtabuli magiſter nuptiarumque publicus interpres, nudius tertius poſtrema vice regem ſalutauit. Paucos ante dies coeptum eſt comparari veſtitum pretioſum, quo incedent ornati, qui reducis e ſeptentrione Staniſlai regis familiam conſtituent. Eos inter, quos rex nuper in numerum legit virorum equeſtrium ordinis Ludouici, ſuperiores bini legionum pedeſtrium duces, equeſtrium vero ſaltem vnus, ordinis inſignibus cruce nimirum donati fuere. Ebroicus * comes, quam tenet dignitatem ſupremi omnium ducis equeſtris, pre-

tio

tio noningentorum aeris noſtri millium Capruſio * * principi venalem propoſuit. Vaubecourtus comes XIII. Kalend. Apr. Puiſſegurii mareſchalli filiam vxorem duxit, deque ſponſalibus Monaci principis cum Pontia, nec non Epinai ducis cum Monaca principe futuris rumor in vulgus emanauit.

* *Eureux.* * * *Cheureuſe.*

Traiecto ad Rhenum. V. Kalend. Apr. Nudius tertius alma academia noſtra natalem ſuum annumque ſecularem* ſolemnibus iubilaeo fieri ſolitis celebrare coepit & quidem, habita in auditorio maiori, oratione Latina, ad quam audiendam qui confluxerant ſtudioſi in vniuerſum omnes nummo donati fuere, qui numen Rheni cum vrna, in altera facie ſolem orientem cum inſignibus vrbis noſtrae referebat. Luce heſterna mane aes omne impulſum Campaniae fuit horaque ferme vndecima in aede cathedrali muſicus inſtitutus concentus, quo finito Drackenbourgius profeſſor hiſtoriarum & eloquentiae, ſermonem recitauit, magiſtratu vrbano, collegiis omnibus, Rectore magnifico & profeſſoribus adplaudentibus. Sacra haec exceperunt epulae lautiſſimae, hauſtaque pocula circumſtrepente fragore tormentorum & ſclopetorum legionis, quae ad cuſtodiendos vbique aditus conuocata fuerat, veſperique per omnes vrbis vicos aedes pulchro lampadum ordine illuſtres erant.

* *Jubilaeum ſemiſeculare eadem academia ſuperioris ſeculi anno octogeſimo ſexto celebrauit interprete publico Johanne Georgio Graeuio, qui de ſtatu illius primo ſiue origine & incrementis in Oratione egit, quam in Natalem Quinquageſimum Academiae Traiectinae habuit, orbique erudito expoſuit A. 1686. Traj. Conf. Bibl. Vniuerſ. Tom. I. p. 331.*

Lipſia. IV. Kal. Apr. Johannes Reinhardus comes Hanouiae, quem nuper vitae ſtirpique ſuae finem impoſuiſſe commemorauimus, comes itidem Rheineccenſis & Bipontinus, Dominus Müntzenbergicus, Lichtenbergenſis & Ochſenſteinenſis, mareſchallus haereditarius & praefectus ſupremus Argentorati, lucem conſpexit pridie Kal. Aug. anni ſuperioris ſeculi ſexageſimi quinti, adſumſerat in matrimonium XIII. Kal. Sept. anni nonageſimi noni Dorotheam Fridericam marchionis Brandenburgici Onoldini Johannis Friderici filiam, matrem filiae vnicae Charlottae Chriſtinae, quae, VI. Non. Mai. anni ſeptingenteſimi in lucem edita nupſerat Nonis Apr. anni decimi ſeptimi principi haeredi Haſſiae Darmſtadienſi, Kalendis autem Jul. anni vigeſimi ſexti viuere deſiit. Ad exemplum fratris germani Philippi Reinhardi comitis Hanouiae, cui ſucceſſerat anno huius ſeculi duodecimo, cum ſine prole deceſſerit, haereditatem occupauit natu ſecundus Haſſiae princeps Wilhelmus ex pacto, quo maior natu frater, rex hodie Suecorum IV. Non. Apr. ſt. v. anni ſuperioris Holmiae conſenſum praebuit, vt principum Haſſiae natu maior in his terris ſuccedat, & altero, quo domus Saxonica electoralis de iure ſuo ceſſit. Regiomonte relatum accepimus, quod Stanislaus rex VI. Kal. Apr. comitem itineris habens Kattium, ſummi militiae Pruſſicæ ducis vicarium, vrbe illa relicta, Angerburgum ſe contulerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XV. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Olyſſippone. III. Kal. Mart. Muſa vetat mori, nec nomen facile oblivioni dabitur famaque, quam duumviri nacti ſunt, quos ſibi eodem ferme tempore morte ereptos academia hiſtoriarum regia merito luget. Luget illa Immanuelem Telleſium Sylvium Alegretenſem marchionem, nuperrime defunctum quem commemorauimus, cuius filius Villamaior comes, regis oſculatus manum, eidem pro licentia vtendi titulo paterno marchionis Alegretenſis egit gratias. Luget praeterea Joſephum Contadorum Argottum, regi a cubiculo, equitem ordinis, cui de Chriſto nomen eſt, collegamque ſuum ſubita morte exſtinctum, vel ideo vita longiori dignum, quia rerum geſtarum Johannis tertii Luſitaniae regis commentarium in patrium transferre ſermonem ſibi ſumſerat. In conſcribendo milite novo per omnes regni prouincias indefeſſum adhibetur ſtudium, nec dubium eſt multorum ex opinione, quin copiae noſtrae, hybernis relictis, caſtra iterum ad fines Hiſpaniae proxime ingrediantur. Simul ac praeſens anni tempeſtas maiorem nauigantibus ſecuritatem pollicebitur, ad fluvium Janairum, Sinum omnium Sanctorum, Angalam & Promontorium viride egredietur claſſis noſtra cum regis nouo de metallis mandato, ſed quali, non liquet.

Mantua Carpetanorum. III. Id. Mart. Prima currentis hebdomadis feria, rex Ludouico principi filio, purpurato, praeſentibus gente regia vniuerſa, proceribus regni, exterorum principum legatis aulaeque & vrbis optimatibus, ornamentum capitis, quod nouae dignitati illius competit, multis ſolemnibus contulit. Noua quoque inſtant ſolemnia poſt reditum aulae in palatium vrbis noſtrae, futurum XVI. Kalend. Apr. vbi idem purpuratus princeps regius inſignibus ornabitur ordinis S. Spiritus, quibus eum rex Galliae donauit. Quo peracto,

acto,

acto, ſub initium Maii menſis aula transferenda dicitur Araniuezanam in villam, quaeque cuſtodiam habet corporis regii, legioni & aliis militibus ibidem commoraturis Bournonvillius dux praeerit, qui tria multis ſumptibus fieri curat tentoria, vt honoratiores in conuiuium adhibeat. Superiori hebdomade Vaugrenanius marchio, regis Galliae legatus, ſemel iterumque conſultationes inſtituit cum Patinho, curſorem quoque Lutetia Pariſiorum accepit & geminum ipſe eo ablegauit. Alius e Gallia venit miſſus a Treuigno noſtro ibidem legato, acceſſio autem regis noſtri ad pacis conditiones priſtino in ſtatu eſt. Sora dux, Caroli principis legatus, praemiſſis ad Gaditanos impedimentis, vt nauibus imponantur, proxime Neapolim reuertetur.

Lutetia Pariſiorum. III. Kal. Apr. Conciones, quas in collegio ſocietatis Jeſu tempore hoc ieiunii recitat Neuvillius, adeo ad palatum omnium eſſe incipiunt, vt optimates vtriusque ſexus magno numero confluant, magnosque faciat motus plebs, quam bini ad fores armati cuſtodes introire non permittunt. Nouiſſime idem ſuo in ſermone ſacro expoſuit doctrinam de ſcandalo, ſed non ſine ſcandalo, quod datum fuit repellendo cum vulneribus iuuenes, qui ſumma vi templum ingredi tentabant. Ipſa in aede ſacra omnibus ſcandalo fuit contentio, quae reginam inter Hiſpaniae viduam eiusque ſororem germanam Mutinenſis principis haeredis coniugem de tapetibus, quibus locum ſuum ornauerant, ſuboriebatur. Ad hanc illa miſit adminiſtrum aulae ſuae, qui nuntiaret ei, ſe praeſente, nulli permiſſum eſſe huiusmodi ornatu vti; cui illa regeſſit, ſe nullius in Gallia praeterquam regis & reginae mandata agnoſcere. Querelas hac de re ad regem retulit regina Hiſpaniae, ad quam dein acceſſit princeps haeres Mutinenſis ſuaeque coniugis offenſam expiauit.

Haga Comitum. III. Non. Apr. Comitatus Hollandiae ordines interrupta paſchato feſto conſilia VIII. Id. Apr. continuabunt de cauſis, quas abſoluere datum non fuit, in his potiſſimum erat eritque impoſterum diminutio exercitus, non differenda, ſi vel maxime pax noua ad hunc vsque diem publicata non ſit, cum illa aerario valde conducat, quare ſingulis prouinciis grauitas argumenti ponderanda fuit tradita. Solito frequentius atque familiarius inuicem hactenus conuerſantes obſeruauimus Fenelonum marchionem atque Golowskinum comitem, auguſtae Ruſſorum hunc, illum Galliae regis legatum, non ſine ſuſpicione omni, haud quaquam eos ſe inuicem honoris cauſa ſalutatum veniſſe. De dubiis, quae moram faciunt pacis in negotio, ex aula Vindobonenſi ad Kinskium comitem legatum imperatoris curſor non per vrbem noſtram ſed Oſtendam tranſiit iterque Londinum maturauit. Diſcordiae, quae nobis de conſcriptis in Geldria militibus cum rege Pruſſorum ſubnatae ſunt, perdurant adhuc, militiae praefecto Pruſſico negante & pernegante

ſe

ſe foederati Belgii fines vnquam ingreſſum eſſe, negare tamen non poteſt tritum axioma: quod quis per alium facit per ſe feciſſe putandum eſt. Quare ordines Geldriae iterato teſtes aliquot produxerunt, quorum teſtimonia ordines Belgii ſuo Berolini legato Ginckelio baroni transmiſerunt, vt meliora edoctum Pruſſiae regem ad faciendum ſatis quam primum quamque optime perducat.

Ex eadem vrbe, eodem die. Multis licet perſuaſum ſit litteras publicas, quibus rex Hiſpaniae conditam nuper pacem ſe agnoſcere profiteatur, Verſaliae iam regis Galliae in manibus eſſe vel breui fore, non tamen deſunt, qui aulae Hiſpanicae accuratiorem ſibi adſcribentes notitiam, contrarium defendunt, regem Hiſpaniae de illis expediendis ne quidem ad hunc vſque diem cogitaſſe, nec pauci apud nos pignore certant, quando & quomodo illae tradendae ſint. Pro negatiua facit, quod Montiius comes, rediturus Londinum legatus, iter per integrum menſem denuo diſtulerit, aliis cauſam minus validam allegantibus, in aere ipſum alieno eſſe apud Anglos, nec regem, cuius legatum agit, tantum ſuppeditare velle, quantum ad nomen expediendum ſufficiat. Ex Italia nouiſſime accepimus ſcriptum Hiſpanico & Latino conſignatum idiomate ad inſtar litterarum, quibus belli cauſas reges & principes exponere ſolent, idque Catalonia, quaeque huius caput eſt Barcino, ad regem magnae Britanniae dediſſe fingitur. Vltima legitur in pagina: *Januar. - - Anno communis Reparationis cIↃ IↃccxxxvi. noſtrae ſeruitutis xxv.* inque rubro Alciati diſtichon:

Innumeris agitur Reſpublica noſtra procellis!
Speſque rediturae ſola Salutis adeſt.

Ex vtroque cognoſcitur, Catalonienſes ſpem concepiſſe excutiendi iugum, quod ipſis Philippus quintus Hiſpaniarum rex impoſuit, deſertis olim ab aula Britannica & contra fidem datam hoſtium arbitrio permiſſis, quae verba ſunt Roberti Walpolii, quibus ad curiae delegatos vtitur. Cuius ſcripti nec cauſa patet, nec autor; Angliae enim debet natalem, ſi ſe ita habet, quod, vt legitur, Oxoniae cum notis D. Alani Albionis prodierit; aut Cataloniae, vt titulus & ſubſcriptio docent.

Francofurto ad Moenum. III. Non. Apr. Wilhelmus Haſſiae princeps, haeres ex pacto comitatus Hanouiae prouinciam hanc, quam haereditatis iure conſequutus eſt, III. Kal. Apr. intrauit & quidem arcem Philippsruhanam, quo ipſum collegia ſalutatum venerunt. Ipſis Kalendis ad veſperam reliquiae comitis defuncti ſepulchro maiorum illatae fuerunt, quo aedes euangelicorum ſuperbit, cui quando iuſta ſoluenda ſint, minus exploratum ac cognitum eſt. Galli munimentum terreum, cui S. Johannis nomen impoſuerant, XIV. Kalend. Apr. deſtruendi fecerunt initium quantumque poſſunt, maturant, quia ſub finem menſis huius Treuirenſem & vrbem & ditionem vacuam reddere ſecum conſtituerunt. Spes quoque ſimilis fati imminet electori Palatino, qui, promiſſis ſi ſteterint

rint Galli atque ante finem Aprilis menſis vndique diſceſſerint, ſedem Manheimenſem per aliquod tempus cum Schvvetzingenſi mutare in animum induxit. In euacuanda Spira Galli occupati ſunt pulueriſque pyrii adparatum quadraginta aut quinquaginta plauſtris alio transferre coeperunt, quaeque in vicinis locis hyberna habuerunt copiae, quam primum luſtratae fuerint, reditum in patriam ſuſcipient. Philippoburgi, ſua quae moueri poſſunt, itidem ſtudioſe colligunt, collecta per ruricolas, quorum quotidie centum praeſtant operam, ad Rheni ripam transferunt, translata nauibus imponunt, vt fructus nouae pacis paulatim ad maturitatem peruenire videantur.

Vindobona, pridie Kal. Apr. Hiſpani praeter morem gentis ſuae non grauitate ſed, qua fieri potuit, celeritate Parmam atque Placentiam deſeruiſſe nuntiantur prius quam caeſariani adeſſent, qui, vt moris eſt in permutandis praeſidijs, iuſto ordine ſuccederent, malo, vt fama fert, animo, ne tradidiſſe videantur prouinciam ſimulque de iure ſuo ceſſiſſe recuperandi aliquando quicquid ipſis abſentibus Germani occupauerint. Enim vero nuntiatur & hoc, Noallium mareſchallum iuſtitiae & aequitatis amantem admonuiſſe nimis feſtinantes, vt his more ſolito inuentaria, qui imperatori a commiſſionibus ſunt, exhibeant, ſin minus, ſibi tribuant, ſi ingrata legis obſeruandae media adhibeantur. Quantum conſtat, Arembergius dux Mediolanenſis prouinciae praeſes ſalutabitur, duxque Saxoniae Hildburgshuſanus copiis praeerit, quae praeſidio Hetruriae dabuntur. Dubia magis fide ſermones caeduntur de itinere imperatoris Ratisbonam vel recta via, vel demum adhibitis thermis Carolinis. Laſcius, ſummus exercitus Ruſſici dux, ſuo cum filio, luſtratum copias in Bohemiam conceſſit, quem imperator vale vltimum dicentem imagine ſua adamantibus copioſe diſtincta donauit.

Lipſia, Idibus Apr. Dedimus haud ita pridem aulae caeſareae virorumque illuſtrium qui hodie in ea florent, notitiam, quam, manca ne videatur, ſupplendam duximus enumerando paucos, qui clauigeri nomine ſaltem aut, ſtylo Vindobonae magis cognito atque recepto, decretiſtae adpellantur, ſuntque ſequentes: Jacobus Brandeyſius comes, Craon marchio; Guido Cobenzlius, Camillus Colloredus, Franciſcus Ludouicus Ditrichſteinius, Benedictus Daunius, Antonius Erdoedius, Nicolaus Eſterhaſius, comites; Johannes Hugo Hagenius baro; Franciſcus Adrianus Hatzfeldius, Johannes Julius Hardeggius, Leopoldus S. Julianus, comites; Carolus Ogiluius baro; Leopoldus Palfius, Franciſcus Antonius Rogendorffius, Erneſtus Wilhelmus Schaffgotſchius, Carolus Joſephus Steinbeiſſius, comites; Leopoldus Stubenbergius, eques; Wolff Engelbrecht Auerſpergius, Joſephus Draskowitzius, Adamus Sternbergius, Ludouicus Trautſohnius, comites; Villanoua marchio, tandemque Franciſcus Joſephus Weiſſenwolffius comes.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVI. A. P. C. N. — PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. XIII. Kalend. Apr. Nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum quam plurimis numeroque plures quotidie rapiuntur ad carceres, qui de nouo regni noſtri imperio ſua paulo liberius animi ſenſa expoſuiſſe vel leuiter praeſumuntur. Prima currentis hebdomadis feria Carolus princeps pacem ſubſcriptione firmatam eſſe, aulam frequentantibus palam fecit, nondum vero ſolemni fo mula publicata eſt, nec quando publicanda ſit, certi quid noſſe datur. Ne annonae caritas ex meſſe huius anni minus laeta oriatur, e Sicilia multum frumenti aduehitur, in gratiam potiſſimum eorum, qui nauticam praeſtant operam. Noſtrae naues actuariae Liburnum dirigent curſum vt excipiant Dorotheam principem Parmenſem viduam, quae apud Panormitanos in Sicilia imperium adminiſtrabit. Quia morbus paſſim inprimis Caſſandrini atque Nebari propullulare coepit, qui contagioſus habetur, loca illa, ne malum latius ſerpat, militari corona cingenda dicuntur, curaque haec ſanitatis publicae conſeruandae Nulterolio tradita eſt. Luce heſterna Harcourtus princeps cum non paucis militiae Gallicae ducibus vrbem noſtram intrauit cumque his ſui itineris ſociis in aedibus legati Gallorum hoſpitium ſumſit, breuique, vt fama fert, Montemarius, exercitus Hiſpanici dux ſupremus ad nos veniet. Monachis Ciſtercienſibus in mandatis eſt, nullos in coenobium S. Martini recipere tyrones, quod valde magnificum, pro ampliando caſtello S. Erami, funditus deſtruendum, deſtructis pariter aedibus ſuburbii Caietani, vt locus pateat militibus, qui ad exercitium artis ſuae ſolent confluere. In torneamentis addiſcendis fundamenta qui ponunt viri equeſtres domum ducis Laurenzani palaeſtram ſibi elegerunt.

Roma.

Roma. IX. *Kalend. Apr.* Sub finem ſuperioris hebdomadis, vrgente, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, purpurato, Caraffa Colubrinus princeps Viterbium, cuius nuper praefectus conſtitutus fuit, abiit, vt praeſens ſit tempore, quo legiones quatuor Hiſpanicae per ditionem illius oppidi Neapolim iter facient. Qui primo praeſentis hebdomadis die ex Hiſpania aduolauit Neapolim tendens curſor pacis negotium confectum eſſe retulit. Eodem die qui aduentauit Bercouicenſis dux iunior ex Hiſpania, nudius quartus Neapolim profectus eſt inuiſurus patrem, vnde redux in collegio Clementino ſtudiis operam dabit. Feria ſecunda praeſentis hebdomadis, conueniebant in palatio purpurati ſecretarii ſedis Romanae Barberinus, Albanus, Picus, Corradinus, Zondedarus, Gentilis, Orighius, Georgius Spinola, Corſinus, Riuiera, Paſſerius & Firrauius, purpurati, deliberatum de pertexendo opere transactionis, qua cum rege Luſitanorum concordia reſtituetur, quid vero concluſum ſit, non liquet, interim finitis conſultationibus eiusdem diei ſub veſperam curſor Olyſſipponem iter maturauit. Cum Hiſpani, quibus conceſſum fuit noſtra in vrbe tyrones conſcribere, quosdam vi ſumma ſequi caſtra coegerint, excubiis opus fuit, ne plebs valde offenſa tumultum ciere ſuſtineat. Hoc nihil obſtante ad Farneſanum & Hiſpanicum palatium confluens multitudo e vicinis aedibus quosdam ad arma tractanda compulſos in libertatem vindicauit. Publicatum itaque edictum fuit praemium definiens quinque & viginti ſcutatorum, ſi quis auctorem ſceleris detexerit, quod tamen hucusque effectu caruit.

Liburno. X. *Kalend. Apr.* Vltima praeterlapſae hebdomadis feria, Montemarius dux Hiſpanus noſtra ex vrbe Piſam conceſſit, pilae autem ferreae, globi plumbei atque tormenta Hiſpanorum nauibus impoſita ſunt transportanda, quam primum per coeli clementiam dabitur, Neapolim. Copiae eiusdem nationis tantum non quotidie terra marique ad nos accedunt traiiciendae in Hiſpaniam, quo legiones, quibus nomen eſt Neapoli & Flandriae, primae omnium abierunt. Hodie mane ad nos Piſa rediit modo commemoratus ſummus dux militum Montemarius, quem paulo poſt legio Lombardia dicta Wallonumque dimidiata ſequebantur. Corſica ex inſula nouiſſimae referunt litterae, male animatos in rempublicam Genuenſem auſos fuiſſe progredi ad fanum vsque S. Peregrini, ſucceſſu autem minus felici, milites enim praeſidiarii eruptione facta eos clade inſigni adfecerunt reliquos in fugam dederunt.

Lutetia Pariſiorum. III. *Kal. Apr.* Per hebdomades iam aliquot fruſtra de die in diem ſperauimus adfuturum documentum, quo rex Hiſpaniae profiteatur, ſe vt belli olim, ita & pacis conditae fore ſocium, ſpemque longius prorogare multi ſuſtinent

ſtinent, rati Montiium comitem ideo Mantuae Carpetanorum opinione diutius detineri, qui illud adferendum habuit. Quae cauſa ſit morae, ignoratur, attamen teſtantur litterae XVII. Kalend. Apr. Bononia ad nos datae, Montemarium ducem accepiſſe mandata, vt Mirandulam terrasque Parmenſes & Placentinas Germanis tradat. Quicquid ſit, noſtrae ad minimum copiae poſt menſes vix duos & quod excurret, Italiam relinquere poterunt, viis publicis adeo corruptis, vt, qui ad nos redierunt, militiae praefecti aegre admodum nec ſine clade ſuorum ciues Alpium ſuperare potuerint. Quae niuium moles immenſa Cruſſolium ducem per dies ſex in monte Cenis detinuit tandemque ad quintum vſque lapidem pedibus iter per deuia prorſus loca ipſi faciendum fuit. Noallius mareſchallus, vt quaedam docent litterae, curſorem prius Vindobona a Theilio, noſtro ibidem legato, praeſtolatur, quam ſua e Mantuanis & Mutinae locis praeſidia educat vacuamque Germanis ſedem faciat, qui in ditione pontificis opinione diutius commorari coguntur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Apud Diuionenſes nuper defunctus Pouffierus, curiae illius loci prouincialis centurio, ſiue, vt audit, decanus, teſtamento legauit ſex francorum millia, quae quotannis redeunt, aedesque, quas inhabitauit, ſuis ſucceſſoribus, ea lege, vt ſocietas litteraria his ſumptibus alatur, & huic adſcripti bis per hebdomadem conventus inſtituant iisdem in aedibus, quas ipſis reliquit. Seniores quoque curiae dictae tenentur tria ſtatuere praemia eaque ſingula trecentorum francorum his diſtribuenda, qui de triplici argumento omnium optime diſſeruerint. Eiusdem curiae praeſes Boierus conſcripſit tractatum de diuortio ex cauſa impotentiae, quem in Gallia prelo ſubmittere prohibitus Neocomi * luci expoſuit, cuius quingenta exemplaria in fines regni delata cum auctoritate publica fuerint ſubrepta, pretium libri inſigniter accreuit. Neufuillius ſacerdos, qui omnium ora aureſque ad ſe trahit, ſua ſibi facundia haud leuem contraxit inuidiam, cuius cenſores in eo reprehendunt, quod antitheſin ſine argumentis, proſopopoeias & meditationes ſubtiles modo proponat deſtitutus dono genuino ſuos auditores commouendi, quo viri laude digni Bourdaloueus, Cheminaius, Maſſillonius aliique vſi fuerunt. Verum nec ipſi ſuis rationibus quid valent cenſores nec eo rem perducere poſſunt, vt abſtineant optimates, tanta potius concurrentes frequentia, vt francis ſex locus in aede ſacra conducatur.

* *Neufchatel.*

Londino. III. Kalend. Apr. Boothius Woodwardio Warſouiae defuncto a rege ſurrogatus eſt, qui patruelis ſui dignitatem obtineat atque legationem in aula Auguſti Poloniarum regis adminiſtret. Peretus abbas, ducis Lotharingiae legatus, X. Kalend. Apr. regis reginaeque in conſpectum prima vice venit,

nit, ad hanc Granthamo comite, ad illum Neocaſtellano duce, eum introducentibus. Multorum ex opinione legatum extra ordinem proxime rex mittet Vindobonam, qui nouis nuptis gratuletur, data ſimul poteſtate, vt Robinſonus interim ad res ſuas ordinandas domum revertatur. Quos ſtylo politico, abſit eccleſiaſtico, ita nominare liceat, libertini, * VI. Kalend. Mai. in aedibus ichtyopolarum magnificis epulis celebrabunt nuptias ducis Lotharingiae, quem ſocium agnoſcunt. Senatus, penes quem rerum maritimarum eſt adminiſtratio, exornandam imperauit nauem, cui Grampo Sloopio nomen eſt, quae nuntium magni momenti Norriſio ſummo maris praefecto ferat. Omni caret dubio fore, vt ſortitio publica ſexcentorum viginti & quinque millium aeris Sterlingici ad ſtructuram pontis, quo Tameſis iungetur, locum habeat.

* *Frey-Mæurer.*

Haga Comitum, VIII. Id. Apr. Venetiis relatum accepimus, Fuenclaram comitem, regis Hiſpaniae legatum, per curſorem factum eſſe certiorem Mantua Carpetanorum, data eſſe ad Montemarium ducem mandata, vt Parma, Placentia atque Mirandula ſuis cum copiis diſcedat, cumque nulla fiat mentio de terris his tradendis ſucceſſoribus Gallis, vt rumor percrebuerat, non dubium eſt, quin ipſi ſtatim Germani vacua occupent loca. Quaedam Conſtantinopoli ad familiares datae docent epiſtolae, nouam ſuam dignitatem recens creatum aulae Turcicae purpuratum debere tribus, qua patet orbis, omnium ditiſſimis recutitis. Anteceſſor eius Iſmael ſuo in hanc gentem odio ſibi attraxit interitum corrumpentem multo aere florem militiae Turcicae, vt depulſo huic praeſens ſurrogaretur, qui aula eiectus coniecto Achmeto tertio imperatore in carcerem, ſuis in praediis hucusque priuatus vixit. Eaedem turbulentum aulae Turcicae delineant ſtatum, quod honores puplici auro venales ſint militesque pedeſtres dignitatibus priuando alios, alios ornando lucrum capiant, trigaque dicta recutitorum apud conſtitutum recens purpuratum plurimum valeat. Ordines comitatus Hollandiae ſuas iterarunt conſultationes, quaeque nuper definita non fuit, imminutio exercitus prae coeteris in deliberationem veniet, vt & controuerſia quae de fluuio Merwio Dordracenſes inter & Gorichemenſes gliſcere coepit. Tranſiſalana prouincia decreuit ſuum haud denegare ſuffragium duci Aurelianenſi, ſi eum vno omnes conſenſu duces militiae pedeſtribus copiis praeficiendum cenſeant, quam ſagaciores conditionem ab impoſſibili vocant.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XI. Kalend. Apr. Diſſ. Jur. Inaug. *de Tutoribus ex Lege Julia & Titia*, propoſuit AVGVSTVS CHRISTIANVS MARCHIVS. A. M. Litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 9.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVI. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↃIↃcc XXXVI.

Gibraltaria. VI. Id. Mart. Difficilius quod ſit prouincias retinere quam facere, vterque fratrum, regni Marochani aemulorum, ſuo comprobat exemplo, quibus fortuna cum blanditur, captatum venit & huic modo, modo illi fauens neutrum ab omni parte beatum facit. Nam nouiſſimae e Barbaria teſtantur litterae, Aethiopes a Muleio Ali centum & viginti poſtulaſſe argenti centenarios, quibus octoginta cum obtulerit, reliquam vero ſummam pecoribus atque varii generis mercibus, non contentos mouiſſe tumultum in fauorem Muleii Abdallahi, in quo vtriusque partis centum & plures caeſi fuerint. Poſterior horum, vt, de littore S. Crucis quae ſoluit, nauis praefectus retulit, Tauadanti commoratur ſuumque ſex millium exercitum nouis quotidie acceſſionibus inſigniter auget, quantumque videtur, ſtatutum cum animo ac deliberatum habet, iterato de principatu cum fratre decernere, quo euentu, proxime forſan noſſe dabitur, peracto ieiunio, quod Ramadam ſua lingua adpellant.

Mantua Carpetanorum. XIII. Kal. Apr. Ante hos dies quinque vbi ad nos venit curſor miſſus a Gheraldino, qui res noſtras in aula regis magnae Britanniae curat, huius apud nos legatus Keenius diu multumque cum Patinho publicis qui in rebus a ſecretis eſt, colloquutus fuit. Nudius quartus, Pardana ex arce in vrbis noſtrae palatium rediit aula, adplaudente ciuitate, quae per omnes vicos lampadibus pulchro ordine poſitis illuſtris erat, praeterlapſo autem paſchatos feſto villam Araniuezanam petet. Cuius in agro cum rex copias equeſtres luſtrandum ſibi ſumſerit, legati exterorum principum ſplendido cum adparatu regem comitari ſecum conſtituerunt, quem in finem Sora dux, Caroli principis filii legatus, ſupellectilem

ſuam

ſuam Gadibus reuocauit, quo eam abitum parans praemiſerat. Perendie Ludouicus princeps purpuratus a rege Galliarum inſignibus donatus ordinis S. Spiritus, quibus fieri ſolet, ſolemnibus inaugurabitur, qua occaſione legatus illius Vaugrenanius marchio opipare inſtruendas curabit epulas. Idem legatus quam frequentiſſime de pace conſtituenda cum aulae noſtrae adminiſtris init conſilia, cuius argumenti nuntium praeterita denuo nocte Lutetia Pariſiorum acceperat, nec tamen conſenſum regis in chartam coniectum eſſe conſtat. Olyſſippone ad familiares docent litterae Braſiliae principem vterum ferre.

Lutetia Pariſiorum. IV. Non. Apr. Ex litteris cognouimus Bononienſium XII. Kalend. Apr. ad nos datis, Hiſpanos tandem de Mirandula, Parma & Placentia euacuandis ſerio nec inuitos cogitare ſpemque hoc ipſo iniicere incolis ditionis pontificis fore, vt onere militari caeſarianorum leuentur. Dux Mutinenſis, qui ſua cum coniuge ad tempus Lauretum conceſſit, diſceſſum noſtrae militiae omni modo vrget ſpe fretus a praeſidio caeſariano terras ſuas immunes fore. Ex ſententia iudicum eorumque quos ſenatus regius ad hanc cauſam ablegauerat, chartarius & nonnulli typographi numellis publicis affigendi ſunt, auſi ſcripta religioni & publico ſtatui aduerſa typis mandare & diſtrahere. In ſuburbio S. Medardi clam inſtiuerant officinam typographicam, ex qua inter alia prodierunt obſeruationes quibus doctrinam, in conſtitutione *vnigenitus* damnatam, cum ſcriptura ſacra & traditionibus conuenire auctor euincere ſatagit, vt & epiſtola ſatyrica, quam Seinia, ludis ſcenicis quae dat operam, ad academiam Gallicam conſcripſerat. Neuuillius, qui per omne tempus ieiunii ſuauitate oris delectauit auditores ſuos, his licet non minori numero confluentibus, hebdomade magna & die primo feſto paſcharis magna ex parte famam perdidit idemque ipſi praedicunt fatum inuidi, quod in veſtitu variando euenire ſolet. Die heſterno, quo paſchatos feſtum celebrare coepimus, prima omnium vice in aedes S. Euſtachii ad ſacra fuit adhibitus ornatus admodum pretioſus trecentorum aeris noſtri millium, quem pietate ſingulari mota princeps Aurelianenſis dono dedit. Archiepiſcopus vrbis noſtrae auctoritate regia publicauit mandatum, quo ſacerdotibus ſtrictioris obſeruantiae vulgo dictis Capucinis poteſtas datur colligendi ſtipem ad reſtituendum templum atque coenobium, cuius Conſtantinopoli iacturam incendio nuper fecerunt. Eiusdem ordinis monachus Smirna qui ad nos acceſſit, in aula primitias easque largiſſimas congeſſit, nec dubium eſt, quin per omnes dioeceſes tabulas portando conſequuturus ſit decuplo plus quam flamma conſumſit.

Londino. III. Non. Apr. Relatum heri accepimus, quod pridie Portum

Magnum intrauerint octo naues bellicae, Olyſſippone reduces, quae ſine mora exarmandae dicuntur, non ſine indicio manifeſto finem diſcordiarum haud longe abeſſe, quae Luſitanos inter & Hiſpanos aliquamdiu perdurarunt. Praeſenti hebdomade apud regem regiamque gentem defunctus eſt munere ſuo Hautoiſius comes ſenechallus Lotharingiae & Barenſis ſupremus, miſſus vt nuptias Lotharingiae ducis cum archiduce Auſtriaca ſolemni ritu exponeret. Eundem miſit imperator ſua ex parte interpretem Martinitzium comitem, qui, vrbe ex noſtra in Luſitaniam, ſique famae quid libet credere, etiam in Hiſpaniam rem hanc nouam nuntiatum proficiſcetur. In ordine periſcelidis, multorum ex opinione ſatis probabili Peterboroughii comitis defuncti locum princeps Saxoniae Gothanus obtinebit.

Ratisbona, pridie Id. Apr. Nondum innotuit, an Jodocus baro de imperatoris, cuius legatum agit, intentione circa modum concludendi pacem, in comitiis quid monendum habeat praeterquam quod in imperatoris decreto continetur. Huic adiecti fuere lingua Gallica ſeptem articuli praeliminares, ſemel iterumque commemorati vt & articuli ſeparati, tandemque catalogus terrarum Langharum, quarum imperium nouo ex pacto rex Sardiniae conſequetur. Quarum haec ſunt nomina, dialecto Italica potius exprimenda, quam Latio reddenda, ne qua lectori obſcuritas, in patriam linguam ſi reducere geſtiat, aut difficultas ſuboriatur: Rocchetta del Tanaro; Rocca d'Arazzo; Mombercelli; Vincio; Caſtel Nuouo di Calea; Bozzolaſco; Albaretto; Serraualle; Feeſolio; la Niella; S. Benedetto; Montechiaro; Mioglia; Prunetto; Leuico; Scalletta; Menuſilio; Brouida; Carretto; Cencio; Rochetta del Cencio; Rocca Grimalda; Tailo; Spinola; Capriata; Francauilla; Biſſio; Montaldi; S. Criſtoforo; Caraſio; Bardinetto; Paleſtrino; Nazino; Caprauna; Alto; Arnaſco; Louanio; Rezzo; Ceſio; Teſtico; Garlenda; Paſſauenna; Roſſi; Duranti; Stalanello; S. Vincenzo. Terrae, quarum aliquam partem tenet imperator, ſunt ſequentes: Dimidia pars Morrae; tertia pars Belvedere; dimidia pars Morneſe; tres partes Cairo, Rochetta & Vignarollo; dimidia pars terrarum, vt audiunt, Melleſimo, Coſſecia, Plodio, Bieſtro & Aquafredda; praeterea comprehenditur hoc catalogo Taſſarolona tractus, incertus cuiusnam ſit ditionis, tandemque pagi quatuor minores, ſpectantes ad territoria Cairanum & Mileſimenſe, qui pariter in hoc indice tanquam terrae principales continentur.

Lipſia. XII. Kalend. Mai. In gratiam poeſeos cultorum adiicimus carmen, in iubilaeum ſemiſeculare ſacerdotii, quod Craiouae in Walachia, quae Auſtriae paret, celebrauit Franciſcani regulam profeſſus, primum maritus dein miles tandemque monachus;

IVBI-

IVbILatIo In R. PatrIs PatrItII bIs prIMItIantIs
spIrItVales seCVnDas nVptIas.

Auſtriacae ſurgant in dulcia iubila Muſae,
Lux etenim rurſus plauſibus apta micat.
Deſponſus nuper cum Dux Lotharingicus eſſet,
Gratus in Auſtriaco climate riſit Hymen
Ecce! rei nouitas, concurrunt vndique ciues,
Omnia deliciis ſunt animata nouis.
Jupiter Auſtriacus Carolus dat gaudia Sextus,
Milleque laetitias tota Vienna vehit.
Saepius Auſtriacas Hymenaeus viſerat oras,
Connubiis felix Auſtria ſemper erat.
Auſtriadum pariter modo fundit Dacia plauſus,
Franciſci templum dum ſacer intrat Hymen.
Sancti Franciſci Patritius ordinis adſtat,
Per medium Saeclum, qui pia ſacra legit.
Huic dant primitias ſuperi celebrare ſecundas,
Et tribuunt votis vela ſecunda ſuis.
Sparguntur modo thura focis, altaria fumant,
Procumbit magno victima caeſa Deo.
Quosque Vienna dedit, repetit nunc Craioua plauſus,
Laetitia plenam dum videt illa diem.
Hic vir hic eſt, in quo veneranda modeſtia morum,
Relligionis amor cum pietate nitet.
Conſiliis praeerat claro de ſanguine natus,
In cuius cerebro plurima Pallas ineſt.
Trinum perfectum, ſi verum dicier omne,
Hunc ego perfectum dixero iure virum.
Nam tria Patritius magno perfecit honore,
Dum Monachus, Miles, dumque Maritus erat.
Mirandum, quod adhuc vir hic conſumptus ab annis,
Praedicet ex cathedra promtus Euangelium.
Coelitibus, ſupereſt, quas dixerat Auſtria grates,
Vt ſimul Auſtriadum Dacia noſtra canat.
Auſtriacae Domui ſuccedat maſcula proles,
Has per primitias Dacia tota rogat.
Eia! tibi laetos impellant tympana plauſus
Nempe eſt conueniens plauſibus iſta dies.
Det tuba grata ſonum, centum taratantara dicat,
Quos inter ſtrepitus ſit tibi pota ſalus.

Ern. Schubach.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVII. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. VI. Kalend. Apr. Sero quae paratur medicina cum nulla ſit, prouida factum eſt cura Caroli principis, vt ſenatus, ſanitatis cuſtos, medicos quatuor totidemque ablegauerit chirurgos, qui morbum, vt fertur, contagioſum apud Caſſandrinos ſoliciti inquirerent. Renuntiarunt illi, cauſam mali tribuendam eſſe nimis anguſto loco, quo detinentur captiui admodum copioſi, quibus etiam per agros vicinos diſpoſitis, morborum vehementia inſigniter decreuit. Conſtitutis qui curam commerciorum habeant, fama percrebuit, denuo in deliberationem venire trapezam foeneratoriam publicam, cui de S. Carolo nomen erit, ipſe vero Carolus princeps conferendo quingenta aureorum millia ſecuritatem praeſtabit ſuam deponentibus pecuniam, vt quatuor de centenis nummorum vſuram quotannis capiant. Idem ab Hiſpaniarum rege, Aſturiae principis cum conſenſu, mutuo petet decem myriades ad annos quinque, quibus ille redimere allaborabit praedia publica, quae in decrementum aerarii alienata eſſe obſeruauit. Spes pacis XIII. Kalend. Apr. quae publicanda fuerat, prorogata eſt ad proximum poſt paſcha tempus, id vero certum omnino eſt, Carolum principem XV. Kalend. Apr. conſignatas abſoluiſſe litteras, quibus ſuo de iure in Parmam, Placentiam & Hetruriam, ſe cedere declarat.

Roma, pridie Kalend. Apr. Prima huius hebdomadis feria, Hiſpanis militibus paſſim in publicum prodire audentibus, ex improuiſo tumultus, quem ſedatum credebamus; denuo prorupit. Confluxerat ingens multitudo in ſuburbanis trans Tiberim, quae lapidibus & quocunque armorum genere inſtructa inuaſit vi ſumma excubias militares pontis, qui patrio ſermone Quatro Capi adpellatur, compulit-

que vt ad Fanum S. Bartholomaei profugerent. Capientes fugam globo quidem plumbeo traiecerant de plebe vnum, alterum vulnerauerant, pontem tamen inuaſores occuparunt, occupatum tenuerunt, donec, auxilio venientibus aliquot militum cohortibus, fugam dare cogerentur. Haec dum aguntur in ſuburbanis locis, ſeditioſi quoque intra vrbis moenia palatium aggredi Hiſpanicum tentabant, quorum auſis reſtitit conuocata militum manus, ſed non ſine ſanguine fuſo, nec ſine terrore, qui omnem commouebat ciuitatem. Quo cognito, pontifex accerſitum ad ſe Creſcentium marchionem, ſeniorem magiſtratus vrbani, hortabatur, vt quocunque modo populum ad obſequium reducat eique faciat ſatis. Ille itaque ſe contulit ad principem S. Crucis, imperatoris extra ordinem legatum, multisque contendebat precibus, vt operis ſuſcipiendi ſocium comitemque agat viae trans Tiberim, vbi aliquot tumultuantium millia offendebant. Accedentes blandis lenire verbis plebem conabantur, nec ſine effectu, aures enim praebebant ad iram prouocati conditionibus, de venia omnibus concedenda, de donandis libertate in carcerem coniectis, deque dimittendis, quos Hiſpani ad arma tractanda inuitos traxerint, quas auctores turbarum poſtquam ſubſcriptione & iureiurando firmauerant, colluuies vniuerſa diffluxit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Praefectus vrbis noſtrae, ſecunda currentis hebdomadis feria, ſolito cum comitatu, in aedes Harrachii comitis, legati caeſarei, conceſſit deprecaturus in cauſa Donghii, caeſarianae militiae ducis, qui, cum eiusdem militiae praefectis quam plurimis, praeſens aderat. Praeterea ad expiandam imperatoris offenſam Brogi, procuratoris fiſci, filius, auctor rixae, quam tenuit, dignitate & officiis excidit, Bruttianorum coryphaeus * carcerem ſubiit, quique manus intulerant, famuli publici duodecim, ad remos damnati fuerunt, remque hanc geſtam eodem adhuc die Harrachius comes per curſorem Vindobonam nuntiauit. V. Kalend. Apr. quidam, cui nomen eſt Joſepho Nattio, impoſitus aſino per ora ciuium trahebatur, gerens in pectore ſchedulam ſceleris poenaeque indicem: Damnatur ad remos per integrum decennium callidus & violentus militum conſcriptor. Sub prelo quoque ſudat edictum de ratione conſcribendi milites, quod per omnes pontificis ditiones publicabitur. Purpuratus publicis in rebus a ſecretis conuenit in colloquium Acquauiuam & Bellugam purpuratos, quorum ille de plebis ſeditione & in Hiſpaniam & Neapolim nuntium miſerat.

* *Barigello.*

E finibus Longobardiae, pridie Non. Apr. Hiſpani, omnium in paciſcendo poſtremi, primos ſe fore gloriantur, qui praeliminares articulos impleuerint, nec dici poteſt, quo ſtudio,

dio, qua feſtinatione vtatur Montemarius dux, vt quam primum ſuas ex Hetruria ducat copias. Res tormentaria & reliqua caſtrenſis Sena aliisque ex locis collecta, ipſo vrgente, Liburnum translata eſt, quo iter faciunt Hiſpani vndique milites, vt nauibus impoſiti ad patrios lares traiiciantur. Idem dux ne in euacuanda prouincia auctor videatur morae, quam defectus nauium facit, harum nonnullas a Genuenſibus & Maſſilienſibus petendas curauit. IX. Kalend. Apr. primitiae exercitus Hiſpanici Barcinonem abierunt nauigiis quatuor & ſexaginta, quibus Liburnenſi portu egredientibus binae naves bellicae praeſidio erant. Quicquid Parmae, Placentiae vt & Mirandulae reliquum habuerunt Hiſpani transuehendum curarunt Liburnum, ſuoque incitarunt exemplo Gallos, qui, deſtructis, quae ad Padi ripam fecerant, munimentis, diſceſſerunt Guardiſtallum inque terras Mutinenſes, Mantuanas vero omnes Germanis vacuas permiſerunt. Romae accidit nuper, vt Areſius eorum ex numero, quos praelatos vocamus, veſperi Maſſinum marchionem inuiſurus, globo plumbeo peteretur, nec niſi leue vulnus acciperet. Auctor nefandi facinoris, rem ſuam bene gefferit an minus cupidus ſcire, lucerna adhibita inſpexit carpentum, quo laeſus vehebatur, cuius intuitus faciem accuratius, obſeruauit errorem ſe commiſiſſe perſonae inque haec audaciſſimus erupit verba: Ignoſcas, quaeſo, nunquam te violandi animum habui.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Apr. Non pauci, ſua qui impugnatione conſtitutionis *vnigenitus* carcerem metuerunt, his diebus praeter ſpem omnem atque opinionem conſecuti ſunt libertatem, ſique quid famae libet credere, ſolum eadem de cauſa qui vertere iuſſi fuere, domum reuocabuntur. Tutiſſimum hoc creditur medium, quo pax eccleſiaſtica queat reſtitui, reſtituenda in qua Fleurius purpuratus pacificos vtriusque factionis theologos operam ſuam ponere iuſſit, vt qualiscunque doctrinae, de qua controuertitur, conciliatio eueniat, nec forte ſine effectu, cum pontifex ipſe inſtituto huic faueat. Condaea gens in ſumma eſt conſternatione ex morbo difficili febrique vehementiſſima, quam huius nominis princeps incidit, quae ſextum grauiditatis ſuae menſem agit. Haeredes Ferrandi praeſidis curiae prouincialis nuper defuncti, cum filia eius quinquaginta annorum, vt voluit haberi & via iuris euincere, transegit his conditionibus, vt ea ad dies vitae ſexies mille francorum ſtipendio Ferrandiaeque nomine perfruatur.

Londino. V. Id. Apr. Peractis nuptiis, Walliae principi Middleſexius & Euſtonus comites nec non Oſſechſtonus eques a cubiculis, nouaeque nuptae Effinghamia comes, Torringthonia & Carmichaelia vicecomites, vt & Archibaldi Hamiltoni equitis coniux a miniſterio erunt. Luce heſterna Chauignius, Galliae regis legatus, cum duce Neocaſtellano, qui

publicis

publicis in rebus a ſecretis eſt, per binas horas & vlterius colloquium habuit. Ciuitas noſtra curiae inferiori exhibuit litteras ſupplices, quibus cauſae ſuae, quam contra inſtitutum pontis noui mouendam putat, patrono licentiam expetit rationes ſuas proferendi, dies itaque ipſi dictus eſt IV. Id. Apr. quo concluſum de hoc argumento tertia vice publice praelegendum erit. Haddockius, ſummus maris praefectus, cum quatuor nauibus, quae Olyſſippone redierunt, Chathamum abiit, vbi exarmandae ſunt. Curia regni decem aeris Sterlingici millia pro colonia Georgiana totidemque pro ſocietate in Africam exercente mercaturam adſignauit. Vindomia * nuntiatur graue incendium, quo magnifice ſtructum atque a Wickhamo, vrbis illius epiſcopo, fundatum collegium, Nonis Apr. in cineres abiit.

* *Winchester.*

Vindobona. III. Id. Apr. Noua ex Italia omnium votis reſpondent, Hiſpanos opinione alacriores ſe exhibere in Italia relinquenda, relicta iam Mirandula, quam ſuo praeſidio firmauerant. Controuerſia de locis maritimis noua articulorum praeliminarium illuſtratione ita ſopita eſt, vt Carolus Hiſpaniarum princeps, Liburnenſi ſolo excepto portu, Hetruriae adſcribendo, vniuerſum, vt vocatur, Statum Praeſidii teneat ea lege, vt, fatis ita iubentibus, ſi ille rex ſalutetur Hiſpaniae eique ſuccedat frater natu minor in vtraque Sicilia, loca illa maritima ad Hetruriae principatum redeant. In hoc Traunius comes exercitui caeſariano praeerit, non, vt definitum erat, princeps Saxoniae Hildburgshuſanus, qui in Hungariam concedet Raſcianosque * & Sclauoniae incolas ad fidem & obſequium reducet. Vix ac ne vix quidem voti compos fiet rex Galliae perſuaſurus magno duci Hetruriae, vt prouinciam duci Lotharingiae certis ſub conditionibus tradat, quod ille praeuidens obtuliſſe dicitur Lotharingiae duci aliam regionem, qua ad obitum magni ducis Hetruriae fruatur, ſperans fore, vt vel hac ratione, quam tam anxius ambit, Lotharingiam ſine mora conſequatur.

* *Raitzen.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, Nonis Apr. Diſſ. Jur. *An hypotheca tacita in feudo, debito feudali contrahatur?* praeſide D. JOHANNE GOTTLIEB SIEGEL exhibuit CAROLVS CHRISTIANVS MüLLER, Lüzenſis Miſn. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 4.

VII. Id. Apr. Diſp. Philoſ. pro Loco *ſententias primarias de cauſis coniunctionis corporum naturalis modeſte expenſas* eruditorum diſquiſitioni ſubiecit M. JOHANNES HENRICVS WINCKLERVS, Luſatus. Litteris Breitkopffianis. pl. 6.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVII. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. V. Id. Apr. Nimia, quam temere ſibi quis ſumit, licentia damno ſolet haud raro eſſe eam adfectantibus, ſi vel maxime dolo careat. Nudius tertius, ſole ad occaſum vergente, Rambouilletana ex arce vbi rediit rex noſter Verſaliam, deſcendentem de carpento, ignoti nominis homo per corporis cuſtodes centumque milites Helueticae nationis ſequi non dubitauit, nudo nixus gladio, puero ad latus cum vagina incedente, demum ab excubitore obſeruatus, qui aditum cuſtodiebat minoris ſcalae, per quam rex in ſuperius conclaue adſcendit. Quem ille genium armatum comprehendit, comprehenſum ſummo aulae praetori * tradidit, traditumque cum interrogaretur, quae ratio facti huius temerarii fuerit, reſpondiſſe ferunt: Magno mihi honori fuit olim colloqui cum Ludouico decimo quarto rege, idemque, vt mihi contingat cum Ludouico decimo quinto, in praeſenti allaboraui. Enim vero excidit ſpe ſua deductus Carentonium, ** vt accuratius ad quaeſita reſpondere diſcat, cuius in marſupio cum inueniretur charta muſicis characteribus notata, quidam corporis cuſtodum, Vaſconia oriundus, *** non ſine ſale dixit: Muſicus eſt, vel pignore certaſſem, ſanae eum mentis haud eſſe.

* *Grand- Preuôt.* ** *Charenton.*

*** *Gaſconier.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Opinione citius Hiſpani abitum e Longobardia maturant, quorum pedites, qui Parmae, Placentiae & Hetruriae praeſidio fuere, naues iam apud Liburnenſes conſcenderunt, equitesque terreſtri itinere in patriam redire inſtituunt. E contrario copiae noſtrae ante finem proximi menſis iter domum non aggredientur, harumque duces exactionibus con-

conquiſitum vario voluptatis genere dilapidant. Qui luxus haud raro parit contentionem, contentio ingenuam veritatis confesſionem, quae docet, multos per fas & nefas locupletiores in Italia factos eſſe vel fraude in ludis adhibita, vel ſuos ad vſus conuertendo tributum, quod publico nomine exegerant. Fama fert, ſocerum regis poſtquam e ſeptentrione redierit, vel perſonam diſſimulando aulam ingreſſurum eſſe vel recta via Camborium, * longe tamen plures quam antea aulae ſuae miniſtros alet. Nannetenſes ſuis in litteris enarrant obitum Loupiae Regnauderiae, quae V. Kalend. Apr. annos nata nonaginta & vnum, ad quartam vſque vixit generationem & octoginta ſuae gentis poſteros conſpexit.

* *Chambord.*

Scaphuſia Heluetiorum, pridie Id. Apr. Ordines pagorum Tigurenſium & Bernenſium ante aliquod tempus per litteras abbatem S. Galli admonuerant, deſiſtat a tributo quodam exigendo, quo ciues oppidi ſui ſe oneratos conqueruntur, donec cauſa controuerſa accuratius tractata fuerit. Ad haec ille Tigurenſibus reſcripſit, ſuam hanc eſſe cauſam, in qua alienum iudicem agnoſcere nolit, quae res turbas nouas portendit, cum ciues in Tigurenſium aeque ac Bernenſium tutela ſint. Laetior ex aduerſo vicinae Italiae redit facies, vtraque enim & Hiſpanica & Neapolitana aula per litteras ſignificauit pacem adprobatam ordinibus Parmae & Placentiae, qua conſtituta, nouum ipſis agnoſcendum fore imperium, adiecto laudis praeconio, quod in Carolum Hiſpaniarum principem nulla non occaſione fidem integerrimam declararint. Hiſpani VI. Kalend. Apr. Mirandula diſceſſerunt vacuamque poſtero ſtatim die Wachtendonckius, ſummus militiae caeſarianae dux, ſuo praeſidio firmauit. Idem habuit ante diſceſſum cum Hiſpanorum praefecto caſtrorum Mariano colloquium alterique interfuit, in quo actum fuit de re potiſſimum tormentaria Parmae & Placentiae relinquenda, exigua certe, cum Hiſpani plurima ſibi tribuant Genuamque & Liburnum tranſtulerint.

Londino. IV. Id. Apr. Rex ſuo probauit conſenſu ichnographiam palatii, quod in planitie viridarii Croſuenorium ſpectante aedificabitur, nuptiisque celebratis princeps Walliae ſua cum coniuge inhabitabit. VIII. Id. Apr. Haddockus, ſummus vigiliarum claſſis praefectus, * cum ſociis itineris Olyſſipone maritimi, regem ſalutatum venerunt, cuius in conſpectum eos Carolus Wagerus eques, ſenatui rerum maritimarum a commiſſionibus primariis, perduxit. Poſtero die in palatio Richmondiano natalem Carolinae principis regiae multis ſolemnibus epuliſque magnificis celebravimus. Luce heſterna Onoldini marchionis legatus Voigtius Salisburgenſis

genſis baro colloquio regis gauiſus atque ab Harringtono equite, ſecretario rerum publicarum, in conuiuium lautiſſime inſtructum adhibitus fuit. Heri quoque in curia inferiori praelectum fuit tertia vice concluſum de ponte, quo Weſtmonaſterium & Lambethum iungetur, auditisque cauſam Londinenſium ſtructuram deprecantium agentibus, conſultum viſum fuit, rem ad craſtinum differre. Qui rebus praeſunt Luſitanorum, cum vrbis noſtrae opificibus iniere contractum de ephippiis comparandis mille & rebus aliis, quibus militia regis Luſitanorum opus habet. Florem quoque commerciorum teſtatur inſigne auri argentique pondus heri in telonio indicatum, quod illius nouem, huius nonaginta vnciarum millia conficiebat.

* *Contre-Admiral.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Tornator vrbis noſtrae, Thomas Wadſonus ſuperioribus diebus miſero & prorſus ſingulari fato defunctus fuit. Habuit ſub manibus lignum, quod America profert, cui Manchincelo ſiue Manchanelo nomen eſt, qualitatibus praeditum, quas mortis inopinatae candidatus ignorauit. Euaporatio particularum, vt ita loqui liceat, radiantium vel potius mortiferarum tantis ſubito laborantis adfecit oculos doloribus, eorum vt lumine intra dies tres aut quatuor fuerit priuatus tandemque ſenſibus omnibus, actus inde in furorem, linguaeque vſum vbi recuperauerat, quod mireris, cantando animam exhalat vereque carmina iam moriens canit exequialia cygnus, cantator funeris ipſe ſui. Rerum Americanarum ſcriptores tradunt, folia arboris huius tanta vi cauſtica eſſe praedita, vt ex his deſtillantes guttae aquarum vel pluviae vel roris in cute puſtulas producant. Fructus arboris eiusdem pariter noxam adferentes ad inſtar pomi minoris, Indi, praeuia praeparatione, in ciborum delitiis habent, lignum vero & elegantia & denſitate nuceum, quod tanti facimus, multum ſuperat. *

* *Arborem hanc inſulae S. Dominici paulo aliter deſcribit Oliuerius Dapper de America Lib. II. Part. XI. pag. 220. ſq. vtpote qui de fructu, quod cibum praebeat Indis, deque ligno quod praeter coecitatem ſtimulet vitam cantu finire, prorſus ſilet. Potiora vero Latio ſermone expreſſa ita ſe habent: Manzenilia, inquit, arbor foliis ſuperbit amoenis, cuius poma rubore & odore inſignia auellanam ſapore aequant inque lethargum praecipitant. Aquis haec iniecta necant piſces, non putreſcunt ſed corticibus nitratis inuoluuntur, ſubque his latens ſuccus lacteus intumeſcere facit corpus puſtulis excreſcentibus; Idem ſuccus doloribus adficit oculos perque dies nouem lumine priuat; Foliis quae deſtillant guttae pluuiales, dolores pariunt grauiſſimos ſubque vmbra huius arboris recubantes tumorem ſentiunt, telaque hoc venenato liquore Karaibani imbuunt.*

buunt. Antidotum praebet animalculum cochleae inſtar ſe habens, cuius ex roſtro vel aqua expreſſa, vel oleum ſolis calore extractum vulnera adfectumque lethalem curant. Conf. Joh. Raji Hiſtor. Plantar. Tom. II. Lib. XXIX. Sect. I. Cap. X. pag. 1646. & T. III. ſ. in Append. ad l. c. vbi ſynonyma huius arboris recenſet.

Lipſia. V. Kalend. Maj. Fecimus nuper mentionem nummi, quo in memoriam iubilaei, quod celebravit academia Belgarum Traiectina, huius nutritores omnes & ſingulos ſtudioſos donarunt. Donarunt praeterea docentes publice vel quocunque modo de ea optime merentes viros alio maioris moduli numiſmate, in quo conſpiciebatur Hercules tricipitem conterens pedibus ſerpentem, vna tenens manu ſagittas ſeptem, alterius digito monſtrans Palladem adſtantem Traiectinam cum clypeo, adſperſis variae eruditionis inſignibus, nimirum bibliis ad lucernam, tabulis legis, libra, gladio, vaſculo chymicorum vitreo, aloe, gleba terrae & nummis aliquot antiquis, addito lemmate: *Atrium libertatis templum ſapientiae;* & inferius: *Monſtris domitis artes receptae.* Altera nummi huius ſecularis facies exhibebat academiae Traiectinae ramo oliuae circumdata inſignia, ſub his Rhenum, cuius ex hydria cygnus ſedabat ſitim, verbis circumſcriptis: *Sol iuſtitiae illuſtra nos!* nec non ſubſcriptis: *Primis academiae Traiectinae ſacris ſecularibus ad d. XXVII. Mart. M. DCCXXXVI. celebratis, votis, quae pro noui ſeculi felicitate nuncupatis conſules & ſenatores, eius curatores laetisſimi feſti memoriam hoc monumento conſecrarunt.* Vratislauia dedit exemplum longaeuitatis, qua Catharina Sommeria, vidua annos centum atque ſeptem, menſes quatuor & octiduum viuendo compleuit, quae pridie Id. Apr. ſuburbana in aede S. Mauritii terrae mandata fuit. Tandem diſcordiarum finis adparuiſſe nuntiatur litisque quam Daniae rex Hamburgenſibus mouit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, pridie Id. Apr. Diſſ. Jur. *de Seruitutis per pactum conſtitutione*, praeſide D. FERDINANDO AVGVSTO HOMMELIO, P. P. propoſuit FRIDERICVS SAMVEL SOHR, Gorlic. Luſatus. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 5.

XII. Kalend. Maj. de Feudis Ligiis diſputauit LVDOVICVS SIGFRIDVS Comes VICEDOMINVS ab Eckſtaedt, Reſpondente JOHANNE FRIDERICO L. B. DE STEIN AB ALTENSTEIN. Litteris Breitkopffianis. pl. 11.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVIII. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↃIↃcc xxxvi.

Roma. VII. Id. Apr. Procax libertas poſtquam miſcuit nuperrime ciuitatem, plebsque tumultuoſa prouocata fuit non legibus in vniverſum ſolutis ſed taedio nationis exterae, quae ipſi leges ſcribere & imperare obſequium voluit, publice IV. Non. Apr. adfixum fuit edictum, quo vtrique parti ſilentium imponitur tam peregrinis militum conſcriptoribus, quam ſeditionis auctoribus & coryphaeis, omnibus inſuper & ſingulis, ſi exteros excipias, nouo pileorum ornamento interdictum fuit. Coeterum violenta Hiſpanorum milites conſcribendi ratio, fons & origo mali, occaſionem praebet inquirendi in abuſus atque complices, quibus illi ſcelus patrarunt. In his deprehenditur cuſtodiae tradita mulier, auſa ſuas in aedes variis illecebris vocare iuuenes, quos Hiſpanicae militiae collectores per ianuam interiorem ex aedibus vicinis immiſſi ad caſtra ſequenda inuitos protraxerunt. Alii, qui operam nauarunt horum in manus tradendo florem iuuentutis, fuga ſibi conſuluerunt, ex qua eos retrahendi ſtudium omne adhibetur. Hiſpani autem, quaſi re bene geſta, iniuriam ſibi fieri conqueruntur, quorum apud nos legatus Acquauiua purpuratus grauem minatur vindictam, binisque curſoribus Neapolim, alio ad Montemarium, ſummum exercitus Hiſpanici ducem, alio Mantuam Carpetanorum, quid ſibi ſuisque euenerit, nuntiandum putauit. Ex ſententia, quae Donghiana in cauſa fuit lata, pridie Non. Mai. mane duodecim famuli publici ad remos damnati Centumcellas * fuere deducti, quorum praefecti & gener & filius, idem extimeſcentes fatum, oculis hominum ſe ſubtraxerunt. Spinellus purpuratus Neapoli in exſpectatione eſt acturus, vt aiunt, de ſumendo in beneficium ſedis Romanae regno Neapolitano & ordinandis ritibus,

tibus, qui in mittendo illuc legato, vt audit, a latere obſeruabuntur. His diebus agitata denuo ſunt conſilia de controuerſia, quae nobis cum Luſitanis intercedit, componenda proxime, vel vt aliis videtur, iamiam compoſita, poſtquam vrbem noſtram intrauit Fuenteſii ducis, olim in aula noſtra legati, filius & quidem eum in finem, vt legationem regis Luſitaniae apud nos adminiſtret. * *Ciuitauecchia.*

Liburno. VIII. Id. Apr. Nudius tertius, iterato ſoluerunt noſtro de littore nauigia nouem & ſexaginta, onuſta legionibus Hiſpanorum ſex pedeſtribus, rei tormentariae portione varioque adparatu bellico, quibus duae naues bellicae praeſidio in itinere ad patrios lares erunt. Id agitur in praeſenti, vt, quam primum maiores confluxerint copiae, tertia ordine traiectio inſtituatur, nec dubium eſt, quin prima quae abiit manus haud procul Barcinone abſit. Quae per multum temporis portum noſtrum tenuerunt, naues binae Hiſpanorum actuariae egreſſum parant, quibus Montemarius dux Neapolim proficiſcetur, vt petiturus Hiſpaniam Carolo principi vltimum dicat vale. Luſtrauit ille haud ita pridem in vicinis agris equitatum, cumque obſeruauerit equorum quam plurimos ad iter longinquum ſuſtinendum minus aptos, deſilire iuſſit equites legionum Ruſcinonenſis, Mediolanenſis, Arragoniae & Alcantarae, vt reliquis, quantum dabitur, equorum copia ſuppetat quique ſupererunt, Neapolim Carolo principi dono mittantur. Corſica ex inſula relatum accepimus male animatos valde laetos excepiſſe nauem Anglicam, qua aduecti fuere quatuor Turci Algeriani, quorum bini noſtra in vrbe decem minoris moduli tormenta bellica, globos lapideos, puluerem pyrium & ſclopeta emptionis iure ſibi comparaſſe perhibentur.

Ferraria. III. Id. Apr. Tyrones conſcripti noſtra in prouincia iter Romam facient, quorum in locum quadringenti veterani ad nos inde accedent. Tantum abeſt, vt noſtris e finibus diſceſſum meditentur Germani, vt potius ſedem ſibi adhuc firmam commodamque ſatis abunde declarent, prata notando, in quibus equos ſuos poſcere ad menſem vſque Junium poterunt. Si quid famae libet credere, archiepiſcopus vrbis noſtrae nuntium ſuae dignitati mittet Romamque reuertetur. Arembergius princeps ab imperatore conſtitutus eſt vrbis & regionis Mediolanenſis praefectus, Stampa vero comes in rebus imperatoris apud Mantuanos adminiſtrandis ſuam continuabit operam, litterasque patentes iam Vindobona accepit.

Lutetia Pariſiorum, Idibus Apr. Ex Italia ad nos datae in eo omnes conſpirant litterae, Hiſpanos praeter omnem ſpem atque opinionem valde admodum ex Hetruria ſuum maturare diſceſſum, cumque in Hiſpaniam tendant, cauſa ſontica ſubeſſe multis videtur, qui de futuris tan-

quam de praeſentibus callide conii- ciunt. Fleurius purpuratus ex cibo non bene digeſto qui per aliquot dies laborauit ſtomacho, melius ſe habere coepit. Grauiori eoque le- thali ex medicorum praeſagiis mor- bo detinetur Cenomanenſis * dux, male quoque ſe habet per hos dies Toloſanus comes atque Bethunii du- cis filius natu maior Charoſtius co- mes VII. Id. Apr. ipſo aetatis flore, anno nimirum vigeſimo ſecundo vita deceſſit. Nudius tertius ſacerdotum, Janſeniſtarum ſectae adhaerentium, nonnulli in cuſtodiam rapti ſunt ex domo paſtoris ad aedem S. Joſſi, quo confugerant, quod ſpem pacis eccleſiaſticae breui reſtituendae val- de infringit. Adeſt puer ſeptem annorum, moribus & ingenio non ve- ro ſtatura talis, qua iuuenem viginti annorum aequat, pedes altus quin- que & duos pollices tenerumque barba virum natura nimis benigna donauit. Quem Normannia oriun- dum rex & regina ad ſe accerſen- dum curarunt & ingens hominum multitudo ad eum viſendum quoti- die concurrit. Intra hebdomades ſex ad pollicem creuit natus paren- tibus ſtaturae admodum paruae, quod naturae portentum academia ſcien- tiarum regia quoque ſibi exhibendum cenſuit. * *Maine.*

Londino, Idibus Apr. Architecti aulae noſtrae locum ſacelli, quo pa- latium Jacobiticum ſuperbit, menſu- randum ſibi ſumſerunt, vt eum ex- ornent ad benedictionem ſacerdota- lem, qua matrimonium Walliae prin- cipis cum principe Saxoniae Gotha- na ratum perfectumque habebitur. Hautoiſius comes, quem dux Lotha- ringiae miſit nuntiatum nuptias cum Auſtriaca archiduce, poſtrema ſalu- tauit vice regem reginamque traie- cturus in Belgium, vt eodem apud ordines reipublicae illius munere de- fungatur. Noſtra in vrbe denuo tria ſclopetorum millia, quibus equites catapultarii vtuntur, comparare ſtu- dent, qui Luſitanorum apud nos res curant, quantumque conſtat, victus varii generis proxime ſupportabitur claſſi noſtrae, quae, duce Norriſio, Olyſſipponenſem portum tenet.

Haga Comitum. XII. Kalend. Maj. Diminutio exercitus, ſi vel maxime effectui danda tempus requirat, cer- ta tamen habetur, cum quidam ſal- tem vrbium minus auctoritate valen- tium delegati diſſentiant. Preiſſius, regis Sueciae legatus, ordinibus foe- derati Belgii ſuperiori hebdomade au- lae ſuae exhibuit litteras, ſociam fla- gitantes operam, vt clauſula articuli quarti pacis Riswicenſis proteſtanti- bus valde noxia in praeſenti pacis ne- gotio conficiendo abrogetur. Idem Londini Suecorum legatus propoſuit inque recenti eſt memoria, quod ſub initium belli huius finiendi in comi- tiis Ratisbonenſibus eadem cauſa in deliberationem venerit. Mouet o- mnibus admirationem indefeſſum, quod Hiſpani ponunt, ſtudium in eua- cuandis Italiae, quae imperatori no- uo ex pacto debentur, prouinciis, nec tamen ad hunc vsque diem regis pro- ſtare litteras, quae praeliminares ar-

ticulos ab eo probatos eſſe doceant. Quae antequam tradantur, regina Hiſpaniarum archiducem Auſtriae alteram filio ſuo principi Carolo ſponſam impetrare allaborat, omni modo contrarium ſuadente regis Galliae extra ordinem Vindobonae legato Theilio, quem res ea non latet.

Francofurto ad Moenum. XV. Kalend. Maj. Treuirenſes quidem ſummopere laetantur Gallos in eo dum vident occupatos, vt munitiones, quas fecerunt, nouas deſtruant lignaque Moſellae fluctibus committant alio transportanda, ante tamen, quam pax publicata fuerit, hoſpitum minus gratorum diſceſſum ſibi haud pollicentur. E terris Palatinatus iidem tantum non omnes abierunt, abituri proxime etiam e trans Rhenum prouinciis, quibus incolae iter adprecantur auſpicatum, pio cum voto, vt nullam per ſeros annos reuertendi occaſionem nanciſcantur. Danorum auxilia, quae hyberna habuerunt in terris Leodienſibus, quod aggredi ſtatuerant iter per dies aliquot differendum duxerunt. Idibus Apr. Paulus atque Marcus Hormanni fratres, Manhemii, gladio ille, hic laqueo poenas dederunt fraudis, qua auſi ſunt puluerem pyrium, quem ſua in officina praeparandum certo condixerant pretio, corrumpere, vxoribus & liberis vtriusque in exilium perpetuum actis. Qui ante aliquot menſes Lutetiae Pariſiorum in diuerſorio dominum, cui a miniſterio fuit, nefanda caede trucidauit, trucidatum in partes ſecuit, ſectum iniecit in dolium, cumque numerata pecunia & cambiis abiit, exceſſit, euaſit, erupit, in terris Clevenſibus comprehenſus deductusque eſt, vt Gallis ad ſupplicium tradatur.

Hamburgo. XI. Kal. Maj. Nudius tertius Montius marchio vrbem noſtram ingreſſus in aedibus Pouſſini, Gallorum qui rebus apud nos praeeſt, hoſpitium ſumſit, per tempus, vt fama fert, breue, cum iter Lutetiam Pariſiorum proximis diebus proſequi ſtatutum cum animo ac deliberatum habeat. Regiomonti Burggrauius atque comes Dohna cum natu maiori Holſatiae principe III. Id. Apr. nuptias celebrauit. Kilonium intra octiduum bini ab vtroque & Holmiae & Petroburgi legato aduolarunt curſores, quorum nuntium dux Holſatiae hilari cognouit fronte, huius inter alia argumenti, quod auguſta Ruſſorum cauſam ipſius agere nulla non occaſione velit idque curare vt pro educando principe haerede annuum rite ſoluatur ſtipendium. Praediorum per Holſatiam accurata inſtituetur cognitio, quam princeps litteris, vt vocamus, patentibus iam ſignificauit.

Lipſia, Kalendis Maj. Triſtem merito & vniuerſo imperio Romano luctuoſum Vindobona accepimus nuntium, quod heros Germaniae Eugenius dux Sabaudiae ſubita morte exſtinctus ſit. Infirma per aliquot dies ille fuerat valetudine ita tamen, vt XII. Kal. Maj. prandium cum ipſo ſumſerint optimatum quidam, veſperique fati ſui neſcius ſuos quos a cubiculo habuit, admonuerit de excitando ſe ſomno hora mane nona, ſed mortuum eum inuenerunt, qui pro tot regnorum ſalute conſtans vigilauerat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XVIII. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Roma. VII. Id. Apr. Scintilla parva magnum ſoepe excitat incendium, verendumque merito, ne, quod nuper apud nos aegre extinctum fuit, vi longe maiori erumpat. Aulae noſtrae adminiſtros Hiſpanis clam indulſiſſe ſuſpicio eſt militum in vrbe conſcriptionem, qua vagabundos omnium optime eiici poſſe putarunt, quem tamen euentum conſilii fortuna inſigniter mutauit, nec emendare ſtudent Hiſpani lenitate, qui potius nimia vindictae cupiditate nouae ſeditionis ſpargere ſemen nulli dubitant. Nam Acquauiua purpuratus, regis Hiſpaniae legatus, poſtquam ad Carolum principem ducemque Montemarium miſſi redierunt curſores, haec palam facienda eſſe reſciuit: quod Carolus Hiſpaniarum princeps de trahendis ad ſigna militaria Romanis nulla dederit mandata, quod Romae qui degunt militiae Hiſpanicae praefecti & reliqui milites gregarii ſine iuſſu & praeſcitu Hiſpaniae regis euocari nequeant; quod auctores tumultus duodecim capitis ſupplicio vel enſe vel laqueo adficiendi ſint. Quae poenarum ſeueritas non poteſt non turbis nouis praebere occaſionem reque ipſa periculum ſe prodit atque cognoſci poteſt ex indignatione ſumma, qua plebs ſententiam hanc ſeueriſſimi iudicis percepit veniamque ſibi datam infringi ſummopere dedignatur. Rebus ita fluentibus, ſenatus conſultum iudicauit, pontes eorumque aditus maiori firmare praeſidio, vocatis Centumcellis * binis militum cohortibus & pluribus conductis famulis publicis, ad reſiſtendum, ſi quid aduerſi contingat.

* *Ciuitauecchia.*

Lutetia Pariſiorum. XVI. Kal. Maj. Ex nouiſſimis Italorum litteris cognouimus, milites noſtros ad iter in patriam ſe accingere, caſtris iam deſignatis in Delphinatu, quae ingredientur viribusque per hebdomades ſex refectis loca petent ſedesque, quae ipſis paſſim determi-

minabuntur. Hetruria & Placentia tantum non omnis vacua ab Hiſpanis facta eſt, inque eo ſunt caeſariani, vt eam occupent. Parmam quod attinet, Carolus princeps dedit mandata ad praefectum vrbis, hanc vt pariter ipſis tradat ea tamen lege, vt litteris nouus praefectus teſtetur, ſe nolle impedire, quo minus rem tormentariam & aliam quamcunque bellicam Hiſpani repetant, ſaluo etiam iure quo gaudet Dorothea princeps Parmenſis vidua, cui concedenda ſint in terris Placentinis & Parmenſibus praedia, quae filiae Hiſpaniarum reginae pietas olim ei contulit, vt habeat vnde viuat. Multorum apud nos manibus voluitur exemplar pacis ab vniuerſa probandae Europa, nouem conſtans articulis, quod genuinum eſſe qui ſibi perſuadent, perſuadeant idem vt aliis, ſtylum curiae & fundamentum articulorum praeliminarium allegant cauſam, minus certe ſufficientem his, qui ſcriptum hoc a legationis quodam ſecretario vel per otium, vel quemcunque alium in finem coniectum eſſe in chartam probe norunt. Famam de ſuggeſtu qui ſibi per omne tempus ieiunii comparauit, Neuuillius ſacerdos habuit III. Id. Apr. in aede, quae diſcalceatis in area palatii regii eſt, ſermonem in laudes Franciſci Paduani, ordinis ſui nominis primi fundatoris, tanto cum adplauſu optimatum & aulae & vrbis, vt locus cuiusuis ſex francorum pretio venerit. Ad fores aedis ſacrae pauloque remotius conſtituti milites plebem remouerunt indigne admodum verentem, nulli ad ſacra patere aditum, qui auro & argento non fulgeat vel decem aeris noſtri millium reditus annuos habeat.

Londino. XV. Kal. Maj. Luce heſterna magiſtratus omnis confluxit in curia praeuiaque deliberatione conclusum fuit, ſuperiori curiae regni exhibere litteras diſſuaſorias, ne ponte nouo Lambethum cum Weſtmonaſterienſi abbatia iungatur, ſed plurimorum ex coniecturis actum agitur pontisque ſtructura certo certius locum habebit. Nudius quartus, ad ſolis occaſum Gothana ex aula in palatium Jacobiticum aduolauit curſor itinere quinque ſaltem dierum, qui nuntiauit, Delawarium equitem ex voto egiſſe pronubum Walliae principis omnique honoris cultu exceptum eſſe. Sponſa ſub medium Maii menſis in exſpectatione eſt cum comitatu numeroſo, vtque fama fert, benedictio ſacerdotalis in aede Gallicae nationis peragetur. Nuptiarum ſolemnibus peractis, iter rex dicitur meditari in prouincias Germaniae haereditarias, & pace conſtituta, legatum in Caroli principis aulam Neapolim mittet, quo munere defungetur Granardus comes, qui idem olim in aula Ruſſorum auguſtae adminiſtrauit. Qui rebus Hiſpanorum apud nos praeeſt, Thomas Fitzgeraldus eques, Mantua Carpetanorum accepto curſore, protinus publicas res adminiſtrantes in colloquium conuenit. Wardus, cui dedit Galenus opes, praemium ſtatuit centum aureorum illi conferendum, qui in aegris duodecim

decim curandis operam prae coeteris inſignem praeſtiterit.

Haga Comitum. VIII. Kal. Maj. Qui pacem ſolis nitentem articulis praeliminaribus firmam minus fore iudicant, congreſſum procerum certo certius futurum adfirmant, quicquid in contrarium Fleurius purpuratus moliatur, ſique res ita ſe habet, terminus pacis opinione longius prorogabitur. Epiſtolae ad familiares docent, regem Hiſpaniae ad huncusque diem litteras, quibus publice adprobata velit pacis praeliminaria, nec conſignaſſe, nec conſignandi animum habere. Sique genuinum eſt, quod in Italia proſtat ſcriptum, nullas vnquam dabit, vtpote in quo cauſas allegat rex Hiſpaniae cur in praeſenti articulos pacis agnouerit, vt ſcilicet quietem promoueat publicam, cumque conſenſus ille ſit ſibi inuito extortus, haud obſcure indicat, ſe rebus ſuis quacunque occaſione inuigilaturum eſſe, quae prouincias principis filii Caroli haereditarias concernunt. Quo faciliores itaque ſe Hiſpani exhibent in euacuandis Italiae locis omnibus & quo alacriores ſuas in Hiſpaniam traiiciunt copias, eo magis rem acu tetigiſſe videntur, qui Luſitaniam peti contendunt animumque ipſis eſſe occupandi prius vnum alterumue locum, quam quis auxilio preſſis veniat. Dux Arauſionenſis in comitiis prouincialibus Geldriae, praeſens multo argumentorum pondere ordines congregatos permouere allaborauit, vt in dignitate, quam ambit, ſummi ducis exercitus pedeſtris inque praediis ſibi in Selandia reſtituendis, ſuam conferant operam, quid vero ab illis concluſum ſit, minus adhuc exploratum ac cognitum eſt. His diebus rumor percrebuit breui adfuturum Horatium Walpolium, cui conficiendum aliquod traditum ſit negotium, verum nouiſſimae Londinenſium litterae de maturando ipſius abitu prorſus ſilent, & aeque dubium eſt, quod vulgo traditur, eum, quam primum aduentarit, de rebus magni momenti cum auguſtae Ruſſorum apud nos legato, agitaturum eſſe conſilia.

Vindobona. XI. Kal. Maj. Franciſcus Hannibal Moermannus, electori Bauariae a conſiliis ſanctioribus praetorque Waldmünchanus atque Murachenſis, qui XVI. Kalend. Maj. noſtra in vrbe vitam cum morte commutauit, legatorum omnium, qui in aula noſtra ſunt, ſenior per quadraginta annos electoris Bauariae res ſumma apud nos dexteritate adminiſtrauit. Fati ſui quaſi praeſcius haud ita pridem Monachio ſibi adportandum curauit ſigillum electorale, quod, rebus eius & potiſſimum legationis eo munitis, rurſus Monachium transmiſſum fuit. XV. Kal. Maj. Lutetia Pariſiorum rediit caeſareus, eo qui miſſus fuerat, curſor, cumque ab eo tempore frequentiores inſtitutae ſint conſultationes, argumentum nuntii Lotharingiam fuiſſe haud obſcure colligitur. Non deſunt itaque qui actum eſſe adfirmant de tradenda Gallis ſine mora Lotharingia huiusque duci interea ad obitum vſque magni ducis Hetruriae

concedendis Mediolano, Parma & Placentia, vt reditibus ipſe harum prouinciarum perfruatur, rex vero Galliae myriades promiſſas imperatori per hoc tempus ſoluat. Locis, quae fines Turcicos ſpectant, re tormentaria bene inſtructis quinque & viginti militum millia in Hungariam facient iter praeter legiones, quae ex Italia e terris Rhenanis eo abire parant. Autumno ſuperioris anni praeſidio militari ex Hungaria adductus Petri Varadini praefectus, Walla, ſummus dux militum, cauſam ſuam ad quaeſita coram ſenatu bellico eoque aulico dixit tam bene, vt nudius tertius e cuſtodia non modo liberatus ſed dignus etiam habitus ſit, qui, quod tenuit, munere praefecti fungatur. Conſtantinopoli nuntiantur circumſtantiae, quibus caedes vnius de familia, quam alit ordinum foederati Belgii legatus, euenerit. Hic ſuum per interpretem captiui flagitauit reſtitutionem, quem quidem audiuerunt Turci, nec indigne tractarunt, ipſo tamen ſpectante, candidatum mortis capitis poena adfecerunt, prouocantes ad exemplum, licet plane diuerſum, quod noſtra in aula chriſtianus, qui Turcici legati miniſtrum interfecerat, pariter iuſſu imperatoris capite plexus fuerit. XV. Kalend. Maj. imperator, ſummos militum duces Hohenembſium, Chauuiraium, Wenceslaum Walleſium, Walſeggium, Miglium atque Fürſtenbuſchium bellicum in ſenatum legit.

Hamburgo. VIII. Kal. Maj. Extra ordinem heri conuentum egit magiſtratus vrbanus, nactus, vt aiunt, occaſionem ex litteris Vindobona acceptis in cauſa litis, quae nobis cum rege Danorum eſt breuique in integrum ſopienda dicitur. Fluggius alchymiſta, fraudator fictae huius artis peritiſſimus, male ſibi conſcius de fuga ſolicitus fuit, ex qua per militiae ducem & hoſpitiorum militarium deſignatorem retractus Wismariamque reductus fuit. Rex Danorum Fridericoburgi XVI. Kalend. Maj. currentis anni publicauit edictum, quo lapidum pretioſorum, holoſerici acupictoriae artis ad regulam contexti, veſtiumque auro & argento illiſarum vſus prohibetur cuiusque ordinis ciuibus etiam viris et equeſtribus aulam frequentantibus, multa inſuper adiecta trecentorum vt & quinquaginta imperialium, hanc vt ſoluant qui primi, illam qui ſecundi ordinis dignitate aulica ornati ſunt. Terminus, quo vſque datur pretioſo huius generis ornatu incedere, ſtatuitur biennium, quo etiam durante iis abſtinendum eſt, qui ſolemnibus aulae intereſſe cupiunt. Petroburgo nuntiatur victoria Kulichami aduerſus colluuiem Tartarorum Perſarumque rebellium in finibus Georgiae, victis tamen atque diſſipatis quod datum fuerit per deuia adire exercitum Turcicum, quem victor aggredi parat eoque rem perduxit, vt Armenia vniuerſa & regio omnis ad Euphratem vel tributariam fecerit vel depopulando vires imperii Turcici inſigniter fregerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIX. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. IV. Id. Apr. Infelix, quem fecere minus aliena pericula cautum, ordinis ſui ad aedem diuae Vrſulae praefectus prouincialis, eorum auxit numerum, qui de praeſenti imperio liberius loquendo perniciem ſibi attraxerunt. Nocte quadam currentis hebdomadis venit ad eum S. Chiarae ſecretarius regiumque ei tradidit mandatum, quo iuſſus fuit protinus conſcendere currum ante fores adſtantem regnoque & vrbe exire, ne cauſa quidem indicata ſceleris, quo exilium meruerit. Meruit quae carcerem inuento nouo aquae lethalis, cui patria lingua Tuffaniae nomen eſt, Catharina Scortellata, poenam hanc tres & viginti annos poſtquam ſuſtinuit, anno aetatis octogeſimo ſexto defuncta eſt fato, quod in aliis praeoccupare docuit. Qui aulam frequentant, breui conſtituendum fore tradunt miniſterium, quo futura Caroli principis coniux fruetur, ipſe vero ad ſuam animi recreationem exſtruendas curat aedes magnificas ad promontorium, cui de montanis nomen eſt, operam quotidie praeſtantibus mille & ſexcentis, quod opus nonaginta aureorum millibus conſtabit.

Roma. XVII. Kalend. Maj. Omnes fefellit opinio, qui ſibi aliisque perſuadere conati ſunt, ducem S. Crucis inter & ſeditioſos conueniſſe de quatuor aut quinque articulis, cognitum enim atque perſpectum eſt, eos dictas propoſuiſſe conditiones, eo autem facundia illius fuiſſe perductos, vt ſocii, quibuscum eiusdem ciuitatis ſunt, e carceribus dimitterentur. Horum ille poſtquam ex auctoribus ſeditionis ad ſe vocatis cognouit nomina, Creſcentius marchio ea aulae adminiſtris expoſuit, cumque donatis libertate ad concionem rediit. Nec itaque male animati quoad ſingula capita transactionis voti ſui compotes facti ſunt, nec

Acqua-

Acquauiua purpuratus, Hiſpanorum legatus, minis inhaeret, vtpote qui nationis illius omnes, quibus milites conſcribendi poteſtas data fuerat, nouem impoſitos curribus veredariis ex vrbe miſit, fecitque palam, quod ciuium Romanorum, qui conſcriptionem hanc militarem adiuuare non dubitarunt, nullo modo cauſam agere ſtatutum cum animo ac deliberatum habeat. Quare repetitum V. Id Apr. fuit edictum, quo prohibentur conſcriptio militum peregrina, confluxus multitudinis tandemque & ornamenta pileorum, quibus alterius ſe nationis eſſe multi ſimularunt, praeſidio vrbis octingentis aucto raptisque in carcerem quibusdam cauponibus, inprimis ante portam, quae dicitur populi, qui ex conſcriptione violenta auſi fuerunt lucrum capere.

Ex eadem vrbe, eodem die. Sub finem ſuperioris hebdomadis Broggii fiſci procuratoris filius, patris in dignitate vicarius, hoc, quo propter Donghium centurionem caeſarianae militiae exciderat, officium iterum aggreſſus eſt. Ab eodem tempore Bruttianorum coryphaeus paganus, * qui publicum in carcerem coniectus fuerat, cuſtodia ſaltem domeſtica adſeruatur, quique cum ipſo facinus commiſerant duodecim famuli publici, atque ad remos erant damnati, Centumcellis ** in vrbem noſtram veniam ab imperatore conſecuti redierunt. Cognito, quod in ſalinis Oſtienſibus operam praeſtantes Firmecimi nauigium milites capiens Hiſpanos inuaſerint, miſſus a ſenatu eo fuit quidam primo ex ordine famulorum publicorum, qui ſolicite inquirat, num in illis inuitus ad caſtra ſequenda protractus inueniatur. IV. Id. Apr. hoc de argumento in aedibus purpurati, publicis in rebus qui a ſecretis eſt, deliberatum confluxerunt collegae Barberinus, Annibal Albanus, Imperialis, Spinola, Corradinus, Gentilis, Ruſpolius, Paſſerius, Corſinus, aliique ex clero, quos Praelatos adpellamus & poſtero die veſperi curſorem in Hiſpaniam ablegarunt. Plettenbergius comes, nouus imperatoris legatus, menſe proximo in exſpectatione eſt, conducto iam ſcutatis mille & ducentis palatio, quod inhabitabit.

*L nd Barigello. **Ciuitauecchia.

Mantua. XII. Kal. Maj. Summopere laetantur agricolae finem adparuiſſe calamitatis tantum non vbique, quam ex contagio bouino grauiſſimam ſenſerunt. Iter Gallorum in patriam breui inſtare colligitur ex eo, quod magnam ſupellectilis ſuae caſtrenſis partem Noallius mareſchallus eo praemiſerit. Certiores facti ſumus, Montemarium ducem dediſſe mandata Ladrono Parmae & Gazolae Placentiae praefectis, vt caeſarianis vrbem tradant, nec amplius Farneſana ditio milite Hiſpano abundat, Gallis etiam e terris Mutinenſibus, vbi conſumſerunt collectam annonam ad abitum ſe praeparantibus. Liburnenſem reliquit portum tertia exercitus Hiſpanici portio, iisdemque nauibus, praeter tormenta pul-

ve-

veremque pyrium, Hiſpaniae militum prouincialium leuioris armaturae * non pauci Barcinonem traiecti ſunt.

* *Miquelets.*

Lutetia Pariſiorum. XII. Kalend. Maj. Chatillonius atque Fleurius duces eorum in numerum lecti, quos Pares vocamus, proxima hebdomade locum in curia prouinciali occupabunt. Maupertuius atque Camus & tertius incerti nominis, quos rex academiae ſcientiarum delegatos eſſe voluit, iter hodie in Sueciam aggreſſi ſunt, illud, quousque dabitur, ſeptentrionem verſus proſequuturi ad explorandam globi terreſtris formam, & faciendas praeterea obſeruationes, vt comparatio inſtitui cum his, quas delegati eiusdem academiae ſuperiori anno ad Peruanos dabunt, & de telluris forma certi quid determinari valeat. Mottia, quae in ſcenam prodire ſolet, nudius tertius idem ferme, quod Molierius olim, fatum ſubiit tantoque feruore conſtitutam in agone expreſſit, vt animi deliquium paſſa vix ac ne vix quidem, mortuae inſtar de theatro deportata, vires receperit.

Lipſia. VIII. Id. Maj. In gratiam poeſeos cultorum integrum adponere carmen lugubre & pietas in defunctum heroem, qui tantum ſui poſt ſe deſiderium apud omnes reliquit, & auctoris in canendo ſuauitas, cuius nomen ſubſcribendum nemini non praeſcire dabitur, omnino ſuadent eſtque cum inſcriptione huius argumenti:

TRIVMPHALIA
HERCVLI CHRISTIANO IMMORTALI,
EVGENIO
OMNIVM, QVI SVNT, FVERVNT, ERVNT,
VIRTVTE, AVCTORITATE, FELICITATE,
PRINCIPI,
SVIS IN CINERIBVS HODIE
TRIVMPHANTI,
PARATISSIMO ADPARATV DECRETA;
QVVM EIVS LAVREATVM FVNVS,
INTER FACES ET FASCES,
AB
INNVMERO SVPPLICANTIVM NVMERO
MAGNA POMPA, MAGNOQVE LVCTV
PER IMPERIOSISSIMAE VRBIS
SPATIA
TANQVAM IN TRIVMPHVM DVCERETVR,
ATQVE
IN SACRATISS. BASILICA METROPOL.
HONORIFICENTIORIBVS INFERIIS CONSECRARETVR
ANNO DOMINI EXERCITVVM
MDCCXXXVI. VI. K. MAII.
QVA DIE MORS IOSVE, QVI REBVS MIRIFICENTISSIMIS XL. ANNIS
BELLO GESTIS TRIVMPHAVIT, MAXIME
ILLVSTRIS, CELEBRIS, INSIGNIS AC
MEMORABILIS FVIT.

* * * * * * * * *

Anne phalanx victo redit in Capitolia Gallo,
Et ſpolia antiquo reddit opima Joui?
Quid ſimile auditum priſcis, quid poſtera poſſunt
Secula, quid praeſens commemorare dies?

Ecce

Ecce triumphalem pompam, diademata, faſces,
Arma, tubas, aquilas, pilea, buſta, rogos!
Armatae funus celebrant de morte cohortes,
Et pedes exſequias reddit equesque Duci.
It nigrum plateis agmen taedasque miniſtrat,
Et minor eſt populo magna Vienna ſuo.
Obvia turba ruit lacrymisque rigantibus ora,
Principis exſtincti publica damna refert.
Troica ſic lacerum defleuerat Hectora pubes,
Taliter Aeaciden Graecia moeſta Ducem.
Haec eſt digna tuis, Eugeni! pompa triumphis,
Hos aditus fanum Martis habere decet,
Mille tibi ſurgunt arcus, tibi mille trophaea,
Mille tibi currus fulgida ſigna vehunt.
Te ſupra Gangem virtus tua vexit & Indos,
Limes & eſt famae terra polusque tuae.
Tu modo, quum longos vincendo impleueris annos,
Orbe triumphato Victor ad aſtra redis,
Fulmine quum trifido quaſſi jacuere Gygantes,
Talis ouans domitor conſtitit ante Jouem.
Hic Deus eſt cuſtos, & tutelaribus armis,
Vim prohibens omnem, non ſinit oſſa teri.
Sic Decii Fabiique manet clarique Metelli,
Et laetum Paulli Scipiadumque decus.
Ergo tuos Titulos nunc audiet ultima tellus,
Et mihi perpetuum laus tua carmen erit,
Dum Martis portenta tui ſtupet orbis, & ipſe
Hoſtis adhuc dextras horret amatque manus.
Victrices inter lauros fortaſſe requiras,
Qui tua taenariis vindicet acta vadis?
Macte animis, Heros! iuſto damnabere voto,
Nec tua lethaeis facta dabuntur aquis.
Scipiadesque nouo famam nouus Ennius addet,
Aeternet genio qui tua geſta ſuo.
Pyramides ponant alii, iacet altior ille,
Quem vetat aeterno carmine Muſa mori;
Marmora pyramidum conſumit tempus in illum
Quem ſtatuit tumulum, nil ſibi iuris habet.

Reliqua proxime ſubiicientur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XIX. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. IX. Kalend. Maj. Neglectus aeque ac ignorantia, quo quis defungitur, officii parit contemptum eſtque illis etiam deriſui, qui omnem ſacris ſolent habere reuerentiam. Die feſto primo paſchatos, archiepiſcopus vrbis, cuius nomen littera V, incipit, ſupremus largitionum ſacrarum regis praefectus, ſacra, quae Miſſae ſolemnes vocantur, adminiſtrans ipſo rege praeſente, liturgiae ignarus mutilauit hymnum *Pater*, & tertia ſuperioris hebdomadis feria veſpertinas apud Delphinum fundens preces, hallucinando inſigniter, male *Pater*, peius *Credo*, peſſime *Confiteor* recitauit dictumque offendit principem, qui diſcedentem fertur alloquutus: Vale domine abbas, quem nec *Confiteor* nec *Pater* proferendi ſatis callentem obſeruaui. Academia ſcientiarum regia praemium anni trigeſimi octaui conferendum illi ſtatuit, qui naturam ignis eiusque propagationem omnium optime illuſtrauerit, illuſtrando autem propagationem luminis hoc anno Johannes Bernoullus, qui patrem agnoſcit mathematum profeſſorem Baſileenſem, palmam reliquis eripuit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Carignanus princeps grauiter admodum aegrotat, nec fuit hucusque in medico quinquies repetita venae ſectione releuetur vt aeger. Nudius tertius, praeter ſex in effigie, ſuſpenſi ſunt de patibulo tres, quorum a tergo & ad pectus adfixis in ſchedulis legebantur verba: *Famoſi falſarii.* Noſtrae in Longobardia copiae ſuo de diſceſſu ne cogitant quidem, culpam morae non amplius tribuentes viarum difficultatibus, ſed regi Sardiniae, qui ante diſſuadeat abitum, quam termini conſtituti fuerint, ne in conſtituendis his dubium quod aula Vindobonenſis moueat, aliis adfirmantibus non reuocatum iri exercitum donec

de

de Lotharingia tradenda transactio ad finem perducta fuerit. Omnium in ore eſt, quod nuperrime lucem conſpexit, mandatum Noallii vrbis noſtrae, dum viueret, archiepiſcopi, opus poſthumum, quod regia olim ſuppreſſum fuit auctoritate, defenditque quatuor miracula, quae purpuratus paulo ante obitum accuratius examinata adprobauit. Cui cum litterae noſtri hodie archiepiſcopi prorſus contrarientur, ſemen ſparſum videtur nouae contentionis, quae inſtantem eccleſiae concordiam tollat potius quam confirmet.

Londino. V. Kalend. Maj. Simul ac miſſus praeterita hebdomade in aulam Saxoniae Gothanam curſor fuerit reuerſus, rex vtrique curiae regni ſponſalia ſignificabit Walliae principis, vt definiatur ſuſtentandi ratio; quae more auito nouae nuptae ſolet euenire. Die heſterno Cumbriae principis natali rex Chandoſium ducem creauit Hiberniae proregem in locum Dorſeti ducis, conſtituti in itinere, vt ad nos reuertatur. Norriſio, ſummo maris praefecto, in mandatis eſſe perhibetur, vt cum nauibus octo maioribus domum concedat, claſſique interea apud Olyſſiponenſes aliis octo nauibus augendae Balchenius praetor praeſit. Nudius quartus quam diutiſſime Kinskius comes colloquium habuit cum aulae noſtrae & in hac publicarum rerum adminiſtris, quo finito ad regem ſe contulit eique imperatoris, cuius legatum agit, litteras tradidit.

Haga Comitum, Kalendis Maj. Vhlefeldius comes, imperatoris apud nos legatus, ordinibus foederati Belgii enarrauit pluribus confectam Vindobonae transactionem pacis, cuius eos quoque ſocios inuitauit. Tantae molis opus, quantum conſtat, Idibus Apr. abſolutum, in ſubſcriptione autem dies adpoſita fuit III. Id. Apr. ex conſulto, ne terminus ſex menſium his deliberationibus deſtinatus videatur neglectus, nec reuera fuit, poſtremus enim Lutetia Pariſiorum curſor opinione & quidem biduo tardius redierat. Specialia huius transactionis nondum perſpecta omnibus ac cognita ſunt, particularis tamen habetur pax imperatoris cum Galliae rege, nulla vel Hiſpaniae vel alterius regis facta mentione, quibus liberrimus dabitur acceſſus, mutua vero pacti huius transmiſſio & permutatio intra menſem definita eſt. Dux Lotharingiae eiusque frater germanus Carolus, nullo argumentorum pondere eo ſe perduci paſſi ſunt, vt ante obitum magni ducis Hetruriae de iure ſuo in Lotharingiam cedant, aulae tamen Gallicae adminiſtri de excogitando adhuc modo non plane deſperant. Ordines comitatus Hollandiae, conuentum ſuperioris hebdomadis antequam ſoluerent, imminutionem exercitus ad decem millia decreuerunt, quod hodie concluſum ordinibus totius reipublicae proponendum fuit, quibus quam maxime placebit.

Vindo-

Vindobona. III. Kalend. Maj. Moermannus baro electoris Bauariae per annos quadraginta in aula noſtra legatus, qui nuper vita deceſſit, praeter lapides pretioſos vaſaque argentea, numeratae pecuniae trecenta florenorum millia reliquiſſe perhibetur. In horto ſuburbano Albrechtino opus quatuor annorum, ſtatuam Johannis Nepomuceni, ſumptibus canonicorum Pragenſium conflatam ingens multitudo ſpectatum confluxit, quae nummorum libralium quinque millibus conſtans inque vniuerſum trecentorum millium florenorum pretio veniens proximis diebus Pragam deportabitur. Altero poſt pii Aeneae noſtri ſeculi Eugenii ducis funus die aliquot florenorum millia pauperibus diſtributa fuere. Delegatorum prouincialium Auſtriae tribuni adminiſtrant interim bona defuncti, qui viuus ordinibus prouinciae noſtrae ducenta tradidit florenorum millia, vt horti ſui, quem in delitiis habuit, ad culturam ex vſuris ſumptus ſuppetant. Quae reſtat carminis funebris portio ita ſe habet:

Fortunate Senex! te nulla obliuia mortis,
Te nunquam totum tollet auara dies;
Et, ſi quid ſeclis dignum eſt durare futuris,
Semper in hoc ſacrum nomine numen erit.
Hunc licet oſtentent de corpore fata triumphum
Pars melior ſtygiae neſcia ſortis ager.
Qualis cinameo Phoenix iuueneſcere buſto
Creditur, in terris vnica ſemper auis.
Liquiſti exuuias gelido ſub marmore, ſed non,
Quantus eras Heros, marmor & vrna capit.
Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine coelum,
Pro facibus ſtellas, pro imperio empyreum;
Haec eſt illa tui merces extrema triumphi,
Laudat vbi emeritum libera fama Ducem.
Ingenium cui Dis & mens contermina coelo,
Dicere quem totum fama nec ipſa poteſt.
Cur haec inuideat priſcis heroibus aetas?
Secula & Alciden noſtra tulere ſuum.
Alcides duodena refert ex hoſte trophaea,
Plura tulit vindex Eugeniana manus.
Quantum aliis Reges, tantundem Regibus exſtans,
Et bello & belli victor & ipſe ſui.
Omnia quum vincit, ſe denique vincit & ipſum
Hunc ſibi vincendi ponit & ipſe modum.
Moribus his coelum patuit, dignasque merendo eſt,

Cuius

Cuius honoratis oſſa vehantur equis.
Aſt vnum cuperem, cunctos memorare poetas,
Eugenium in terris non potuiſſe mori.
Qui toties Victor, Rheni pacator & Hiſtri,
Impleuit ſpoliis Martis vtramque manum.
Si medias inter Decii cecidere phalanges,
Inter & hic Princeps foedera pacis obit.
Sic decet humanae meditantem tempora pacis,
Aeterna tandem velle quiete frui.
Quam leue mercari pulchram per vulnera mortem;
Hic voluit parta non niſi pace mori.
Nempe vetant ſuperi. Nec quae conceſſa ſenectae
Pax erat, hanc fato prorogat ille ſuo.
Veſtras fata vices! o mors! o tempora! quantum
Perdimus, Eugenii non manet vmbra quidem.
Frange decora tui formoſi cornua tauri,
Europa, & ſub aquis triſte reconde caput.
Aſia, pone tuae fragrantia munera myrrhae
Helleſpontiacis te quoque conde vadis.
Aphrica ſole rubens, atrum tibi ſume colorem,
Solem quippe dies abſtulit atra tuum.
In gremio rutilas abſcondat America gemmas,
Hanc terrae gemmam terra recondit humo.
Heu! vbi nunc tibi, Phoebe, lyra eſt? vbi praeſcia laurus?
Nunc vbi non tonſae, dic, nitor ille comae?
Non ſecus ac torui ſubuectus ab ore draconis,
Sol perit, & medium ſurripit vmbra diem.
O nimium infelix! o lamentabilis! o tu
Fellis & abſynthi plena aloesque dies!
Non ego (nam motos praeſtat componere luctus)
Plura queror. Dignum flere Thalia vetat.
Ceperat, heu! Rachel natos vlulare peremptos,
Aſt vbi non flendo profuit, abſtinuit.

Trebellius Pollio in Diuo Claudio Suo.

Longum eſt tam multa, quam meruit Vir ille, perſcribere. Vnum tamen tacere non debeo: quod illum & Senatus & Populus ante Imperium, & in Imperio, & poſt Imperium ſic dilexit, vt ſatis conſtet, neque Traianum neque Antoninos, neque quemquam alium Principem ſic amatum.

Jo. Car. Nob. a Newenſtein
S. R. I. Eq.
Caeſ. Aul. Poet. Laur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XX. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↃIↃCC XXXVI.

Roma. XI. Kal. Maj. Pecuniae omnia obediunt reginamque mundi pecuniam agnoſcunt etiam illi, qui legibus iuſti obſequii ſolutis libertatis aliquam ſpeciem adfectant. Sane Genuenſium exoſi imperium Corſi nouum aliquod incerti euentus praeferendum ſtatuunt, diuitiis quod munitum vident. Prolixis admodum Corſica ex inſula litteris relatum accepimus, Alerianum intraſſe portum magno cum comitatu virum, cui Theodoro nomen fictum potius quam verum, et a miniſterio ſunt duodecim inque his praeter tres Aethiopes, alius tribuni militaris vicarius, alius ſecretarius, alius rei domeſticae, alius denique ſacrorum adminiſtrator audit. Virum hunc, quem ſalutis patriae & libertatis reſtauratorem putant inſulani, principem alii, alii equitem Anglum, alii Ragozzium iuniorem eſſe coniiciunt, quem male in rempublicam Genuenſem animati magno honoris cultu exceperunt, eumque excellentiſſimum non modo, verum & proregem ſalutare non dedignati ſunt. Suis ille opibus magnam ſibi comparat autoritatem, ſua liberalitate in omnes inſigni popularem captat gratiam manumque praeſidiariam contrahere ſtudet. Sumſit aduena hoſpitium in aedibus Marii epiſcopi, Ceruianae ditionis in oppido Campolorano, quod, vt aiunt, breui mutabit conferetque ſe Caſineam, qui locus a Fano S. Peregrini haud procul & ab vrbe primaria Baſtia ad decimum octauum diſtat lapidem. Multum ille crepat aduentum ſex aut decem nauium bellicarum, ſique res ita ſe haberet verentur merito qui reipublicae Genuenſis in fide manſerunt, ne inſulam vniuerſam occupet ſuamque ſub poteſtatem redigat.

Ex eadem vrbe, eodem die. Primo Hiſpanorum equitum Neapolim tendentium ordini Praeneſten.* ingredi vrbem ciues non permiſerunt,

miſſoque

miſſoque curſore conſenſum aulae noſtrae explorarunt & impetrarunt admoniti, hoſpites vt admittant, ſi numerata pecunia ipſi victum ſibi comparent. Feria currentis hebdomadis tertia Neapoli redierunt octodecim numero milites, quos inuitos apud nos conſcripſerant Hiſpani inque pontificis paſſim ditione, dimiſſos autem ad fines vsque deduxerunt, deductos & quidem ſingulos viatico, aureo Venetorum ** inſtruxerunt, vt iter ad patrios lares abſoluant. Eodem die, ex ſententia iudicum ad cauſam hanc militarem tractandam delegatorum conſcriptor fraudulentus ad annos quinque, per tempus vero varium alii ad remos damnati ſunt, mulier quoque & ancilla fraudis ſociae virgis caedendae dicuntur. Alexander Albanus purpuratus, Pedemontanae nationis protector, aulae noſtrae ſignificauit, quod Zanonus abbas, calamo acuto qui ſedem impugnauit Romanam, regis Sardiniae in terris comprehenſus inque vincula publica coniectus ſit. * *Paleſtrina.* ** *Zechine.*

Mediolano. VII. Kal. Maj. Pedemontani in remouendis pergunt tormentis bellicisque rebus variis, quas ab eo tempore, quo caſtellum vrbis noſtrae occupauerant, ad muniendum illud olim adduxerunt. Rex Sardiniae ſupplet numerum legionum ſuarum & inſignem annonae copiam, qua Galli abitum parantes abundant, emptionis iure ſuam fecit. Galli quoque inſtituunt vacuam reddere Mutinenſem prouinciam, ex qua ſupellectilem ſuam militarem ad Patauinos deferre coeperunt. Lautrecus comes, Liburnum miſſus, qui negotium aliquod cum Montemario duce conficiat, rediit inde, dictusque Hiſpanorum dux Neapoli quoque Liburnum reuerſus in eo occupatus eſt totus, vt tertiam exercitus ſui portionem Barcinonem traiiciat, rebusque ita fluentibus Hetruria hoſpitibus ſuis proxime omnibus carebit. Haec dum ſcribimus, opinio ad nos venit, ſeptem naues Hiſpanicae militiae portionem ſecundam capientes ad littus Cataloniae feciſſe naufragium adeo graue, vt anguſto in ſinu Rhodopolitano * trecenta ſuffocatorum aquis corpora numerare datum fuerit.

* *Roſes.*

Heidelberga. III. Kalend. Maj. De caſtris & caeſarianis & Gallicis proxime ponendis mirum in modum diſcrepant ſententiae. Alii in mandatis habere dicunt Würtembergicum ducem, vt in agro Friburgenſi viginti contrahat millia. Alii plura per aeſtatem hanc futura contendunt caſtra, prima ad vrbem noſtram, ſecunda prope Heilbrunnam, tertia in agro Vlmenſi, & quarta denique prope Francofurtum ad Moenum, breuique tempus docebit, in quantum relationi & diffidentibus inuicem coniecturis fides habenda ſit. Certe Mahlerus imperatori a commiſſionibus bellicis traditur annonae procuratoribus iniunxiſſe ſedulam ad victum neceſſaria conquirendi operam, qui etiam piſtores quam plurimos iam conduxerunt. Addunt alii, in eo eſſe Würtembergicum ducem, vt VI. vel IV. Id. Maj. noſtram ingrediatur vrbem, caſtraque

primaria,

primaria, donec pax publicata fuerit, apud nos habeat.

Vindobonæ. VI. Kal. Maj. Nudius tertius curſores bini, Ludouicoburgum ad Würtenbergicum principem alter, alter Petroburgum abierunt, vice verſa alius aduentauit e Gallia, cuius aeque ac prioris nuntius omnes latet, fama tamen docet, omnem lapidem adhuc mouere Galliarum regem, nouisque imperatorem fatigare conditionibus, vt Lotharingiam ante definitum tempus præoccupet. Copiae paciſcentium in Italia, vt nouiſſimæ teſtantur litteræ, vario quidem itinere abitum ſubindicant, de Parma tamen & Placentia vt & Mediolano caeſarianis ex pacto traditis altum ſilentium eſt. Quam Eugenius dux morte ſua vacuam reliquit, legionem equitum deſultoriorum, omnium ex opinione Aſpremontius Lindenius comes conſequetur. Adminiſtrationem bonorum defuncti principis tribunus delegatorum prouincialium Auſtriae * Kochio, qui conſilio aulico bellico ab expeditionibus eſt, ** contulit, quae vero ipſi in Pannonia fuere, ex more illius gentis, fiſci regii praefecti curant, aluntur vero, quos viuus a miniſterio habuit omnes donec caeſariana in aula locum obtineant.

* *Land-Marſchall.* ** *Agente.*

Lipſiæ, Idibus Maj. Geſta piae memoriae principis Eugenii enarrare nimis prolixum cum foret, integris expoſita libris, * vel leui penicillo gentis, ex qua oriundus fuit, ſplendorem adumbraſſe ſufficiat. Noſter nimirum Eugenius Franciſcus, princeps Sabaudiae & Pedemontii, marchio Salutianus, eques ordinis aurei velleris, imperatori a conſiliis ſanctioribus & publicis, rerum bellicarum conſiliorum praeſes, ſummus militum dux, imperatoris & imperii Romano-Germanici ſummus caſtrorum praefectus, tribunus legionis equitum deſultoriorum inque terris Italiae, quae Auſtriae parent, vicarius generalis, XIV. Kal. Nov. anni ſexageſimi tertii in Gallia natus patrem habuit Eugenium Mauritium, ſtirpis Sueſſionenſis principem VII. Id. Jun. anni ſeptuageſimi tertii denatum, matrem vero Olympiam Michaelis Laurentii Mancini filiam, cum Mazarino purpurato cognatione coniunctam, fratrem, Ludouicum Thomam, qui natu maior, XI. Kal. Sept. anni ſecundi, quo viuimus, ſeculi, Landauienſi in oppugnatione occubuit. Cuius ex Thereſia Anna Felicitate Lichtenſteinia principe natus filius, Eugenius Johannes Franciſcus anno ſuperiori Manhemii in ipſo aetatis flore exſtinctus eſt. Quo noſter priuatus haerede, haeret in animis omnium, gloriamque & nomen eius poſteritati tradere non pauci conantur, in his miles, defuncti variis in expeditionibus periculorum ſocius, ei monumentum hoc poſuit:

SVRREXIT
ORBI
OLIM
EX
MARTE SOBOLES,
EVGENIVS
HEROS!
QVAMDIV VIXIT,
TAMDIV VICIT!
DONEC
INVICTVS

DENI

DENIQVE
VINCENDO LASSVS;
TROPHAEIS SATIATVS;
LAVRIS EXORNATVS;
CAESARI SACRATVS;
ET
DIIS DESTINATVS
IPSEMET
MORTE DEBITA
DEVICTVS
HIC
IACET!
ET
ORBI
VALEDIXIT!

* * * * * * * * *

Jam!

Mars Sobolem luget! deflet Bellona! gemiſcit
Gens Germana, ſuam cernens cecidiſſe Columnam!
Eugenio virtutum vnquam nec defuit vlla!
En Pius! en Fortis! Mitis meritoria gratis
Reſpiciens; vigilans Bellum Pacemque gubernans!
Conſiliis ſapiens, quo non fidelius alter
Rem tetigit verbis non tantum, ſedque peregit!
Hoſtes teſtantur, praeprimis Turca fatetur
(Inuite quamuis) quoties iam clade cruenta,
Quo redeant illis durum monſtrauerit iter
Eugenius, cuius fuit vnica cura, ſalutem
Teutonicam, ſeu Patriae Teque Tuumque tuendi!
Caeſar & Imperium ſerum quoque ſemper in aeuum
Eugenii victricia geſta colent; ea viua
Seruabunt, monſtranda in marmore poſteritati!

Et ſic!

Magnus Alexander maneat per ſecula Magnus!
EVGENIVS noſter MAIOR poſt ſecla manebit!

Aſt?

Patria quae praeſtas Heroi praemia tanto
Pro meritis tantis? En nil pro munere quaerit!
Quam quod caſſatis nunc Caſtris gaudeat Aſtris!

Ergo

Terra tui Herois veneraberis oſſa relicta!
Diuiſum *Eugenium* quia cum Joue Caeſar habet nunc.
Sique vides ſimilem poſthac, Tibi gratulor orbis!

Quidam qui quondam
EVGENIO Duce Supremo, quoque Caſtra ſecutus
Caeſareus moeſtum monumentum condidit iſthoc
Ex Deuotione debita
Officialis, L. G.

Anno ſaLVtIs, VbI paX patrIæ reDIIt, & Caſtra arMaqVe sILere, fertVr.

* *Vita & Hiſtoria Eugenii noſtri prodiit Gallice A. 1703. Amſt. 12. Ab eo tempore geſta proſecutus eſt Johannes Montius, qui explicationibus hiſtoricis illuſtrauit acies, quas victor inſtruxit longe plurimas, A. 1721. Hag. Com. fol. Gallice, de quibus conf. Act. Erud. Germ. Tom. VII. p. 227.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XX. A. P. C. N. — PARTIC. II. cIↄIↄcc XXXVI.

Olyſſippone. IV. Id. Apr. Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas, adeo vniuerſales, vt nullam patiantur exceptionem vel aetatis vel conditionis, quam iure omni feciſſet Carolus, princeps regius natu ſecundus, qui IV. Kalend. Apr. praematura morte deceſſit, quem regia gens & aula ciuesque meritò omnes lugent. Continuis imbribus ſegetem quam maxime corrumpentibus, ad coeli impetrandam clementiam per ſingulas vrbis parochias obambulationes religioſae inſtitutae ſunt.

Lutetia Pariſiorum, pridie Kalend. Maj. Mandatum regis, quo noſtrae copiae, ex pacto Vindobonae Idibus Apr. condito, iubentur cedere de locis, quae tempore belli tenuerunt, VIII. Kalend. Maj. per curſorem in Italiam transmiſſum fuit, vt, quam primum fieri poterit, noſtris in terris in exſpectatione ſint. Montemarius, ſummus Hiſpanorum exercitus dux, ſonticam habuiſſe cauſam dicitur proficiſcendi Neapolim, nuntium Carolo principis pluribus coram expoſiturus, quem ex curſore Mantua Carpetanorum extra ordinem miſſo paulò ante cognouerat, quam iter aggreſſus eſt. Rex, qui nudius tertius Rambouilletanam petiit villam, publicandum ſtatuit edictum, ex quo tam peditum quam equitum de cohorte quauis quinque dimittentur milites gregarii, inque vniuerſum omnes locum tenentium adiutores * atque equites vexillarii, ** quibus tempore belli opus fuit. Ex ſententia iudicum IX. Kalend. Maj. lata in falſorum contractuum auctores incarceratos, horum vnus ad centeſimum ab vrbe noſtra lapidem in exilium eiectus eſt, quidam in carceribus detinendi per trimeſtre vel ſemeſtre anni ſpatium, donec quantum commiſerint, accuratius noſſe detur, reliquis libertate donatis.

* *Sous-Lieutenants.* ** *Cornettes.*

Ex

Ex eadem vrbe, eodem die. Qui nuper Sequanae * in fluuium ſe praecipitando fatum praeoccupauit, Pelueus marchio, in ipſo, quo abreptus fuit, furore cautelam adhibuit praepoſteram deponendo veſtem pretioſam pileumque & in hoc horologium portatile aureum, capſulam herbae Nicotianae magnique pretii annulum, ſicque rerum ſuarum potius quam vitae rationem habuit. Omnium in ore eſt nouus in Corſica inſula hoſpes, ſecum ferens belli adparatum & diuitias, quem male in rempublicam Genuenſem animati, nomine Theodori primi, regem ſalutaſſe perhibentur. Si res ita ſe habet, vt narratur, potentioris ille ſuffultus viribus acceſſit, quem alii equitem Georgianum, alii Ragozzium principem iuniorem eſſe, alii aliter coniiciunt, quantumque ex litteris ad familiares cognitum eſt, nouus ille rex nullos in ſtatu militari, ciuili & eccleſiaſtico Germanos honoribus publicis dignos cenſuit. Heri mane hora octaua, Couetus abbas, vnus ex quatuoruiris vicariis archiepiſcopi noſtri, huius in palatii area pugione laeſus fuit a filio, vt poſtea innotuit, pileonis, cui ille peccatorum veniam concedere denegavit. Auctor ſceleris, hoc perpetrato cum domum ſuam, quaſi re bene geſta abierit, comprehenſus fuit, vulnus autem vix lethale traditur.

* *Seine.*

Haga Comitum, pridie Non. Maj. Horatius Walpolius, regis magnae Britanniae extra ordinem legatus, Londino nudius tertius ad meridiem adpulſus eſt naue, qua princeps Saxoniae Gothana, Walliae principis ſponſa, in Angliam proficiſcetur, quem exterorum principum legati & optimates protinus ſalutatum venerunt, ipſe vero cum quibusdam ordinum reipublicae deliberationes inſtituit. Eodem die ad ſolis occaſum vrbem noſtram ingreſſa princeps ſponſa hoſpitium in aedibus Horatii Walpolii ſumſit poſteroque ſtatim mane Heluoetſluſium conceſſit aduenransque hora quarta nauem conſcendit, Neptuno ipſo inuitante, qui nuptiis fauere videtur, vt dubium non ſit, quin Tameſis iam fluuii oſtium intrauerit. Mirantur omnes, tranſeuntem ſalutatum non veniſſe ad nos Arauſionenſem cum coniuge ducem, ſique famae quid libet credere, nuptiis quoque ſuam praeſentiam denegabit. Omen belli inſtantis habetur, quod regina Hiſpaniarum omni modo impediat diſtributionem bonorum, quae ex America Carthaginem claſſis aduexit. Id vt fieret hortantem Keenium regis magnae Britanniae legatum Patinhus a ſe dimiſit reſponſo altioris indaginis, ne cogitandum quidem Anglis eſſe de accipiendis bonis ad ſuam nationem ſpectantibus, opus enim habere his ipſos Hiſpanos, quibus proxime cum Catalonienſibus pugnandum ſit.

Vindobona.

Vindobona. V. Non. Maj. Amalia auguſta vidua, hoc ipſo die, quo conuentus agi ſolet ſolemnis, ordinem crucis ſtellatae inſigniter auxit lectarumque in eum haec ſunt nomina: Thereſia Lubomirskia & natiuitate Mniſzeckia comes; Liſana Noſtitzia comes virgo, quae Mariae Thereſiae archiduci recens nuptae Lotharingicae duci a miniſterio eſt; Maria Anna Reiſchachia nataque Bodmannia baro; Walpurga Lerchenfeldia nata comes Trautmansdorffia; Maria Antonia Koeniglia comes, natiuitate Trautſonia comes; Maria Joſepha Stotzingia origine autem Badenſis baro; Ludmilla Juliana Klebelſpergia comes, comitum Lizzauienſium e gente oriunda; Franciſca Rindsmaulia atque natiuitate Walmerodia comes; Maria Joſepha Startzhauſenia baro virgo in aula Eliſabethae archiducis, quae Belgio hodie Auſtriaco praeeſt; Barbara Schaffgotſchia eaque nata comes Waldſteinia; Bernardina Liedekerkia Horrionum ex gente comes; Hieronyma Bentiuoglia comes eiusdem dignitatis ex ſtirpe Petrae Mellaris originem trahens; Maria Anna Finia baro, nata baro Horſteinia; Anna Ludouica Eſterhaſia princeps, nata marchio Lunata Viſcontia; Ludouica Thereſia Lignia princeps Palmenſium principum e domo oriunda; Clara Salza baro, nata Malovvezia; Maximiliana Firmiana baro, comes nata Lodronia; Barbara Franciſca Daemia nataque Klercauia comes; Roſalia Cauriana comes virgo, quae Lotharingicae duci Mariae Thereſiae archiduci a miniſterio eſt; Thereſia comes Spilimbergia, nata baro Prattia; Maria Anna Kageneckia baro, natiuitate Andlauia; Maria Anna Kokorzoua comes, virgo honoraria aulae Lotharingicae ducis; Maria Victoria Bada Badenſis natiuitate Arembergica princeps; Erneſtina Kaunitzia e domo Stahrenbergica comes; Charlotta Trautmannsdorffia e gente Wagenſpergica comes; Maria Adelhais Weſſenbergia eaque Freibergia baro; Maria Clara Wolckenſteinia comes, nata baro Lehneria; Maria Anna Künitzia baro, nata comes Stahrembergia; Maria Walpurga Sceauia comes virgo, archiduci Auſtriae, quae electori Bauariae nupſit, a miniſterio; Vrſula Trauneria comes pariter virgo eidemque a miniſterio. *Defunctarum per hoc ſemeſtre hybernum nomina proxime dabimus.*

Ex eadem vrbe. III. Non. Maj. Nouiſſimae ex Italia docent litterae, regem Sardiniae nondum vacuum feciſſe Mediolanenſem ducatum quodque potius nouam exactionem indicendo lente admodum feſtinare ſe velle in hoc negotio abunde declaret. Praeſenti hebdomade e terris Rhenanis ſex nauibus aduecti denuo ſunt noui coloni Hungariae, qui Quinque Eccleſiarum in agro ſedem ſibi eligere ſtatuerunt. Minus adhuc perſpectum ac cognitum eſt, quando & quibus, quas Eugenius dux Sabaudiae tenuit, dignitates conferendae ſint, multorum tamen ex con-

coniecturis conſilii bellici praeſes Koenigseckius comes huiusque vicarius, vel Kheuenhüllerus vel Harrachius, comites ſummique caſtrorum praefecti, ſalutabuntur. Coeterum in memoria tanti ducis conſeruanda plures quotidie deſudant, in his ſequentes:

Vado mori Princeps, ſimilem cui maximus orbis
Non vidit, volo, non debeo, vado mori.
Mors etenim armatum, vigilem non auſa ferire,
Sola ferit, ſomnis dum vaco, vado mori.

* * * * * * * * *

STA VIATOR!
EVGENIVS
SINE PARI
BELLI DVCVM ANTESIGNANVS
MORTE SINGVLARITER DISCRETA E
VIVIS SVBLATVS,
ET ORBI EREPTVS EST;
IDEO DISCRETA, QVOD CONSVETAS
EIVS ANGVSTIAS
EXSPIRANS NON SENSERIT:
TOTIES QVOTIES ET VBIQVE VICTOR
IN TERRIS
AETERNVM CORONANDVS.
ABI VIATOR, ANIMAEQVE TANTI
HEROIS EX
CORDE BONA QVAEVIS PRECARE!

* * * * * *

Occidit EVGENIVS! toto (famam excipe) parta
Orbe trophaea breui colligit vrna ſinu.
Vincere quem nunquam potuit Mars, inuida tandem
Rerum magna Parens vincere ſola poteſt.

A. J.

* * * * * *

Oliua pacis virente
Mars emarcuit.

* * * * * * * * *

Quem mors vigilantem aggredi timuit, aggreſſa eſt dormientem.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, pridie Non. Maj. D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ Collegium publicum octo diſputationum medicarum indixit Programmate differens de Plantarum ſeminibus. Litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 2.

V. Id. Maj. Diſp. Juris Feudalis primam *de Litteris feudi reuerſalibus a ſimultanee inueſtitis exhibitis, vulgo von Lehns - Receſſen derer Mitbelehnten*, praeſide D. JOHANNE GOTTLIEB SIEGEL, exhibuit TRAVGOTT LEBRECHT EILHARDT, Altenburgenſis. Litteris iisdem. pl. 4.

IV. Id. Maj. Diſſ. alteram pro Loco in Ordine Philoſophico obtinendo *de παιδαγωγία veterum Graecorum* publice propoſuit JOHANNES PETRVS MILLERVS. Litteris Saalbachianis. pl. $6\frac{1}{2}$.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXI. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Baſtia. X. Kalend. Maj. Mundus eſt theatrum, quaeque in eo exhiberi ſolent, rerum varietatem mortales rimantur & mirantur. Mirantur merito omnes ſcenam in inſula noſtra inſigniter ſubitoque mutatam, in quam qui prodit res ſuas feliciter ſi geſſerit, nouum certe opus ſera mirabitur poſteritas. Sane coeptis arridere videtur fortuna, tenentque male in rempublicam Genuenſem animati commodiſſimum totius inſulae portum Vecchianum, binisque, quarum vela minus explorata ſunt & cognita, nauibus bellicis mortaria bellica, tormenta, pilas ferreas puluere nitrato fartas, ſclopetorum octo millia annonaeque & bellicae rei adparatum valde multum acceperunt. Imo haec dum ſcribimus, nuntius aduolat Sartenam eos occupaſſe, ducto in captiuitatem praeſidio quique ei praefuit locum tenente, vbi inter alia belli inſtrumenta etiam ſclopeta quingenta conſecuti ſunt. Conuentum illi, nouo aduena conſiliorum moderatore, non Curtae ſed Aliſani egerunt concluſum vero, quantum fieri poteſt, premunt ſilentio. Qui libertatis vindex vt lateat, vario eum nomine dubioque procul ficto, modo virum equeſtrem, qui apud Hiſpanos cooperto regem adit capite, modo principem ſeptentrionis, modo equitem Anglum, modo imperii principem, modo Parem Galliae, modo aliis honorum titulis adpellant.

Ex eadem vrbe, eodem die. Qui orſis dare proſperos ſucceſſus omnem ponit induſtriam Theodorus noſter in ordinanda bene republica in praeſenti occupatus eſt. Conſtituit nimirum ſigilli cuſtodem Coſtam, ſummum exercitus ducem Giafferium, praetorem caſtrenſem ſupremum Aitellium, tribunos militares Johannem Jacobum Caſtinettam Ruſtinanum, Simonem Fabrianum Balagnenſem, Antonium Buttafocum

Veſco-

Veſcouatanum, ſummum aerarii praefectum Xauerium Matram Alerianum, regni gubernatorem Hyacinthum Paulum Roſtinanum tandemque Gafforium Curtenſem baronibus adſcripſit. Praeterea ſenatores regni creauit octodecim & quidem duodecim cis, ſex trans montes, quorum ſine conſenſu nullum ciuibus imponi poterit tributum, quod per integrum penitus ceſſabit luſtrum ab eoque viduae & pupilli in perpetuum immunes erunt. Portui Vecchiano ſex dedit praetores, locis transmontanis Lucam Ormanum praefecit militesque huc illuc ablegauit, qui multo aere inſtructi tyrones conſcribant.

Roma. IV. Kal. Maj. Secunda currentis hebdomadis feria hauſimus ex ore Proſperi atque Buſſi centurionum, qui Velitra aduentarunt, ciues illius oppidi introitum denegaſſe Hiſpanis, qui iter Neapolim faciunt. Firrauius itaque Corſinus & Paſſerius purpurati cum dictis duumuiris agitarunt conſilia, quibus finitis illi eo, vnde venerant, reditum maturarunt. Altero poſt die Barberinus purpuratus Velitrenſis dux & epiſcopus iter eo aggreſſus eſt, cui populus, arma qui arripuerat, ad lapidem vnum obuiam venit laetoque eum adplauſu excepit. Ingreſſus vrbem ad ſacra conuocauit populum expoſita hoſtia conſecrata, habitoque cum magiſtratu colloquio, auctores ſeditionis ad ſe accerſiuit, accerſitos, vt arma deponant, hortatus aegre admodum voti ſui compos factus eſt. Viterbio nuntiatur aduentus bis mille & quingentorum Hiſpanorum, qui ad Orbitellum nauibus expoſiti Neapolitanum in regnum iter proſequi intendunt.

E finibus Longobardiae, Kalendis Maj. Quarta ſuperioris hebdomadis feria Parmam & Placentiam Hiſpani in vniuerſum omnes reliquerunt, vtriusque igitur oppidi ciues & quidem huius Wachtendonkius ſummus dux militum, illius Lobkowitzius princeps imperatori iureiurando obſtrinxerunt. Galli pariter abitum ex Italia parant, quorum turma tredecim peditum legionibus dimidiatis & integris tribus equitum deſultoriorum legionibus conſtans iter iam aggreſſa eſt ad Pedemontanos, vt reliquis, e terris Mutinenſibus per Cremonenſem ditionem adpropinquantibus, locum concedant. Venetorum respublica Carolum Hiſpaniarum principem ſponte ſua vtriusque Siciliae ſalutare decreuit regem, idque XIV. Kalend. Maj. Fuenclarae comiti Hiſpanorum regis legato per delegatos ſignificauit, qui cum nuntio hoc grato valde & accepto curſorem protinus Mantuam Carpetanorum ablegauit. Eidem legato, quibus poteſtas datur Vindobonam perueniendi, litterae imperatoris in manibus, huius qui legatum ibidem agit, Pii principis eſſe dicuntur, ei non prius tradendae, quam rex Hiſpaniarum ſuas transmiſerit litteras, quibus praeliminaria pacis adprobauerit.

Lutetia

Lutetia Pariſiorum. IV. Non. Maj. Non paucos optimatum noſtra in vrbe per idem ferme tempus mors rapuit, in his decimarum exactorem primarium Malletum, praeſidem curiae prouincialis ſummum Portailium atque Couetum abbatem, qui ex vulnere nuper accepto exſpirauit. Auctor nefandae caedis, qua abbatem ſponſalia ipſius adprobare recuſantem ſuſtulit, non erubuit fateri coram iudice, facinus ſi non eſſet commiſſum commiſſurum adhuc ſe fore, aegre qui ferat, vulneratum non extemplo animam exhalaſſe. Imo fateri non dubitauit ſibi animum fuiſſe occidendi paſtorem aedis S. Margarethae, quem in nuptiis pariter contrarium offenderit, vt & binos e magiſtratu, a quibus in carcerem detruſus, ex quo de feneſtra deſiliens fuga ſibi conſuluerat; tantae itaque audaciae hominem cras poena capitis manet, ex ſententia, quae in ipſum iam lata perhibetur. Qui aulam noſtram domosque legatorum, quos in ea alunt principes varii, frequentant, vno omnes ore profitentur, id agi, vt Galliae, magnaeque Britanniae reges inter & ordines foederati Belgii conueniat de modo conciliandi Luſitanos & Hiſpanos, quam primum reſtaurata nuper in Germania pax publicata fuerit; interim diſcordiarum, quae vtramque inter gliſcent nationem, finem quam longiſſime abeſſe, Mantua Carpetanorum aeque ac Olyſſippone nuntiatur quodque potius regum vterque bellum parare ſtrenue pergat.

Vindobona. III. Non. Maj. Lectis, quas nuper enarrauimus, in ordinem crucis ſtellatae, ex promiſſis adponimus, quae quoue loco, a XVIII. Kalend. Oct. ſuperioris ad V. Non. Maj. praeſentis anni vita defunctae ſunt, & quidem ſequentes: Franciſca Carolina Sneburgia baro, nata comes Engelina Wagrainenſis, Halae Tyroliae; Maria Joſepha Perla comes, nata baro Kulmeria, Bonnae; Maria Antonia Gherardina baro, e comitibus Pompeiorum oriunda, Mutinae; Maria Barbara Potztazkia baro, nata Koenigseckia comes, Pruskii in Hungaria; Johanna Galleſchia eaque Goſchinia comes, Pragae; Maria Roſalia Grienthalia baro, nata comes Engelina Wagrainenſis, Dietachii; Mariana Archia & natiuitate Wallia comes, Monachii; Maria Leopoldina Lodronia eaque natalibus Wolckenſteinia comes, Oeniponte; Maria Barbara, comes Daunia, princeps Thiana, nata comes Herberſteinia, Vindobonae; Roſalia Dietrichſteinia, & origine Herberſteinia comes, Gradiſci; Maria Joſepha Lagnaſcia comes & natalibus Waldſteinia, in Polonia; Suſanna Thereſia Althania comes, nata baro Mallatheinia, ad Fanum S. Hippoliti; Philippina Erneſtina Wittenia comes, nata baro Reiſchenbergia Seitericenſis, Vindobonae; Maria Magdalena Malovvitzia, ſed natiuitate Obitetzia baro; Joſepha Kriechbaumia, natalibus Katzianeria comes, Lincii; Victoria Joſepha Thurnia & Valſasſina comes

mes e gente comitum Tſcherninio-rum oriunda, Labaci in Carinthia; Maria Dominica Wurmbrandia eaque Stahrembergia nata comes, Vindobonae; Antonia gente & nuptiis Thunia, Tridenti; Maria Anna nata & nupta Fuggeria comes, Babenhuſae; Juditha Thoerringia ſed natalibus Thürheimia comes, Monachii; Wilhelmina Amalia Giengernia baro, Pragae; Anna Ludouica Zeihlia comes, e gente Wolffseggiorum comitum, imperii dapiferorum haereditariorum, Vindobonae; Maria Regina Conſtantia Steindorffia baro, nata comes Paradeyſerina, Vindobonae; Ludmilla Conſtantia Kupperwaldia eaque natiuitate Lubna comes, Radnitii. Quod dux Lotharingiae eique nupta archidux Auſtriae, luce heſterna inierunt, iter religioſum, vates aulicus, nulli non ex cantus ſuauitate notus, Newenſtenius ſequentibus expreſſit diſtichis:

OLYMPIA
PIETATIS AVSTRIACAE
A
REGIIS LOTHARINGIAE
DVCIBVS
IN SACRA PROFECTIONE
AD
MARIANAS STYRIAE CELLAS
ITERATA
An. Xſtianae Sal. MDCCXXXVI.
die IV. Maii.

Maius adeſt, menſis, quo non formoſior alter,
Veris honor, florae gratia, Maius adeſt.
Ite DVCES, laeti magnae ad ſacraria Matris,
Mollit iter pietas & Marianus amor.
Ite, repentinis (expertos teſtor amantes)
Obuia deliciis flumina mellis eunt.
BERNARDVS de mille mihi ſit teſtibus vnus,
Vbera cui Virgo plena liquore dedit;
Qualis odoratae pictis in vallibus hyblae
Omnigenos flores callida libat apis.
Et modo puniceo foliorum ludit in oſtro,
Et modo purpurea paſcitur illa niue:
Stipatura ſuis mella inde liquentia cellis,
Hoc vnum ſemper ſedula curat opus.
O adſis, pia Virgo! tuis aduoluitur aris
Auſtriae & Auſtraſiae ſpesque decusque ſuae.
Si bene quid meruit pietas ſpectata CLIENTVM,
Melle graues Cellas ingrediantur Apes.
Fac, DEVS! vt titulum faſtis hunc laetior addam,
Tuque, potens partus! da mea vota mihi.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXI. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄ Iↄcc xxxvi.

E finibus Italiae. IV. Non. Maj. Quae Deo debentur ſoluique hymno Ambroſiano ſolent grates ſolemnes hoſtibus deuictis multoque fuſo ſanguine, quidni fractis quoque hoſtium conſiliis & ſuperato quocunque periculo? Periculo itaque obſidionis praeſentiſſimo liberata quae fuit, Mantua triduum V. Kal. Maj. egit feſtum in aede S. Agneſiae, cuius in valuis haec legebatur inſcriptio:

JOANNIS. BONI
PRÆCLARISSIMI. FILII
AC. COMPATRONI. VALIDISSIMI. PRECIBVS
STETISTI. MANTVA.
OMNIS. ARMATVRA. FORTIVM
VNVS. TIBI. EXTITIT. BEATVS
CIVIS.
TANTO. PROPVGNATORI
HIC
DEBITVM. PERSOLVE. LVBENS
AC. VIVE.

Quo certe prompti defungerentur officio Genuenſes, ſi ipſis liceret eſſe tam beatis, vt auſo excideret, qui hoſtis perſonatus Corſicam nuper inſulam inuaſit, Neuhofenius, vt aiunt, baro, qui ſub exercitu Variorum principum ſtipendia meruit nouiſſime tribuni militaris apud Hiſpanos vicarius, cui nomen patriamque variare moris fuit. Salutatus ille poſt habitum conuentum, inſulae huius prorex fidem ſuorum iuramento vbi firmauit, edicto ſtatuit conuocare Corſos omnes, ſpatio definito decem dierum in inſula conſtitutis, apud exteros vero viginti, quo praeterlapſo morem non gerentium bona aerario publico addicenda ſunt. Valde liberalem ſe exhibens in arrha militari, tyronum, quos conſcribat, numero abundat ſuamque in poteſtatem redegit Portum Vecchianum, quem nauis trecentis rei tormentariae operam praeſtantibus onuſta intrauit nec obſcure prodit, quo ille fretus auxilio res ſuas coeperit.

Lutetiæ

Lutetia Pariſiorum , *Nonis Maj.* Maioris audaciae, quemque ſceleris ſui minus poeniteat, hominem vix vidimus quam interfectorem Choueti abbatis, cui Feurio nomen eſt, interfectus autem magnum ſui apud omnes deſiderium reliquit, pacis eccleſiaſticae amans, in qua conſtitutionem *vnigenitus* propugnantes inter & oppugnantes promouenda adhibitus fuit. Lecti nuper in numerum regni procerum, quos Pares adpellamus, Chatillonius, Fleurius atque Eſpernonius, nouae dignitatis ſuae auſpicium quo minus ſuperiori hebdomade fecerint in curia prouinciali, huius praeſidis ſummi Portalii mors impedimento fuit, quem lugent omnes inque laudes eius illi etiam conſurgunt, qui viuum cenſoria virgula haud raro notarunt. Cui quis dandus ſit ſucceſſor, adhuc ignoratur, maxime cum procurator generalis & praeſes ordine ſecundus Pelletierius ea ſint corporis infirmitate, quae digniſſimis candidatis onus ferendum diſſuadeat. Non facile fallunt aut falluntur, qui Hiſpanis tribuunt ſcenam noui prorſus in Corſica inſula ſpectaculi ſucceſſusque armorum fictam Theodori fabulam breui explicabit.

Londino. VIII. Id. Maj. Rex Walliae principem multo donauit vaſorum argenteorum genere, quo ipſe vſus fuit antequam regni habenas ſuſciperet, vtque fama fert, octoginta aeris Sterlingici millia nouo marito curia regni adſignabit, quo ille per ſingulos annos ſtipendio perfruatur. Sponſa princeps Saxoniae Gothana, III. Non. Maj. Helvoetsluyſiano in portu conſcenſa nave, poſtero die ad horam quartam pomeridianam apud Greenwicenſes in continentem cum aulae ſuae virginibus aliquot & itineris ſocio Delawario comite in continentem deſcendit, cuius aduentum vbi cognouit ſponſus Walliae princeps, ſalutatum eam eo conceſſit. Nomine regis Harueius eques, reginae Robertus Montagueus eques, Cumbriae ducis Pointzius, Amaliae & Carolinae principum regiarum Clemens Cotterelius eques, rituum aulicorum magiſter, gratulantium munere defungebantur, quem in finem ante triduum e Germania qui ad nos acceſſit, Vffelius baro atque ducis Saxoniae Gothani legatus Thomius pariter eo abierunt. Heri dux Walliae ad Whitehalam fluuium traiecit & equo vectus ad ſponſam ſe contulit, cum qua ſumto prandio veſperi in palatium Jacobiticum rediit. Adventantem hodie dicto in palatio, qui magno numero confluxerant, aulae proceres, votis omnibus, rexque & regina ſingulari humanitate exceperunt, cui hodie Effinghamia comes a miniſterio eſſe coepit.

Ex eadem vrbe. V. Id. Maj. Tertia huius hebdomadis feria, hora v ſpertina octaua audita, coniugium Walliae ducis cum Saxoniae Gothana principe in ſacello palatii Jacobitici per epiſcopum Londinenſem multis ſolemnibus ratum perfectumque declaratum excuſſiſque tormentis bellicis populo ſignificatum fuit. Sponſa,

quae

quae lapidibus pretioſis pretioſisque veſtibus quadraginta aeris Sterlingici millium inſtructa traditur acceſſiſſe, inceſſit ornata veſte acupictoriae artis argento coruſca, cuius extremitates quatuor ducum binaeque comitum filiae virgines de terra leuabant. In coena nuptiali reginae ſponſa, regis ſponſus adcubabant ad latus ſiniſtrum & proximus huic Cumbriae dux, ſponſaeque ad latus alterum Amalia & Carolina principes regiae conſpiciebantur. Ad mediam ferme noctem in thorum ducebantur celebrantes connubium, ſolitumque vbi ſponſae rex exhibuerat honorem, ad eam vtriusque ſexus aulae proceribus accedere datum fuit, impulſo per totam ferme noctem aere Campano omnium aedium ſacrarum, vexillis vbique expoſitis, ignibusque in ſignum laetitiae publicae copioſius ſuccenſis. Poſtero die ad gratulandi munus peragendum magno numero confluebant aulae proceres, iuſſitque rex cudi inſignem numiſmatum copiam, quibus equites inter & variorum principum legatos diſtribuendis memoria feſti diei conſeruabitur. Wilhelmus Irbius nouae nuptae a cubiculo erit ordine ſecundus, Carnarvanus autem marchio Walliae ducis ſtabuli magiſter ſupremus creatus fuit. Concluſum, quo princeps Saxoniae Gothana, Walliae ducis coniux, ciuitate donabitur, heri in curia regni inferiori, ter repetita praelectione, vno omnium ore adprobatum fuit.

Haga Comitum, Idibus Maj. Multum crepant coniecturis dediti, foedus pangendum ſimul ac magnae Britanniae rex ſuas in Germaniae prouincias haereditarias peruenerit, perueniet autem proxime, vtque fama fert, ſub finem futuri menſis iter aggredietur. Idem rex facile praeuidens, caſtra Hiſpanorum ad fines Luſitaniae non tam ad delectationem, vt volunt, & exercendos milites, quam ad vindicandam, quam ſibi illatam iudicant, iniuriam fieri, per Horatium Walpolium, quem apud nos legatum alit, ordines reipublicae noſtrae ad auxilia inuitauit Luſitanis debita, idemque, ſi occaſio ferat, munus amicitiae polliceri non dubitauit, cui quid reſponſum ſit, non liquet.

Lipſia. VIII. Kal. Maj. Elegantia ſermonis, qua praeſens fluit in heroem aeterna memoria digniſſimum, inſcriptio locum in nouis noſtris merito ſibi vindicare videtur, eſtque huius argumenti:

HIC
REQVIESCIT. QVI. NVNQVAM
QVIEVIT
INVICTVS. ILLE. ET. INVINCIBILIS
MAGNORVM. EXERCITVVM. IMPERATOR
BELLATORVM. PRINCEPS
HEROS. INSIGNIS. BELLI. NVMEN
E V G E N I V S
OMNIVM. AMOR. HOSTIVM
TERROR
HIC. EST. ILLE. DVX

QVI.

QVI. FORTVNAM. HABVIT. IN. ARBI-
TRIO. VICTORIAS. IN. OBSEQVIO
SAVVS, DRAVVS, TIBISCVS, ISTER
ATHESIS, MINCIVS, DVRIA, PADVS
MOSA. MOSELLA. RHENVS
ALIIQVE. HAVD. IGNOBILES. FLVVII
HVMANO. SANGVINE
EXVNDANTES
EVGENIVM. VENISSE. VICISSE
NOVERVNT
IDEO. VBIQVE. VICTOR
QVOD. ANIMOS. MILITVM. SVO
SPIRITV. ANIMABAT
INCITABAT
DIGNVS. TRIVMPHIS. OMNIQVE
TRIVMPHO. MAIOR
POTVIT. TRIVMPHOS. CON-
TEMNERE!
PATER. PAVPERVM
VICTORIAS. SIBI. ADOPTAVIT. IN
FILIAS: EASQVE
REGNIS. ET. PROVINCIIS AVXIT
TANDEM. VICTORIIS. PACE. PAR-
TA. PACATA. EVROPA
HOSTEM. NON. HABENS. QVEM
VINCERET
SPOLIIS. ONVSTVS. OPIMIS
ARMIS. ET. ANNIS. DEFESSVS
VIRIBVS. DESTITVTVS. CVRIS
OPPRESSVS
TERTIA. VIGILIA. NOCTIS. (QVOD
MIRERE.) NON. CECIDIT
IN. DOMINO. OBDORMIVIT
VINDOBONAE. MDCCXXXVI.
XXI. APRILIS
O. DIES. INFAVSTA. ET. OMNI
ÆVO. MEMORABILIS. EPOCHA!
PROH. DOLOR! AH MOEROR! HEV
QVALIS. IACTVRA!
ILLVD. BELLI. FVLMEN, TVVS. ILLE
TERROR. EVANVIT. E. TERRIS
HEV. QVALES. TANTO. FVNERI
PARES. LACRYMÆ!
O. MORS. CRVDELIS! O. MORS
IMPLACABILIS!
FORTIBVS. VIRIS, ET. MAGNIS
VIRTVTIBVS. INVIDA!
MORS. ERVBESCE, VBI. TVA
VICTORIA?
QVALIS. IN. PROELIIS. TALIS. IN
EXEQVIIS. TRIVMPHAT
EVGENIVS!
O. VENERABILE. NOMEN. ÆTERNI-
TATI. ET. GLORIAE. SACRVM!
INTER. EVGENIVM
INTER. SCIPIONES, ET. ANNIBALES
POMPEIOS. ET. CAESARES
QVAM. DISPARES. EXITVS!
HOS. MORS. INGLORIA. VEL
CRVENTA
AD. INFEROS. TRAHIT
ILLVM. FVNEBRIS. POMPA, TRIVM-
PHO. SIMILIS
AD. SVPEROS. EVEHIT
QVIS. CVM. MAGNO. EVGENIO
VICTORVM. MAXIMO
COMPARANDVS?
ANTIQVIS. NOMEN. ERIPVIT
NVLLVS. VICTORVM. VIX. VN-
QVAM. ILLVXIT. MAIOR
NEC. MAIOR. E. VITA. DISCESSIT,
O SPES! O. LVX! O. NOSTRA
LAETITIA!
O. PRINCEPS. AMABILIS! ET. MVN-
DI. COMMVNIS. AMOR!
PROH. DEVS. OMNIPOTENS! VBI
ALTER. EVGENIVS,
CVI. VIRTVS. CVI. FORTVNA. CVI
FAMA. CVI. FATA
FAMVLANTVR?
PLAVDITE. COELITES, PLANGITE
PAVPERES.
CANITE. MVSAE.

Sic moerens cantabat
ANTONIVS LAVRENTI.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXII. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli, Kalendis Maj. Raro quidem tacuiſſe nocet, nocet tamen aliquando viris, qui pro ſua, qua ſunt auctoritate non loquuntur, nocuitque quam maxime Colonnae, Borgheſio, Barberino, Ceſarino, ducibus, quorum bona Carolus princeps Hiſpaniarum occupanda ſtatuit, quae in regno ipſis ſunt Neapolitano, quia in nupera Romae ſeditione pro re Hiſpanorum fortiter loqui debitumque Acquauiuae purpurato, nationis illius legato, auxilium praeſtare neglexerunt, quo de argumento plures quotidie curſores accedunt receduntque & conſultationes frequentiores inſtituuntur. Superiori hebdomade ad finem currente, edictum fuit publicatum, quo nullis poſt horam tertiam & vigeſimam nauibus minoribus patet acceſſus ad praecavendum, ne mercibus vetitis adportandis tenebrae faueant, quo etiam interdicitur conuenticulis celebrari paſſim per loca publica ſolitis, vt hac ratione tranquillitas publica conſeruetur. Caietano * in oppido muniendo nullis parcitur ſumptibus, vt numeroſi aliquando exercitus impetum ſuſtinere valeat & inprimis montem vicinum complanando multum operae inſumitur. Plurima conquiruntur nauigia, quibus in Hiſpaniam traiiciendi ſunt milites cumque horum ſtipendiis Liburno Campiglius marchio nec non Roma Marſillacus, ſummus dux militaris, adventarunt.

* *Gaeta.*

Roma. III. Non. Maj. Prima praeſentis hebdomadis feria ante meridiem Acquauiua purpuratus, cum Hiſpanicarum rerum procuratore binisque huius nationis tribunis militaribus, in colloquium conuenit Bellugam purpuratum, vice verſa horis pomeridianis Corradinus, Portia, Aldrouandus, Corſinus & Belluga collegae contulerunt ſe in palatium Hiſpanicum cum Acquauiua purpurato

to deliberatum de modo expiandi iniuriam, quam ſeditioſa plebs ei intulit. Poſtero die mane primipili tumultuantis populi numero tres venerunt ad Acquauiuam purpuratum veniam petentes delicti, quos ille grauiter reprehendit tertioque poſt die epulis refectos donatosque binis aureis Venetorum * ad Portiam purpuratum remiſit. Velitra hodie rediit Barberinus purpuratus, quo conceſſerat, vt populum ad obſequium perduceret perduxitque feliciter dando precibus locum de rapiendo ad carcerem Garaſſone miniſtro publico, reo, quod in agro vicino multis moleſtiam creauerit, ea tamen lege, vt capitis abſolutus ad dies vitae damnaretur ad remos, facultates eius pauperibus diſtribuerentur, quodque habuit ex auro & argento lampas ſacros in vſus conflaretur. VI. Non. Maj. Coſcia purpuratus, cui S. Angeli Caſtellum hucusque carcer fuit, in regnum profectus eſt Neapolitanum, thermas adhibiturus Aenariae inſulae, ** terminum vero itineris pontifex Nouembrem conſtituit. Poſtero die portae huius vrbis quinque Maggiora, Latina, Salara, Fabrica & Caſtellana latere coctо obſtructa & occluſa fuere.

* *Zechinen*, ** *Iſchia.*

Liburno. IV. Non. Maj. Binae Hiſpanorum bellicae naues, quae traiectis in Hiſpaniam prima omnium vice militibus praeſidio fuere, Barcinone ad nos redierunt, quaeque tantum non quotidie reuertuntur nauigia dimittuntur. Alexandria ad nos quae venit, aduecti naue nuntiarunt, Cairi, quae totius Aegypti metropolis eſt, peſtilentiae malo, quod menſe Januario currentis anni ſaeuire coepit, ad IV. Id. Mart. quo die litterae datae erant, nouem & nonaginta hominum millia conſumpta fuiſſe. Noua ex inſula Corſica eiusque vrbe primaria Baſtia mirum in modum variant nullaque, vt fama tulit, ad hunc vſque diem aduentarunt auxilia, quae tamen inſulani praeſtolantur. Nouiſſimae inde ad nos datae referunt litterae, hoſpitem incerti nominis, male animatorum ducem regio diademate cinctum eſſe militumque miſiſſe manum, quae Baſtiam aggrediatur.

Parma. VIII. Id. Maj. Per dies iam aliquot Germani & pedites & equites iter continuant Placentinas in terras & inde in Mediolanenſes, vt diſcedentibus regis Sardiniae copiis ſuccedant. Interim vrbs noſtra gaudet praeſidio caeſariano, cuius praefectus quam accuratiſſimam exercendo diſciplinam militarem, magnam apud populum ſibi gratiam conciliat. VI. Id. Maj. in exſpectatione eſt Kheuenhüllerus comes, ſummus caeſariani exercitus dux, ciuesque & magiſtratum iureiurando imperatori obſtringet, quod a militia ſaltem prouinciali Lobkowitzius princeps nuper exegit. Haud parum rei tormentariae eoque ſpectantis adparatus Sacca in caſtellum noſtrum fuit reductum, quod Genuam Hiſpani transportare contenderunt, ſinque vniuerſum mutata regiminis forma nemini non perplacere videtur.

Bononia.

Bononia. VII. Id. Maj. Galli diſceſſum pacatum e terris Mutinenſibus redimendum declararunt duodecim millibus aureorum Hiſpanici valoris,* quorum quisque quatuor imperiales conficit. Hiſpani, in Hetruria qui ſuperſunt, ante reditum curſoris Mantuam Carpetanorum miſſi, non diſcedent, in ditione autem ſedis Romanae conſtituti ex aerario pontificis in ſuſtentationis ſuæ ſubſidium duo ſcutatorum millia pèr ſingulos dies accipiunt. Hodie mane, ſummus Germanorum dux, Kheuenhüllerus comes Parmam magno cum comitatu conceſſit ſedemque, vt aiunt, Caſtrum S. Donnini ſibi elegit. XVI. Kal. Maj. caeſarianae legiones omnes tam pedeſtres quam equeſtres in Longobardiam iter aggredientur noſtris e finibus, quarum in Germaniam pars altera, altera in Mediolanenſem progredietur prouinciam, nosque leuabant onere, in tantum ferendo, quod pacis amantes nihil damni incolis intulerint.

* *Doppien.*

Lutetia Pariſiorum. V. Id. Maj. Nihil e Longobardia noui nuntiatur praeter abitum, quem parant Hiſpani, Pedemontani noſtraeque nationis milites, vt caeſariani occupent loca, quae ipſis, ex pacto debentur. Hiſpani nimirum Longobardiam penitus reliquerunt, e Mediolanenſi ditione incipiunt Pedemontani ad patrios lares regredi, parsque exercitus noſtri in itinere conſtituta per Alpium iuga tranſcendet, vt menſe proximo ex transactione omnia confecta dixeris. Regii, quod in Corſica inſula exhibetur, ſpectaculi, ſi non auctor, actor ad minimum habetur, cui regina mater a conſiliis & auxilio eſt. Multi in ea ſunt opinione, Theodorum illum, vt vult vocari, in ſcenam prodiiſſe non tam ſui quam equitis Georgiani cauſa, cui firmiter a multo iam tempore adhaeſit, cui ſocius fuit expeditionis quanquam irritae in Scotiam, cui equitis Angli titulum debet. Pridie Non. Maj. ſeptendecim rex creauit equites ordinis, qui de S. Ludouico nomen obtinuit. Pacem nuper conſtitutam haud lubricam fore aula noſtra aperte prodit conſilio de terra marique militum minuendo numero, idemque & praetorianae & Gallicae reliquae vt & Helueticae copiae ac legiones fatum experientur. Reliquiae Portalii, curiae prouincialis demortui praeſidis, Nonis Maj. ſepulchro illatae ſunt, cuius in ſucceſſore eligendo eo maior adhibetur cura, tanta vt dignitas conferatur digniſſimo, quo plus negotii faceſſit aulae curiaeque gliſcens diſcordia, quam alere clerus ſuſtinet. Chouetum abbatem caede nefanda qui ſuſtulit, VIII. Id. Maj. manu dextra amputata, crurifragio periit, ignique dato corpore cinis per aethera ſparſus facinus obliuioni dandum ſignificauit. Poena edicto ſtatuta eſt ter mille francorum in mercatores pictis coloribus inſigne ſericum & linteum e China, India & quacunque orientis parte adportantes, trecentorum autem in ſuperbientes hoc veſtium genere, praeter iacturam mercium atque veſtitus, quam vtraque pars patietur.

Haga Comitum. XV. Kalend. Jun. Olyſſipponenſium enarrant litterae breui fore, vt pax & concordia Hiſpanos

nos inter & Luſitanos reſtituatur, nec tanti rem eſſe, quae moram adhuc iniicit, vrgentibus rege Luſitaniae vt ante reditum exercitus Hiſpanici ex Italia negotium conficiatur, Hiſpaniae vero regina, vt ante ſolvat de littore Luſitanico claſſis Britannica, quam paciſcentium ſententia confirmetur. Waſnerus, imperatoris Olyſſippone legatus, dicitur iuſſus ire Mantuam Carpetanorum, vel vt idem pertractet negotium, vel, vt aliis placet, vocatus a regina Hiſpaniae, quae in paciſcendo cum imperatore, imperatoris legatum extra ordinem flagitarit. Vindobonam profecturus Fuenclara comes Venetiis adhuc commoratur nondum inſtructus a Pio principe, legato ad rempublicam hanc, imperatoris litteris, quae liberum in aula Vindobonenſi acceſſum loquuntur, nec deſunt, qui ſibi conſtare autumant, quod imperator comitem hunc faſtidiat legatum aliumque hac ſparta ornandum cenſeat. Idem faſtidire quoque traditur pontificis in Belgio nouum oratorem Tempium, datis Romam litteris, vt candidatorum ad hoc munus Vindobonam mittatur catalogus ad eligendum, quem imperator velit, verendumque merito ne impoſterum aliae quoque aulae idem in oratore determinando exemplum conſiliumque ſequantur. Genuenſes, vt eorum teſtantur litterae, in anguſtiis conſtituti neſciunt, quo ſe vertant, cum plures vno eodemque tempore experiantur hoſtes & inteſtino diſcordiarum malo diuexentur, ſique opinioni, quae ad nos venit, fides habenda eſt, rex Sardiniae Sauonenſem eorum vrbem maritimam milite cinxit, in quam & alia loca ſibi ius ab antiquiſſimis temporibus eſſe contendit. * Chabanneſius comes, in locum, qui diſceſſit, Canaleſii comitis ad nos venit, qui dicti regis Sardiniae apud confoederati Belgii ordines legati munere defungatur.

* *In recenti adhuc omnium memoria eſt conſilium occupandi huius oppidi, quod rex Sardiniae ceperat anno huius ſeculi vigeſimo ſeptimo, conſpirantibus in facinus ciuibus quibusdam, qui, fraude detecta, poenas fidei non ſeruatae dederunt.*

Lipſia. IV. Kalend. Jun. Qui ſocium itineris fratri ſuo Mariaecellas ſe praebuit, Carolus Lotharingiae dux, per aliquot iam dies Laxenburgi variolis laborat, laboraſſe quibus olim traditur, cui ex iterata venae ſectione medici ſanitatem recuperandam iudicarunt. In conſeruanda piae memoriae principis Sabaudiae Eugenii fama poſt cineres deſudantium in numero qui eſſe voluit auctor praeſentis epigrammatis, nouo exemplo, annum fatalem ſuo in nomine quaerens, neſcio quo fato ad canendum ſe impulſum exiſtimat:

Septuaginta tribus viuum, virtute celebrem
EVGENIVM huic tumulo mors ſabatina tulit.
Namque Dei matrem ſummo veneratus amore,
Quae dederat Lauros, coelica ſerta dabit.
Funeris hic Martis pompa eſt, nec viſa Viennae,
Caeſaris hic terni, ſolus amor populi.

DeVoVet PetrVs VVagner,
saCrae TheoLogIæ aLVMnVs.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum, *Kalendis Maj.* Optimum iniuriarum licet ſit remedium obliuio, hanc tamen ſuadere nuper offenſo idem foret, ac manifeſtum ex vulnere recenti dolorem negare. Tantum itaque abeſt, vt ex lege obliuionis agatur cum ſede Romana, vt potius regina Hiſpaniæ vindictam minetur, aegre ferens, quod populus Romanus non palatium modo Hiſpanicum & Farneſanum, ſed Hiſpanis quoque & ducibus & militibus gregariis inſultando regiam ſimul maieſtatem laeſerit. Ex quo tempore curſor curſorem excepit cum nuntio Acquauiuae purpurati, quid Romae euenerit, extra ordinem de hoc maioris momenti argumento habita fuere conſilia. Quibus ad finem perductis, aedes, quas orator pontificis inhabitare ſolet, occluſae ſunt, huiusque vicarius ex regis mandato Albucellam * conceſſit, cui epiſcopus praeeſt, ipſe vero in itinere ad nos conſtitutus orator nouus pontificis prohibitus eſt regni fines ingredi, quantumque conſtat Acquauiuae purpurato omnibusque Hiſpanis & Neapolitanis, qui Romae degunt, ciuibus in mandatis eſt alio diſcedere, donec expiatio facta fuerit. Morbo impeditus regis magnae Britanniae legatus Keenius, ſexta demum praeteritae hebdomadis feria, herique Meerius, ordinum foederati Belgii legatus, Araniuezanam in villam regem ſecuti ſunt. In caſtris vtriusque partis ad fines Luſitaniae regnat tranquillitas nec eam, quae perdurat ſimultas, vllo adhuc modo turbauit. * *Auila.*

E finibus Italiae. VII. Id. Maj. Diſcordiarum regis Hiſpaniae cum aula Romana finis nequaquam adparet, nec, vt nuper fama tulit, trium ſeditionis auctorum deprecatione apud Acquauiuam purpuratum ſopitae ſunt, peperitque coniecturam hanc conſilium a Portia & Aldrouando purpuratis datum, quod illi non diſplicuit, rato fore, ut in eo rex Hi-

ſpaniae

ſpaniae acquieſcat. Enim vero, curſor vbi aduolauit Mantua Carpetanorum, ſcena inſigniter mutata eſt innotuitque regis ſententia, flagitantis, vt primipili non tantum omnes Traſteuerinorum tumultuantium ſed ſenatus quoque vniuerſus vrbis Romanae accedant ad Acquauiuam purpuratum commiſſique ſceleris veniam expetant. Neutra vero pars iuſſis parendum cenſuit, ſenatus, quia tumultum ſedare potius quam iuuare & fouere allaborauerit, populus, quia Hiſpanis vim non intulerit, ſed ab his ſibi illatam iure meritoque repreſſerit. Crabrones itaque irritaſſe cum videatur ſeueritas regiae ſententiae, conſultum viſum fuit portas quinque vrbis occludere. Rebus ita fluentibus modumque conciliandi Hiſpanos nec ſenatu nec populo adprobantibus, Hiſpanica inſignia foribus auulſa ſunt palatii & Hiſpanici & Farneſani, ipſe vero Acquauiua purpuratus cum collega Belluga, iudicio aulico ex eadem natione adſcripti bini, rerum eiusdem gentis procurator & Porta comes cum ſuis Roma abire parant. Cognito hoc, omnibus & ſingulis, ne Acquauiuae quidem purpurato, pontifex ſignificandum curauit, caueant ſibi, ne praepoſtero diſceſſu ex vrbe canonum eccleſiaſticorum cenſuram poenamque incauti incurrant.

E terris Helueticis. XVII. Kal. Jun. Cauſa litis, quam abbati S. Galli mouerant Toggenburgenſes, per aliquod tempus quieuit, vtpote quam decidendam arbitrio Tigurinorum & Bernenſium commiſerant, ille autem maiori eam acerbitate tractandam iudicat. In republica Griſonum, quae conſcriptione militum motae erant, turbae tantum non penitus ſopitae nuntiantur, ſpemque adfulgere, vt vltima conciliationi animorum manus breui imponatur. Genuenſes, quam expugnauerant Blanchierii praefecti nauem Gallicam, capientem, vt putabant, arma Corſis ſeditioſis ſupportanda, reſtituerunt conſuli ita dicto ſiue praetori nationis Gallicae, ſubductis centum viginti & quinque ſclopetis nec non tormentis aliquot bellicis, quae ſenatus armorum in officinam deduci iuſſit. In exſpectatione apud eosdem eſt nauis quoque nouiſſime occupata, & ea quidem, qua Corſicam in inſulam Theodorus aduectus fuit, quanquam alii eiusdem modo ſcapham eſſe perhibeant. Coeterum ſenatus reipublicae edictum miſit Corſicam in inſulam, quo praemium ſtatuitur imperialium mille, qui occiſum, bis mille, qui viuum hunc Theodorum tradiderit.

Lutetia Pariſiorum. XVI. Kalend. Jun. Heri mane ad dimidium ferme horae quintae regina filiolam principem in lucem protulit, pridie autem Id. Maj. Seauxiana in villa ſua naturae debitum ſoluit dux Cenomanenſis, herique ſine pompa elatus ſepultusque fuit in ſacello, quo arx illa ſuperbit. Reliquiae Hiſpanorum lente admodum feſtinant in relinquenda Hetruria duxque Montemarius aulae ſuae mandatum praeſtolatur. Mouet haec mora multis ſuſpicionem, animum Hiſpanis eſſe

eſſe petendi vel Corſicam vel Romam, illamque, vt plurimis placet, potiſſimum, quia Theodorus prorex nouus non ſuam ſed Hiſpanorum cauſam agere videtur. Pridie Kal. Maj. Baſtia ad nos datae referunt litterae, rem ſuam ille quod feliciter agat redacta in ſuam poteſtatem inſula vniuerſa, ſi ſolam excipias metropolim Baſtiam, quam in arctiſſima tenet obſidione deditionemque totus ſperat, cum modico admodum inſtructa praeſidio impetum hoſtilem ſuſtinere vix valeat. Vnum ex cognatione ſibi coniunctis ille per litteras inuitauit, inuitatus quoque iter eo ſuſcipere cogitat, cum ſupellectili pretioſa & comitatu ordinis equeſtris aliquot iuvenum, qui ſub rege nouo ſtipendia facere geſtiunt. Decimae tempore belli conſtitutae ad finem ſaltem currentis anni perdurabunt, vt pollicitus eſt Fleurius purpuratus, qui per dies aliquot male ſe habuit. Dicitur ille igni dediſſe defuncti Malleti, directoris redituum generalis conſilium in chartam coniectum, quod docuit, ſalvis his decimis inque perpetuum retinendis, tributa alia ad tempus minui & ſucceſſu temporis rurſus populo imponi poſſe. Couſius, Meulani pignoris poſſeſſor, ſenex octo & octoginta annorum, puellam tres & viginti annos natam in matrimonium adſumſit. Conſtitutiones regiae de minuendo exercitu XVII. Kal. Jun. terminum definiunt, quo praeterlapſo in ſoluendis ſtipendiis valorem habere incipient. V. Id. Maj. duces novi Paresque Galliae, quorum ſemel iterumque facta eſt mentio, praeſentibus principibus regio ſanguine cretis, ſolemnibus multis locum ſibi adſignatum in curia prouinciali occuparunt, praeſidis ſummi vices gerente Pelletierio, qui Fleurium purpuratum ſalutis regni Galliae reſtauratorem perque Europam vniuerſam pacis arbitrum ſalutauit.

Londino, Idibus Maj. In curia heri ſuperiori, ad exemplum inferioris, ſine mora ter repetita praelectione omniumque cum conſenſu adprobatum fuit concluſum de noua nupta Walliae principe donanda ciuitate, quod & alia more a maioribus accepto comprobatum rex in curiam ſe conferet diebus proximis. Eodem decreuit tempore curia dicta, regi, reginae, Walliaeque principi & coniugi ſolemnem gratulationem, quod munus apud regem orator curiae inferioris ſecum habens Robertum Walpolium equitem, Conyerium Arcium, Joſephum Jekyllium, Henricum Pellhamum, Wilhelmum Youngium, Carolum Wagerum & Pointzium; apud reginam Carnaruanus marchio cum delegatis vndecim; apud Walliae principem nouamque nuptam Middelſexius comes, natu maior filius Dorſeti ducis, ſtipatus duodecim curiae inferiori adſcriptis, in ſe ſuſceperunt ſingulisque teſſeram humanitatis, litteras curiae gratulatorias exhibuerunt. Gratulatum praeterea ad regem, reginam regiumque principem maritum nouum & coniugem VI. Id. Maj. magiſtratus vrbanus acceſſit, quem illi magna cum beneuolentiae ſignificatione manum oſculandam praebentes a ſe dimiſerunt.

Haga

*Haga Comitum.XI.Kal.Jun.*Soluerunt ordines comitatus Hollandiae conuentum, in quo quid concluſum ſit, non liquet, aeque ac de ſecretario publicarum rerum, quam nihilominus plurimi confidunt dignitatem conſecuturum fore ſummi ſenatushodie praeſidem. Geneua relatum accepimus,recruduiſſe vulnus male tractatum populumque conſurrexiſſe denuo aduerſus magiſtratum non ſine caede quorundam omniumque periculo, quod e vicinia, turbis his domeſticis anſam praebentibus, ciuitati imminet. Roma & Aranjuezana e villa ad nos perſcriptae non conſpirant inter ſe litterae; docent illae Hiſpanis factum eſſe ſatis facillimo negotio; in his contrarium oſtenditur, quod ſcilicet regina Hiſpaniarum, vindictae cupida flectere ſuperos ſi nequeat, Acheronta mouere ſuſtineat, occluſis iam, quae Mantuae Carpetanorum pontificis oratori ſunt, aedibus Romaque exire iuſſis Hiſpanis, Neapolitanis & Siculis. Ex aliis ad familiares epiſtolis cognouimus, tres & viginti, quibus praeſens prouinciae adminiſtrandae ratio non arridet, purpuratos extra ordinem aditum petiiſſe pontificis, eique inter alia poſuiſſe ob oculos, quod ſua in foederatos hactenus reges nimia propenſione populo Romano in imperatoris nunquam non partes inclinanti praeſens malum attraxerit. Qui ſonticis de cauſis ad nos venire recuſauit Montius marchio, Amſtelodamo, vbi digna notatu luſtrauit nullaque non occaſione Ruſſorum cum laude fecit mentionem, irer heri mane in Galliam proſequutus fuit. Ex eo, quod Horatius Walpolius regi magnae Britanniae in itinere ad Germanos publicis in rebus a ſecretis fore tradatur, colligunt ſagaciores aliquam aulae adminiſtrorum in Anglia mutationem inſtare, quodque dictus Walpolius mandato munere etiam poſt reditum in regnum defungendi ſpem habeat.

Vindobona.XIV.Kal.Jun. Conſtantinopolim vbi venit opinio de caſtris in Hungaria ponendis, quae rriginta aut quadraginta caeſarianorum capiant millia, Turci ſua quoque, quae fines tuentur, loca, inprimis Bydenam * munitionibus atque praeſidiis firmare non intermittunt, pacis tamen, quo flagrant, ſtudium declararunt Anglorum Belgarumque legatis, quorum implorarunt opem, vt ſartam tectamque cum imperio Romano & Ruſſico pacem Turcis ſeruare ſtudeant. Interim conſcribuntur apud nos inque terris haereditariis ſedulo milites & tantum non quotidie lecti tyrones in Hungariam iter faciunt facietque legio Harrachiana redux ex Italia, quam primum ſuppletus eius fuerit numerus, qui valde decreuit. Carolus Lotharingiae dux nondum e morbo, quem incidit, in totum conualuit. Pomeridianis heri horis bini Petroburgo aduolarunt curſores & ſine mora Laxenburgum abierunt, a quo tempore in vulgus rumor ſparſus fuit, Tanaim * * Turcis vrbem eripuiſſe Ruſſos, fidemque licet faciant, quae proferuntur, circumſtantiae, maiorem tamen, quas exſpectamus, litterae dabunt.

* *Widdin.* * * *Azoff.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIII. A. P. C. N.

PARTIC. I. clↄIↄcc xxxvi.

Savanna Georgiae Americanae. VI. Kalend. Mart. Magnae molis erat Romanam condere gentem, nec minoris eſt Georgianam coloniam, & magnae vtique ad ſeram poſteritatem erit laudi Oglethorpio. qui eam ſuo cum incommodo, ſine omni lucro, niſi hoc nomine famam dixeris, totus condere deſudat. Ad noſtra ille XIV. Kal. Mart. adpulſus littora, vrbem noſtram inſigniter creuiſſe offendit, ducentis conſtantem aedificiis, quibusdam adeo amplis, & ad artis regulam ſtructis, vt ex quorundam conductione poſſeſſoribus trecenti redeant floreni. Altero poſt aduentum die luſtratum profectus eſt vicina coloniae oppida, quorum in numero Benzinum, Thunderboldium, Argilia & Weſtbroeckium quam optime coeperunt effloreſcere. Luce craſtina iter aggredietur ad fines regionis noſtrae extremos, vt propugnaculum ad ripam Altamahae fluminis quatuor munimentis terreis firmandum extruat, quod ab vrbe noſtra ad octogeſimum diſtabit lapidem. Sane diuinae debetur prouidentiae, quod in itinere ex Europa tam longinquo, tam difficili, tempeſtatibus horridis plus vice ſurgentibus, ne vnus quidem colonorum, quos ſex nauibus aduexit nouos, defecerit.

Neapoli. VIII. Id. Maj. Portus vrbis noſtrae in praeſenti tredecim capit naues actuarias praeter alias quibus milites traiici ſolent, traiicientur autem, vt fama percrebuit, copiae Neptunium, progreſſurae Velitram, praemiſſis re tormentaria, pilis ferreis & puluere nitrato iterque noctibus praeteritis peditum turmae & equeſtris legio aggredi coeperunt. V. Non. Maj. noctu portum noſtrum reliquerunt milite & adparatu bellico onuſtae naues quinque actuariae, quibus dux Caſtrus Pignanus praeeſt, vt Velitenſem quoque agrum petant, multorum ex opinione ad ſumendam vindictam iniuriae Hiſpa-

nis

nis Romano a populo illatae, niſi alio eam modo pontifex expiare ſuſtineat. Enim vero ſagaciores coniiciunt id agi, vt auxilia mittantur Corſis male in rempublicam Genuenſem animatis hacque ratione Carolus Hiſpaniarum princeps inſulam pro ampliando imperio ſuam ſub poteſtatem redigat. Dicto die vrbem noſtram intrauit Coſcia purpuratus, fortunae aduerſae filius fatoque ſuo omnibus notiſſimus, nec tamen hucusque in publicum prodiit. Borromaeus comes Vindobona heri ad nos acceſſit ſumptoque in coenobio Montis Olìueti hoſpitio protinus in aulam Carolum principem ſalutatum conceſſit, quem ad certum ab imperatore negotium eſſe miſſum multi ſibi perſuadent.

Roma. IV. Id. Maj. Tertia currentis hebdomadis feria, in aedibus purpurati, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, vltima omnium, vt aiunt, vice actum fuit de aulae noſtrae cum rege Luſitanorum diſcordiis, quarum finis adpropinquat. E contrario gliſcentes quam maxime cum aula Hiſpanica fecerunt, vt eodem die grauiſſimis de cauſis portae vrbis clauderentur inque milite conſcribendo ſedula ponatur opera. Vrget hanc nuntius Teracinenſis praefecti, quod tria Hiſpanorum millia in continentem expoſita totidemque equitum terreſtri itinere in exſpectatione ſint. Poſtero die mane fores occluſas obſeruauimus vtriusque & Hiſpanici & Farneſani palatii atque carentes inſignibus tam pontificis quam Hiſpanicis ex mandato per curſorem ſemel iterumque repetito regis Hiſpaniæ. Bini quoque heri Neapoli venerunt curſores ad Acquauiuam purpuratum alter, alter ad ſenatum, penes quem publicarum rerum adminiſtratio eſt, expoſuit autem vterque ſententiam Caroli Hiſpaniarum principis, ex qua Simonettus, pontificis Neapoli orator, cuius aedes obſeratae fuerunt, intra biduum tenetur Neapoli vrbe & intra octiduum vniuerſo regno exire, cui etiam paruit Nolanoque ex oppido, quo ſeceſſerat, curſorem ablegauit.

Mediolano. XVII. Kal. Jun. Noallius, regni Galliae mareſchallus, ſub finem ſuperioris hebdomadis vrbem ingreſſus caſtelli praefectum ſalutauit, poſt aduentum autem e Gallia curſoris, qua potuit celeritate, iter Auguſtam Taurinorum maturauit, maturato cur opus fuerit, non liquet. Non dubium eſt, quin praeſidium Pedemontanum noſtris e terris abiturum ſit, quam primum reſcire dabitur, ordines imperii Romani in comitiis Ratisbonenſibus pacem ſuo conſenſu firmaſſe. Placentiae Noallius mareſchallus nec non Kheuenhüllerus comes & Lobkowitzius principes, ſummi exercitus caeſariani duces, de prouincia Mediolanenſi a milite peregrino liberanda agitabunt proxime conſilia. Reliquiae exercitus Hiſpanici adhuc commorantur in Hetruria nec terminum diſceſſus ſui certum conſtituerunt. E contrario caeſariani in vniuerſum omnes Bononienſem prouinciam fecere vacuam egreſſi in Longobardiam nec diſce-

diſcedentes incolis aliquam crearunt moleſtiam. E terris Mutinenſibus Galli parant abitum minime tamen feſtinantes, cum pauciores vna iter aggrediantur.

Lutetia Pariſiorum. XIV. Kal. Jun. Omnium in ore ſed diuerſo eſt modo relatio de vindicta, cuius cupiditate in aulam Romanam regina Hiſpaniarum tota flagrat. Id tam certum quam quod certiſſimum eſt, Mantuae Carpetanorum aedes oratoris pontificis non amplius patere atque in conferendis pro lubitu beneficiis eccleſiaſticis regiuam mandata pontificis flocci habere. Romani natione regno Hiſpanico coguntur emigrare, emigrationis termino valde anguſto dato idemque illos in regno Neapolitano fatum manere haud fruſtra praeſumitur. Conſtitutum eſt in aula veſtes componere ad luctum ex obitu, qui pridie Id. Maj. euenit, Ludouici Auguſti Borbonii, principis Dumbarum, ducis Cenomanenſis & Albamalenſis, comitis Augienſis, ordinum regiorum equeſtrium ex numero, quem Ludouicus decimus quartus rex pridie Kal. Apr. anni ſeptuageſimi, quod abſoluimus ſeculi, extra coniugium ſuſcepit ex Franciſca Athanaſia Rochechouartia filia Gabrielis Montemarii ducis, quae Henrico Ludouico Monteſpano marchioni nupſerat. Puerum trium annorum rex parens filium declarauit legitimum XIV. Kal. Jan. anni ſeptuageſimi tertii, principibus regio ſanguine cretis cum adnexis immunitatibus adſcripſit, variis adfecit honoribus publicis tanto principe dignis, tandemque moribundus teſtamento educationem principis hodie regis ei commiſit. Sed patre mortuo fortunam habuit aduerſam adeo, vt nimium Hiſpanicae factioni deditus V. Kalend. Jan. anni decimi octaui Durlendium, quod Piccardiae eſt oppidum, coniux vero eius hodie vidua, Louiſia Benedicta Condaea nata princeps Diuiodunum Burgundiae metropolim ſedem exilii ſibi eligere cogerentur, & ſub finem demum anni ſubſequentis decimi noni in aulam vrbemque reuertendi poteſtas ipſis data fuit. Filios reliquit Dumbarum principem comitemque Augienſem & filiam Cenomanenſem principem, quantumque conſtat rex filios paternae dignitatis haeredes conſtituit.

Londino. XV. Kal. Jun. Pomeridiana heri hora prima audita, rex ſolito ritu ſolemni, praeſentibus vtriusque curiae patribus conſcriptis, concluſa horum de potu, ad ebrietatem qui maxime ducit, deque noua nupta Walliae principe donanda ciuitate & quindecim alia ſtatum vel publicum vel priuatorum concernentia valere iuſſit. Eodem die, quae curiae ſuperiori adſcripti in concluſo de ponte nouo vrbis noſtrae monuerant, ſub incudem denuo in curia inferiori reuocabantur, placuitque inprimis primum, vt Beaufortus dux eorum ſit in numero, qui hoc in negotio a commiſſionibus erunt. Carolus Wagerus eques praetor conſtitutus eſt claſſiculae, qua rex in

Germa-

Germaniam iter factūrus ad Belgas traiiciet, quo abſente regni adminiſtrationem ſuſcipiet regina, quaeque hanc ipſi dabunt poteſtatem, litterae, heri in ſenatu conſignatae, proxime ſigillo muniendae dicuntur.

Vindobona. X. Kal. Jun. Caſſovienſes, quem ſibi ereptum morte lugent, praefectum vrbis ſupremum Franciſcum Joſephum Renaudum baronem ampliſſimo extulerunt funere, inque monumento honoris funebri, quod caſtrum doloris vulgo adpellamus, haec legebatur inſcriptio:

SVBSISTE VIATOR!

Quisquis ades: Princeps, Miles, ſis dives, egenus;
Suſpicias, relegas; hic Magnus BARO quieſcit,
Corde Vir Herculeô, qui per ſua fata receſſit,
Cunctis Terrigenis triſtia metra dedit,
Laurea pro triſti mutavit ſerta Cupreſſo,
Sydera pro tenebris, pro tumuloque roſas.

ASPICE HVNC, QVI DEO VIXIT IT HOMINIBVS.
VTPOTE
SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATIS
LOCVM TENENTIALEM GENERALEM
CAMPI MARESCHALLVM,
AC
METROPOLIS SVPERIORIS HVNGARIAE FORTALITII CASSOVIENSIS
COMMENDANTEM
FRANCISCVM JOSEPHVM
L. B. DE RENAVD.
QVI DVM
SVB REGIMINE TRIVM IMPERATORVM
PRO DEO, AC PATRIA GLORIOSE BELLASSET,
VICTORIOSE PVGNASSET,
PLENVS DIERVM VIDELICET 70. ANNORVM
NONIS MAII, HOC EST VII. CVRRENTIS
EXSPIRAVIT. ABIIT!
INTERIM
VALE LICET DIXIT VOBIS; TAMEN AETHERE VIVIT.
ILLI MORS ATROX, VITA PERENNIS ERIT.
HVIVS NOMEN IN BENEDICTIONIBVS
EXSTAT
CASSOVIAE.
ABI VIATOR, ET QVAESO AI:
LVX SEMPITERNA DEI LVCEAT EI.

Hamburgo. IV. Kalend. Jun. Nuptiis ſolemnibus Londini a Walliae principe cum Saxoniae Gothena principe celebratis, auctor incerti nominis ſequens ſacrum eſſe voluit chronoſtichon:

FRIDERICO LVDOVICO
PRINCIPI A VVALLIS
FELICITER NVBIT
AVGVSTA
PRINCEPS GOTHANA."

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄIↄcc XXXVI.

Genua. XIV. Kalend. Jun. Nihil
eſſe fortunae inauſum, ſuo docet
exemplo Theodorus qui ſalutari cupit
rex Corſicae, expertae audaciae homo,
contra quem huius argumenti publi-
catum locisque ſolitis adfixum le-
gitur reipublicae noſtrae edictum:
„Cognito, quod adpulſa, cui Dickius
„Anglus praefuit, naue, noſtri regni
„Corſici portu in Aleriano deſcende-
„rit in continentem, ſecum adferens
„adparatum bellicum, veſtitu cinctus
„Aſiatico quidam, cui fortuna fa-
„vit, vt arma, puluerem pyrium, au-
„rum cuſum minoris moduli resque
„alias diſtribuendo popularem capta-
„verit gratiam, inſuper pollicitus
„quam validiſſima auxilia, ſuppedita-
„verit male animatis conſilia, quae
„curam pro ſalute & tranquillitate in-
„ſulanis reddenda quam maxime
„turbant & infringunt: dignis fide
„teſtimoniis edocti quis & qualis ille
„ſit vir, ſignificamus cognitumque
„eſſe volumus quod is gente Weſtpha-
„lus nomen ſumſerit Neuhofii baro-
„nis, paſſimque chymiae & artis ſe-
„cretioris periti ſſimum ſe dixerit, qui
„vagabundus fortunam plus vice ſim-
„plici aduerſam expertus fuit. In
„Corſica innotuit nomine Theodori,
„quo Lutetiam Pariſiorum anno vige-
„ſimo nono peruenit ſuamque inde
„profugus, vxorem cum prole de-
„ſeruit, quam ex Hibernia oriundam
„in Hiſpania duxerat. Per omnes
„mundi partes variis fortunae procellis
„agitatus nomen ſoepe, ſoepe patriam
„mutauit. Londini dici voluit Germa-
„nus, apud Liburnenſes Anglus, Genuæ,
„Suecus, & quidem baro modo Napoe-
„rus, modo Smibmerus, modo Niſ-
„ſenius, modo Schmitbergius, vt lit-
„terae liberi commeatus & alia ſcripta
„genuina docent, quae tempore di-
„verſo diuerſis in locis datae ſunt &
„adſeruantur. Qua nominis, qua
„patriae diſſimulatione & varietate
„fraudis plenus aliorum magis quam
„ſuis vitam protraxit ſumptibus, ne-
„minemque latet, quod anno vigeſimo
„ſeptimo in Hiſpania, quam Germa-

„nicam

„nicam conſcripturus legionem acce-
„perat, pecuniam dilapidauerit homi-
„numque ſe oculis ſubduxerit & in
„locis quam plurimos Anglos, Gallos,
„Germanos aliarumque nationum viros
„fraude mira deceperit. Quaeſiuit
„latebras, vbicunque vixit, quibus
„euadens manifeſta fraudatoris reli-
„quit veſtigia, teſtantibus id ipſum
„inter alia litteris, quas X. Kalend.
„Mart. anni currentis Olyſippone
„Germanus natione vir equeſtris de-
„dit. Quam vitae conſuetudinem
„prodidit peſſimam ante aliquot an-
„nos apud Liburnenſes, quorum a
„mercatoribus quingentos & quinde-
„cim accepit nummos, quos Pez-
„zios adpellant, pollicitus fore vt
„Coloniae Agrippinae diem ſolutionis
„conſtituendum haberent, quo prae-
„terlapſo decepti deceptorem cuſto-
„diae tradendum curarunt. Euaſit
„vinculis ſponſore, quem callidus
„erogauit, nauis aliquo praefecto, vt
„litterae docent, quas Gumenus ta-
„bellio Liburnenſium VIII. Id. Sept.
„anni ſuperioris hunc in finem pro
„ſua auctoritate & fide conſcripſit,
„ante vero quam dimitteretur, ca-
„ptiuus incidit in morbum opisque
„indigens ſuſceptus eſt in noſoco-
„mium, cui Liburnenſes de balneo
„nomen dederunt. Conſecutus liber-
„tatem, litteris commendatitiis in-
„ſtructus ante hoc, & quod excur-
„rit, trimeſtre, Liburno Tunetum
„conceſſit, vbi medicum egit, varia
„cum Barbarorum principibus deco-
„xit conſilia armaque & rem belli-
„cam varii generis nactus Corſicam
„in inſulam demigrauit ſociosque iti-
„neris habuit eiusdem furfuris, Chri-
„ſtophorum Buongionum, medici
„Tunetani fratrem germanum, Tur-
„cos tres, in his ab Hetruſcis olim ad
„remos damnatum, binos Liburnen-
„ſes, patrios qui lares deſeruerunt,
„Johannem Attimanuum & Johannem
„Bondellum, tandemque ſacerdotem,
„cui collegae Miſſionarii Portus Fer-
„rarii ſonticis de cauſis conſilium
„abeundi dederunt. Quae cum ita
„ſint certoque certius conſtet, eo rem
„perduxiſſe hominem, vt rerum apud
„Corſos potiatur, vt ab obſequio,
„principi quod iuſto debent, ciues
„auocet noſtros, vt, qua ipſe eſt per-
„verſa indole, diſcordias maiores,
„maiores turbas in populo noſtro
„excitare valeat; palam facere omnia
„decreuimus, decretum in praeſenti
„publicamus & ſtatuimus, quod ita
„dictus Theodorus Neuhofius baro,
„auctor ſeditionis nouae, ſeductor
„populi, turbator tranquillitatis pu-
„blicae, reus ſit criminis laeſae ma-
„ieſtatis dignusque poenis, quas le-
„ges noſtrae definiunt. Prohibemus
„itaque omne cum illo commercium,
„omnem conuerſationem, cui qui-
„cunque auxilium praeſtiterint, qui,
„in populi noſtri maiores tumultus,
„partibus eius fauere auſi fuerint,
„hos pronuntiamus criminis laeſae
„maieſtatis ſocios, quietis publicae
„ruptores, quos eadem poena manet.

Lutetia Pariſiorum. XII. Kal. Jun. Nouiſſimae ex Italia litterae referunt, Montemarium ducem quam ſoepiſſime a Kheuenhüllero comite, caeſa-
riani

riani exercitus duce ſupremo, admoneri, vt ex Hetruria ducat copias ſuas, cui facile eſt cauſam morae aliquam allegare, potisſimum, quod deſtituatur aulae ſuae mandato, licet tribus diſtinctis vicibus hunc in finem curſores in Hiſpaniam ablegauerit. Sua ex parte moram quoque iniecit ipſe Kheuenhüllerus comes, occupando rem tormentariam valde multam, quam Parma & Placentia Hiſpani Neapolim deportare laborarunt, ſique relationi quarundam litterarum fides habenda eſt, non ſine conflictu, in quo Hiſpani inferiores diſceſſerint. Contendunt Hiſpani, Carolo Hiſpaniarum principi iure meritoque competere, ſuis ex prouinciis olim haereditariis ſibi acquirere omnia, quae moueri poſſunt, prouocantes ad transactionem Vindobonenſem, quae de rebus Parmenſibus & Placentinis penitus ſileat, tantumque Mediolanenſium faciat mentionem & imperatori omnia in ſtatu, quo ante bellum fuere, vindicat. Noſtri milites redire in patriam nulli morantur, quorum primi in itinere conſtituti ſunt, reliqui vaſa colligunt, vtque colligere licet & duces & gregarii milites locupletiores ex Italia reuertentur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Heſterno eoque primo pentecoſtes die feſto, obambulationem valde ſolemnem equitum ordinis, cui de Spiritu ſancto nomen eſt, Verſaliae rex frequentauit. Idem benignum admodum ſe exhibuit in haeredes Cenomanenſis* principis nuper defuncti, &, quo ille quotannis vſus fuit, ſtipendium centenorum aeris noſtri millium ita diſpertiendum ſtatuit, vt vidua quinque & ſexaginta, filia princeps patre orba quinque & triginta accipiant millia. Ex obitu eius ad luctum aula veſtes per hebdomades tres XV. Kal. Jun. mutare coepit. Defunctus ordinariae cognitionis iudicem regium** executorem teſtamenti ſui dixit, cui numophylacium, quod collegit, quinquaginta, vt aiunt, millium aeris noſtri teſtamento legauit, iuſſitque ipſe, vt ſine omni pompa funebri in aede Seauxiana ſepeliretur. Fleurius marchio, tribunus legionis equitum deſultoriorum, qui Fleurium principem patrem agnoſcit, cum filia Oxii marchionis vnica, proxime celebrabit ſponſalia. Fontanius abbas, ſuam tandem non ſine multis ſumptibus, confecit litem, quam ipſi de ſatyra alieno nomine ſcripta mouit academia Gallica. Coram iudice ad promiſſa quaecunque facillimum ſe praebuit, ad expenſas damnatus, quae trium noſtri aeris millium perhibentur, cum tamen pro ſtudio & labore ſcripti ſui vix tres aureos Ludouicianos confecutus fuerit. Enim vero naturam expellas furca, tamen inde redibit, nec cautius piſcari edoctus, eodem, quo iudici promiſſa dedit, tempore, ſuis in obſeruationibus, mortuum nuper Amſtelodami Camuſatum falſe perſtringere non dubitauit. Meliori vſus eſt fortuna auctor cantici ad regulas artis muſicae compoſiti, quod miles gregarius legionis praetoriae Gallicae, regi, reginae, regio principi atque Fleurio purpurato exhibuit con-

continens hiſtoriam expeditionis Rhenanae per biennium praeterlapſum, a quibus ſingulis largiter donatus diſceſſit.

* *Maine.* ** *Lieutenant-Ciuil.*

Londino. XI. Kalend. Jun. Quantum conſtat, poſtridie in curiam rex ſuperiorem ſe conferet ſolutum praeſentia comitia per abſentiam ſuam, iterque IV. Non. Jun. in Germaniam aggredietur. Vſſelius baro, Saxoniae ducis Gothani extra ordinem ad ſolemnes Walliae principis nuptias legatus, regi & reginae vltimum dixit vale & proximis diebus Gothanam aulam repetet. Voigtius Saltzburgius baro, aulae Onolsbacenſis adminiſter eodem humanitatis officio defunctus eſt ſimulque de nouis nuptiis gratulationem perſoluit, ad quae ſolemnia eum Neocaſtellanus dux & Granthamus comes duxerunt. Cantimirius princeps, auguſtae Ruſſorum legatus, licentiam nactus rei ſuae familiaris curandae cauſa Petroburgum proficiſcetur. Azeuedus Cutinhus, Luſitanorum regis, cuius legatum agit, filii principis natu ſecundi Caroli obitum aulae noſtrae ſignificauit, quare nudius tertius veſtes in aula mutatae ſunt, quem morem Norriſium, ſummum maris praefectum, ducesque claſſis noſtrae, quae Olyſſipponenſem tenet portum, pariter obſeruaſſe reſciuimus, quam proxime tres naues bellicae maiores quarti ordinis, ſexaginta quarum quaeuis capit tormenta, augebunt. Multum commodi redundabit omnium ex opinione in ciues vrbis noſtrae ex decreto, quo ſicera pretio veniet maiori terminusque valoris introducendi feſtum Michaelis erit. Nuptiae Walliae principis, cuius aula heri formata fuit, Edinburgi, pridie Id. Maj. pepererunt laetitiam publicam, quam ciues, aere Campano impulſo varioque alio modo expreſſerunt. Kinnoulius comes, per multum temporis in aula Turcica legatus, in ſpe eſt conſequendi dignitatem praeſidis Jamaicae eandemque Carolinae auſtralis in America Anſtrutherus, tribunus militaris, obtinebit.

Vindobona. VII. Kal. Jun. Bini ſuperiori hebdomade Lutetia Pariſiorum curſores aduentarunt, alter qui ſubſcriptione firmatam retulit transactionem pacis, alter cum nuntio, quod morbo difficili adhuc & diuturno laboret Martinitzius comes, vt iter ad Luſitanos ex mandato imperatoris proſequi nequeat, negotium itaque, quod huic traditum fuerat, Lengheimbius comes ſuſcepturus luce heſterna iter Olyſſipponem aggreſſus eſt. Alba Regia * nuntiatur per curſorem, Turcos in eo eſſe totos, vt ſua, quae fines Hungariae ſpectant, caſtella vrbesque munitas maiori praeſidio firment nouaque veteribus monumenta adiiciant. Falſus deprehenditur rumor de reuocando domum Conſtantinopoli Dallmanno, imperatoris legato, vt praeſens a conſiliis bellicis ſit, cui potius in mandatis eſt, ſpartam, quam tenet, pro ſua dexteritate, praeſertim hoc tempore, vlterius adminiſtrare.

* *Belgrad.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIV. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIɔ Iɔcc XXXVI.

Neapoli, Idibus Maj. Iracundia inimica eſt conſilio, conſilio quanquam melius vincas quam iracundia, haecque vt pontificis oratorem vrbe & regno expellendum cenſuit; ita poſt aduentum Roma Bartholomaei Corſini principis habito conſilio viſum fuit ex ira recenti damnato vrbe non regni e finibus diſceſſum ſuadere, qui etiam dicto audiens, bis inſtituta conſultatione cum Spinello vrbis noſtrae archiepiſcopo, Nolanum in oppidum conceſſit. Ex nauibus quinque domum reuocatis tres oneratae ſunt re tormentaria & VI. Id. Maj. noctu ſoluentes, Anzanum, vt aiunt, ad promontorium curſum direxerunt, reliquae duae pariter altum petentes mare Acquauiuam purpuratum, Romanam qui reliquit aulam vrbemque, adportabunt, qui iam Montis Caſinenſis in coenobium peruenit. Quae Badrunto * ad nos acceſſerat legio Hiſpanorum pedeſtris iter maturauit ad reliquas ſuae nationis copias, quae tormentis reque bellica varia inſtructae pontificis prouincias petunt. Plurimis quidem perſuaſum eſt eas aggredi velle Velitram, ** cuius ciues Hiſpanos grauiter offenderunt, non tamen deſunt adfirmantes auxilio eas Corſis deſtinatas eſſe.

* *Bitonto.* ** *Veletri.*

Roma. XIV. Kalend. Jun. Superioris hebdomadis feria ſexta quadraginta pedites totidemque equites Hiſpani Velitra Follognanum oppidum, ad decimum noſtra ab vrbe lapidem diſtans, ingreſſi per integrum ſubſtiterunt diem horaque noctis quinta egreſſi Oſtiam occupandam ſtatuerunt. Multum ſane ingrati hoſpites intulerunt damni, diripiendo aedes quam plurimas, inprimis ſalinas Picalugae comitis, praeterque quingenta ſclopeta, captiuos duxerunt Velitram decem, reos, vt aiunt, expugnati nuper apud Oſtienſes Hiſpanorum nauigii, quorum binos ſceleris auctores globo plumbeo traiiciendo ad ſupplicium traxerunt. Poſtero die dicta manus equeſtris Oſtia Portilianum progreſſa, praemiſſis aliquot e ſuis ad

Foutana

Fontana vſque S. Pauli, ciuibus trans Tiberim terrorem iniecit haud levem, ab eo liberatis cura Acquauiuae & Bellugae purpuratorum, qui turmam hanc recedere iuſſerunt. Recedentes ad Caſtrum Romanum, quod Alberono purpurato eſt oppidum, ſubſiſtendum duxerunt nihilque non rapacibus patuit manibus. Prima praeſentis hebdomadis feria mane Acquauiua purpuratus, quatuor ſtipatus miniſtris equitibus totidemque veredariis curribus vſus Julianum, quod Saluiato duci eſt praedium, collega vero ipſius Belluga tribus carpentis Montem Caſinenſem petierunt, quos iudicio aulico adſcripti natione Hiſpani ſequebantur tantumque non quotidie plures, regis Hiſpaniae in tutela qui ſunt, vrbem reliquerunt. Eodem die purpurati duodecim agitarunt conſilia, quibus ad finem perductis, pontifex vocato ad ſe Portae comiti, rerum Caroli principis procuratori, ſignificauit valde promotum iri tranquillitatem publicam, ſi Hiſpanico & Farneſano in palatio qui ſuperſunt milites gregarii & duces remoueantur. Nullo licet ille inſtructus Neapoli mandato, paruit tamen monitis, ſubque praeſidio pontificis cataphractorum abierunt Marmoranam, vbi tribus Siculorum nauigiis imponebantur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Altera huius hebdomadis feria, Caſertae duci qui a cubiculo eſt, Barberino purpurato nuntiauit, Pipernum veniſſe peditum Hiſpanorum & equitum mille & octingentos totidemque in exſpectatione eſſe. Traſteuerini hoc nuntio moti ſuos coeperant penates deſerere, quos Porcia purpuratus erexit ſecuroſque eſſe iuſſit, interprete Marco Balotto, quo illi eo perducti erant antea, vt Acquauiuae purpurati aedes ingreſſi veniam delicti petierint. Feria tertia ab iisdem numero duodecim purpuratis conuentus fuit inſtitutus, qui accerſitum ad ſe paſtorem Oſtienſium primarium hortabantur, vt eo, vnde venerat, recedat, damnumque Oſtienſibus ab Hiſpanis datum quam accuratiſſime conſignandum curet. Qui a commiſſionibus primariis eſt, conuentu ſoluto, binas accepit litteras, Acquauiuae purpurato alteras, alteras Vauuillio, copiarum Hiſpanicarum duci tradendas, quibus praecauere viſum eſt, ne Hiſpani propius ad vrbem accedant. Sunt in ea opinione multi, ad egreſſum e pontificis prouinciis illos promptos ac paratos fore, ſi ipſis vel viaticum quadraginta ſoluatur millium, vel remittatur, quod pontificis aerario ex itineris per terras eius ſumptibus debent. Interim eos caſtra ſua Piperno Sazzam vſque ampliaſſe, poſtero die relatum accepimus nudiusque tertius, quod Praeneſten * ingreſſi ex mandato Barberini purpurati octo ſcutatorum millia, totidemque a Sazzanis acceperint. Neapoli aduentus Acquauiuae purpurati nuntiatur.

* *Paleſtrina.*

Liburno. XV. Kalend. Jun. Nouiſſimae Corſica ex inſula referunt litterae, Theodorum male animatorum primipilum & regem electum, X. Kal. Maj.

Maj. habito conſilio ſanctiori, quod concluſum fuerat, reipublicae Genuenſis adminiſtratori prouinciae Riuarolae marchioni expoſuiſſe, vt decem intra dies inſula excedat. Reſponſum vbi tulerat, minus ad palatum quod ipſi fuerat, Theodorus ille exercitum ſuum in quinque diviſit agmina, quorum quatuor Fanum S. Florencii, Nebbio expugnato, Sargariolum, Aiaccium & Fanum S. Peregrini tenent in obſidione, quintum aggredietur Baſtiam. Quantum nouus rex confidat ſuis ſuorumque ciuium viribus, docet edictum, quod publicare auſus eſt, huius argumenti: „Theodorus rex Corſicae. „Praeſens regni ſtatus conſiliumque „quod cepimus, hoſtes patriae in„primis Genuenſes, nullo non tem„pore tyrannos, vt expellamus, cum „non permittant, eodem eſſe animo „in gementes ſub iugo patriae dedi„tos ciues Baſtiae (Aiaccii etc.) nec „illi eo ſint in ſtatu, vt ſpecimen „zeli ſui ſuique in patriam amoris „edere valeant: Propenſos tamen „ipſos in nos fore confidimus certique „quod aegerrime ferant ſibi occaſio„nem deeſſe conferendi quicquid ad „libertatem patriae reſtaurandam ſpe„ctat. Studio itaque in illos commoti „per litteras has hortamur eos, vt, „noſtro ad moenia accedente exer„citu, ſine mora deditionem parent, „ſpe freti certa fore, vt benigne ex„cepti, fideles qua decet ciues, ratio„ne tractentur. Si vero, quod Deus „auertat, morem non geſſerint, de„claramus, nos quam maxime inui„tos arma in eos conuertere velle, vt „triſtem belli euentum ſentiant: vt„pote qui ſtatutum cum animo ac de„liberatum habemus, nullis parcere „ad aduentum claſſis noſtrae ſubie„ctionem differentibus, tumque ſatis „inſtructi erimus, vt deditionem ex„torqueamus, nullaque gratiae & con„ſeruandae vel vitae vel rei familia„ris ſpes miſeris ſuperſit.

Ferraria. X. Kal. Jun. Roma nouiſſime nuntiatum eſt pontificem dediſſe poteſtatem cum Carolo principe Hiſpaniarum paciſcendi Spinello purpurato, Neapolitanae vrbis archiepiſcopo, vt obliuioni detur offenſio, quam populi Romani nuper in Hiſpanos tumultus peperit. Inter alia, Neapolitana expoſcit aula, vt oppida tria, nimirum Caſertae principis Sermoneta, Barberini purpurati Colaltum & Colonnae principis Paglianum ſibi tradantur, aut ad minimum praeſidio pontificis firmentur. Expoſcit, inquam & hoc, vt, qui deprecandi munus apud Acquauiuam purpuratum noluerunt ſuſcipere conſeruatores ita dicti Romanae ciuitatis, illud Neapoli apud Carolum Hiſpaniarum principem praeſtare ſuſtineant. Galli ex agro Patauino in Pedemontium iter maturando viam locumque faciunt ſuccedentibus e terris Mutinenſibus, quarum princeps, praemiſſa ſupellectili varia, VIII. Kal. Jun. metropolim ſuam ab hoſpite moleſto vacuam, Bononia relicta, repetet. Germani tormenta, quae Hiſpani ſecum ſumſerunt, iure ſibi vindicarunt eaque quibus fuere locis Parmenſium iuſto rurſus ordine diſpoſuerunt.

fuerunt. Parmenſis regio in praeſenti viginti Germanorum capit millia, quorum ſex ingredientur Hetruriam quam primum inde Hiſpani diſceſſerint, maiorque eorum numerus Mediolanenſibus erit praeſidio in locum Gallorum & Pedemontanorum, qui exire parant. Interim Parmenſes praeuident ſibi vtriusque nationis militem adhuc per integrum menſem alendum fore, moram inprimis iniiciente Sardiniae rege, qui ſumptus, quos paſſim in muniendis Mediolanenſium locis fecit, ſibi refundendos iudicat.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Kal. Jun. Noſtri in Italia exercitus dux ſupremus regnique mareſchallus Noallius Auguſtam Taurinorum profectus eſt deliberatum cum rege Sardiniae de praeſenti rerum ſtatu, cum ille exoptare videatur Gallorum in terris Mediolanenſibus praeſentiam, donec cum vicina imperatoris ditione fines determinati fuerint. Attamen e prouincia Mediolanenſi excedere incipiunt Pedemontani, ſumptuumque, quos rex Sardiniae fecit, ratio aliqua habenda dicitur. Romae nullo vnquam frequentiores ac praeſenti tempore conſultationes inſtitutae ſunt, quibus in controuerſia cum Hiſpanis nolunt amplius intereſſe quidam purpuratorum, ſuoque diſſenſu concluſa morantur. Non pauci denegarunt Hiſpanis quem flagitarunt victum, praeualuit tamen eorum factio, qui alendos hoſpites ſtatuerunt, principibus itaque diffidentibus plectuntur Achiui, nec deſunt, qui Hiſpanos a pontifice in auxilium vocatos eſſe contendunt. Opinio ad nos venit herique ora ciuium impleuit rumor, Hiſpanos hoſtilem in Anglos prodidiſſe animum ſex illorum naues mercatorias expugnando, verum, quae deſiderantur, circumſtantiae adſerti veritatem valde infringunt. Satyra multorum teritur manibus, quae inſcribitur *Diabolus male ſe habens*, ſed peius ſe habebit auctor, in quo explorando omnis induſtria adhibetur, cum purpuratos, ordine ſuperiores ita dictos praelatos & alios falſe admodum perſtringere famamque eorum arrodere non dubitauerit.

Haga Comitum, Kalendis Jun. Londinenſes ſuis in litteris falſum eſſe docent rumorem, qui de claſſe Britannica, quae portum tenet Olyſſipponenſem, augenda in vulgus emanauerat. Idem & noſtra in vrbe raucus factus eſt de differenda exercitus diminutione, contrarium enim patet ex concluſo ordinum foederati Belgii, qui eam & quidem decem millium proximo menſe inſtituendam eſſe nudius tertius decreuerunt. Diſcordiarum Hiſpanos inter & Luſitanos quam longiſſime finis abeſt, quantum conſtat ex reſponſo Patinhi, regi Hiſpaniarum publicis qui in rebus a ſecretis eſt, dato ad quaeſitum, annon ad maturandum pacis & concordiae negotium conduceret foretque conſultum vt aula Hiſpanica Luſitaniae regis legati miniſtros dimittendo initium faceret. Aduentus regis magnae Britanniae cum proximis diebus inſtet, Horatius Walpolius, eius in aula noſtra legatus, Nonis Jun. Hanoueram praeire ſtatuit, herique cum delegatis ordinum reipublicae noſtrae per multum temporis colloquium protraxit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIV. A. P. C. N. | PARTIC. II. clↃIↃcc xxxvi.

Genua, pridie Kal. Jun. Triumphare videntur ante victoriam orſi deque prius formando quam firmando imperio cogitantes, quaſi fortunam regant ipſi, conditum ante regnum regni noui formam eſſe conſtituerunt ſequentem:

Theodorum Neuhofenium baronem, primum Corſorum ſalutamus regem eiusque poſt fata haeredes maſculos ſecundum ius primogeniturae, eodemque ſi illi deficiant, iure foeminas, ita tamen, vt regia vtens auctoritate ſacris Romanenſibus addictus praeſensque continuo ſit in regno, ad exemplum quod hodie rex dabit.

Prole omni deſtituto poteſtas erit ſibi quemcunque velit eligere ſucceſſorem regni ſua ex gente, eadem tamen lege, vt ſacra profeſſus eccleſiae Romano-catholicae firmam in inſula ſedem habeat.

Si vtriusque ſexus prole omni careat vel ipſe Theodorus, vel quem elegerit ſucceſſor eius, ſuo vtetur iure regnum, ſua libertate, populoque poteſtas erit vel regem conſtituendi vel formam reipublicae, quam ſibi commodisſimam putauerit.

Jure omni fruatur regio rex praeſens & olim quiscunque futurus, iis exceptis immunitatibus, quas proxime ſubiecta complectuntur definiuntque capita.

Conſultum videtur ſenatores regni conſcribere quatuor & viginti & fide & dexteritate prae coeteris conſpicuos & quidem ſedecim cis & octo transmontanis ex prouinciis; quorum tres, nimirum vnus horum, bini illorum ex ordine, nunquam a latere regis diſcedent, nec ſine his de bello aut pace rex aliquid certi pro ſua auctoritate ſtatuat.

Idem ſenatus vna cum rege belli, pacis tributorumque rationem habeat, loca deſignet omnium commodisſima ſibi viſa ad exportandum nauibus, quod inſula profert, nullaque

que non occaſione, nullo non tempore, quo conſultum duxerit, conventus inſtituat.

Cuiuscunque generis honores publici ſolis indigenis, exteris in vniverſum omnibus excluſis, quamcunque agnouerint patriam, conferantur.

Simul ac regnum conſtitutum firmatumque fuerit, Genuenſes omnes regno expellantur, quo pace donato, exteri milites alantur nulli ſed Corſi tantum, praeter corporis cuſtodes, quos ſibi rex ſiue Corſos ſiue peregrinos pro lubitu eligere poterit.

Tempore hoc, quo bellum cum Genuenſibus geritur, peregrina rex libere circumſpiciat auxilia, non tamen vltra mille & ducentos, niſi comitia regni rexque maiorem, vrgente necesſitate, numerum definiant.

Genuenſium nullus cuiuscunque conditionis in regno remaneat aut impoſterum in inſula ſedem figat, quae indulgendi poteſtas ipſi quoque regi denegatur.

Bona mercesque, quibus patria abundat, ſine vllo tributi onere ad exteros transportare ciuibus liceat.

Bona Genuenſium, vt & ciuium rebellium patriaeque hoſtium, in his etiam Graecorum Paoniam incolentium, addicenda ſunt aerario, minime vero Corſorum, qui reipublicae Genuenſi vel cuidam huius delegato aliquid tributi pendere coacti fuerunt.

Tributum annuum, Corſis inponendum, nunquam tres excedat florenos pro domo aut familia, dimidiumque, quod in vſu fuit, tributi abrogetur & ab omni viduae immunes ſint, nec vnquam ab illis aliquid exigatur.

Salis, cuius venditio ad regem ſpectat, pretium, quoad menſuram pondo duo & viginti, conſtituatur tredecim cum ſemiſſe nummorum, quos vulgo Sols adpellamus.

Ciuitates totiusque regni incolae antiquo gaudeant iure in re ſua familiari huicque adnexis, nec maiori, quam ab antiquisſimis temporibus fuit, in victu procurando, premantur onere.

Quaedam in quacunque inſulae ciuitate condenda eſt academia, iuris & philoſophiae alma mater, cui a rege & in comitiis alimenta ſuppeditanda reditusque conſtituendi ſunt, quos ſufficere iudicabunt, iisdem inſtruenda priuilegiis, quibus aliae fruuntur.

Regis eſto ſine mora, qui patrio regno honori & gloriae ſit, ordinem fundare equeſtrem, in quem nationis huius dignisſimi & praeſtantisſimi legantur.

Jus ſyluarum venandique per vniverſum regnum patria Corſis idem erit, ac olim fuit, aut hodie eſt, nec aliud ſibi rex tribuat ius, quam quod hac in parte respublica Genuenſis exercuit.

Lutetia Pariſiorum. V. Kal. Jun. Adfirmantium ſolo rumore nuntio, Tanaim expugnaſſe Ruſſos, fidem infringunt litterae illis ex terris ad nos datae, quae docent, eos, quo opus eſt,

eſt, feruore & impetu nondum obſidionem inchoaſſe. Nec fidem meretur relatio de Baſtia, Corſicae inſulae metropoli, nouo, vt ſalutari cupit, regi Theodoro tradita, cui potius quatuordecim dierum ſpatium conſtituit deditionis, quo praeterlapſo nulli ciuium parcendum fore declarauit. Genuenſibus facile ſubodorare licet, Theodorum agere fretum Hiſpanorum auxilio, vtpote a quibus impugnari naues cognouerunt ſuas, quae bellicas res aut ad victum neceſſarias Baſtienſibus ſupportare intendunt. Omnium & inprimis collegarum conſenſu creatus eſt curiae prouincialis praeſes ſupremus Pelletierius, quam ille haud voluit ſuſcipere ſpartam, niſi praeſidum ſecundi ordinis in numero videat filium, quod tandem, ſed non ſine difficultatibus obtinuit. Epiſcopus Laudunenſis* iterato publicauit edictum, omnium quae vnquam ex ipſius calamo fluxerunt, acerbisſimum, quo ſingulos ſuae dioeceſeos e gremio excludit eccleſiae, qui conſtitutionem *vnigenitus* normam fidei agnoſcere ſubdubitant. Scriptum, quo Fontaninus abbas famam academiae Gallicae arroſerat, nudius tertius manu carnificis igni traditum fuit.

* *Laon.*

Londino, *Kalendis Jun.* Superioribus diebus, pauperum, quiscunque fuerit, patronus valde inſignis, ſocietati, cui de propaganda in terris remotis fide nomen eſt, libras Sterlingicas mille, totidem pro indigentioribus cuiuscunque generis, totidem praeterea ad alendos ſacerdotum liberos & viduas tandemque quingentas ad promouendam religionem proteſtantium, quae in montanis Scotiae non vbique floret, exſoluendas curauit. Praecedentis hebdomadis feria ſexta, cum in ſacello Oſorii equitis, regis Sardiniae legati, ſacra fierent, quae Miſſae vocantur, quatuor ingreſſi ſunt, qui cultum diuinum frequentantes exagitando non contenti ad altare progreſſi male tractarunt ſacerdotem ſacra adminiſtrantem, nec melius ianitorem, quem a facinore dehortantem colaphis exceperunt feceruntque, vt filum ſacrae actionis abrumperetur. Bini ex his comprehenſi atque ad ſenatum ducti, poſthabita omni cautione ſatis valida, publicum in carcerem coniecti fuere. Oſorius eques protinus ad regem ſe contulit in palatium Jacobiticum, conqueſtum de iniuria ſibi illata, tulitque reſponſum fore, vt poena, quam meruerunt, ſcelus expietur. Academiae Oxonienſis & Cantabrigienſis, ſexque & viginti dioeceſium ſacerdotes, ciuitatesque quam plurimae per ſuos delegatos de nuptiis Walliae principis gratulationes in aula ſoluerunt. Luce heſterna ritu ſolemni & ſolito in curiam regni vbi venit rex, ſuo firmauit conſenſu concluſa in comitiis non pauca, patribusque conſcriptis ſignificauit, per abſentiam expertae fidei reginae vices ſe tradidiſſe regniqne adminiſtrationem. Quo facto cancellarius eques, iuſſu regis comitia ad V. Id. Aug.

pro-

prorogauit. Craſtino die mane rex concedet Grauesandiam, vt naue conſcenſa Heluoetsluyſium traiiciat habebitque itineris ſocium Tilſonium, qui Harringtonio equiti a ſecretis ordine ſecundus eſt, vt ſub moderamine Horatii Walpolii res in terris Hanoueranis expediat.

Haga Comitum. III. Non. Jun. Praeter omnem ſpem atque opinionem accidit, vt ordines foederati Belgii, quam nemo non quam longiſſime abeſſe arbitrabatur, diminutionem exercitus decreuerint. Sine mora itaque dimittentur milites & noſter impoſterum exercitus quater mille & ducentis equitibus, hisque deſultoriis bis mille & octingentis nec non ſeptem & triginta millibus peditum, in vniuerſum autem omnis quatuor & quadraginta millibus conſtabit, non ſine inſigni lucro aerarii, quod trecenta florenorum millia quotannis lucrabitur. Ex Hiſpania laetum hauſimus nuntium, regem dediſſe mandata, vt theſaurus claſſe ex America aduectus apud Gaditanos iuſtis poſſeſſoribus diſtribuatur laudique eſt Vaugrenanio marchioni, Gallorum legato, quod reginam Hiſpaniae eo perduxerit. Cui non licet eſſe aeque beato in ſuadenda cum Luſitanis conciliatione, quam regina nouis poſtulatis magis moratur quam promovet. Quae inter alia flagitat, vt natio Luſitanica cedat de lucro, quod capit ex auro puluerulento, ſed dubio procul voti ſui compos non fiet, cum Anglica ſimul natio haud parum laederetur. Fuit quidem in eo Waſnerus, imperatoris in aula Luſitanica legatus, vt Araniuezanam villam petens pacis ſtudium tractaret, ſed nouis ex mandatis animum mutauit. Epiſtolae Liburnenſium ad familiares narrant, Theodorum a Corſis male in rempublicam Genuenſem animatis, ſpectante omni exercitu, in caſtris laurea coronatum ſummumque imperatorem, vel, vt alii volunt, regem ſalutatum eſſe.

Vindobona. IV. Non. Jun. In aede metropolitana S. Stephani coeptum eſt exſtrui monumentum funebre ſiue caſtrum doloris in honorem piae memoriae Eugenii principis, quod picturis illuſtrabitur & inprimis decem victoriarum, quas potiores heros inuictiſſimus ab hoſtibus reportauit inque opus tam magnificum ſexaginta vel ſeptuaginta florenorum millia impendenda dicuntur. Defuncti ſorori, quae Camberii in Sabaudiae metropoli degit, imperator per curſorem ſtatim poſt obitum fratris & poſtmodum interprete Günthero, centurione legionis praetoriae, ſignificandum curauit, haereditatem adire ipſam poſſe, neutiquam vero exportare, ſed dubium non eſt quin illa certa pecuniae ſumma ſe contentam exhibitura ſit. Praeterea rex Galliae in cauſa haereditatis pro Carignano principe ad imperatorem litteras exaraſſe perhibetur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXV. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIɔIɔcc xxxvi.

Neapoli. XI. Kalend. Jun. Si quid valet lex humanitatis & hoſpitii, primus omnium qui aduentauit, hoſpitem eumque pontifici reconciliatum Coſciam purpuratum ſalutandum habuiſſet Spinellus vrbis noſtrae archiepiſcopus, verum neglecto illo ſalutandos cenſuit Acquauiuam & Bellugam purpuratos, ſedi Romanae quam maxime aduerſos Hiſpanorumque partibus addictos, quos pontifici, quos aulae, quos populo Romano & vrbis & regionis totius moleſtiam creare in aperto eſt, ſpecioſo ſe excuſatum habens titulo amicitiae, quam reſtituendo deſudat. XVI. Kal. Jun. Spinellus Roma accepit curſorem, eodemque poſt meridiem die conuenerunt eum in colloquium dicti modo duumuiri purpurati per plures horas, a quo tempore ſenatus ſupremus, ipſo praeſente Carolo principe, aliquoties extra ordinem agitauit conſilia. Roma quoque ſpontanei exules & martyres politici, conſilio aulico Romano adſcripti, cum procuratore in vrbe Roma rerum Hiſpanicarum, ad nos inque conſpectum iam Caroli principis venerunt. XVI. Kalend. Jun. Caſtropignana princeps filiolum enixa fuit.

Roma. VII. Kalend. Jun. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, pontificem ſuperioris hebdomadis ſub finem dediſſe mandata ad Spinellum purpuratum, vrbis Neapolitanae archiepiſcopum, vt cum Hiſpanis conciliandis tranſigat, iisdemque ab Hiſpaniarum rege Acquauiuam atque Bellugam purpuratos inſtructos eſſe reſciuimus. XII. Kal. Jun. delegati numero duodecim purpurati de praeſenti rerum ſtatu habuere conuentum protinusque cum concluſo curſorem Neapolim ablegarunt. Velitrenſium aerarii praefectus XI. Kal. Jun. eo, vnde vocatus venerat, rediit cum litteris cambialibus octies mille ſcutatorum, qui-

bus

bus Hiſpanorum exercitus duci ſupremo ſolutis, omnes ſperant fore, vt ingrati hoſpites noſtris ex terris diſcedant. Interim diſcordiarum finem quam longiſſime abeſſe, vel ex eo colligère llcet, quod Acquauiua purpuratus Roma euocauerit rerum ſuarum procuratorem Ciampium abbàtem, huiusque ad exemplum Belluga collega ſupellectilem variam domeſticam & inprimis carpenta finguli tria in ſignum longioris abſentiae ſibi adduci curauerint. Multum confirmat ſuſpicionem mutata itineris ratio, quod ex Hiſpania non per vrbem noſtram ſed Liburnum, ibique conſcenſa naue Neapolim curſores tenentur inſtituere. Nudius tertius bini aduolarunt curſores a Vitellio marchione Velitra alter, alter Neapoli a Spinello purpurato, qui deliberationis cum Belluga & Acquauiua habitae argumentum nuntiarunt rumorque inde percrebuit fore, vt ex ditione pontificis proxime diſcedant Hiſpani, Neptunii iam conductis nauigiis tribus, quibus traiiciendus Orbitellum dicitur equitatus, peditibus terreſtri itinere Neapolim reuerſuris.

Ex eadem vrbe, eodem die. Optimates vrbis noſtrae, quibuscunque potuerunt armis & armatis inſtruxerunt aedes ſuas, ſi quid aduerſi ex Hiſpanorum eruptione eueniat, cohortibus quoque ita diſpoſitis, vt vim externam ſuſtinere valeant. Enim vero pontifex Clemens duodecimus ſupplex precibus non ad filium eccleſiae regem catholicum ſed eccleſiae vrbisque Romanae patres tutelares Petrum & Paulum apoſtolos ſe conuertit, quibus dicauit quatuor & viginti faces cereas, ſuccendendas in aede Lateranenſi ad capita eorum, quae populo religionis cauſa confluenti exponi iuſſit. Nec difficilis erit in re minus periculoſa tutelae adminiſtratio, nemo enim non videt, niſi metu vano abreptus, Hiſpanorum exercitum non ſufficere ad vrbem ampliſſimam inuadendam, cuius ciues odio in nationem, cui origo mali debetur, flagrant adeo, vt in ſui ſuorumque conſeruationem extrema experiri non dubitarent. Quantum itaque valeant viribus, quantum irae conceperint, maluerunt infirma per loca, quorum aditus omnibus patet, teſtari. Nihil non ipſis licuit Velitrae, edicta publicarunt, ſontes aeque ac inſontes cuſtodiae tradiderunt, eum potiſſimum in finem, vt tributa grauiora exigerent, rationem habentes quam maxime ciuium diuitiis adfluentium, horumque ex numero profugos propter ſolam abſentiam auctores ſeditionis pronuntiarunt, in his viros equeſtres Colozzium & Muſicum, quorum aedes diripuerunt

Liburno. VIII. Kalend. Jun. Portum noſtrum e Corſica inſula intrauit nauigium, quo certiores facti ſumus, quod Theodorus rex inſulae ſalutetur. Aliorum ex relatione habemus, Corſos male animatos in Genuenſes decreuiſſe horum adhuc quae in poteſtate ſunt loca tenere

in

in obſidione, deficiente mortariorum bellicorum adparatu, oppidum autem aliquod incerti nominis aggreſſos eſſe ſedecim inſtructos tormentis. Neſcio quo furore abrepti in nonnullos ſaeuire coeperunt capitisque ab Imperiali, vt ei nomen eſt, Popoli, atque Tauagnenſi in tractu ab alio ſumſerunt ſupplicium, qui cum priore cognatione coniunctus fuit, raptis paſſim in carceres, quos Genuenſibus fauere deprehenderunt. Quod nouo ſub rege lucem conſpexit edictum, Genuenſes, vbicunque dominantur, ſuppreſſerunt, & inprimis Baſtiae, ne quid ciuibus commercii cum illis ſit, quam diligentiſſime obſeruatur, iuſſis, vt ſingulis, in quas vrbs diuiditur, partibus arma deponant conferantque, quo magis ſecuritas firmetur, quam vel ſola ſuſpicio dubiam reddere poſſet. Naues Hiſpanorum bellicae adhuc tenent portum noſtrum, duce Montemario Piſae commorante, nec quid certi ipſorum de diſceſſu innotuit. Gadibus * aduentarunt duae naues, Germanorum ſexcentos octoginta & quinque capientes, qui iure belli captiui libertate donabuntur. Ex oriente docent litterae, quibus tamen non omnimoda habetur fides, deiectum throno & dignitate eſſe imperatorem Turcicum ſucceſſore dato anteceſſoris eius filio.

* *Cadix.*

Mediolano. III. Kalend. Jun. Tandem concluſum perhibetur, tradere caeſarianis proximo menſe vniuerſam prouinciam, qui ſub auſpicium dicti menſis Cremonenſem ingredientur ditionem. Ditione in Alexandrina & Lomellina rex Sardiniae menſe, qui inſtat, pendendum indixit tributum quinquaginta millium, quo vtimur, aeris quodque imperialis partem ſeptimam cum ſemiſſe * conficit. Ferrarienſes conqueruntur de mora diſceſſus Germanorum, quae tribuitur neglecto humanitatis officio a purpurato prouinciae praeſide, quo vterque & Bononienſis & Rauennatum vſi ſunt. Nec forte impune ferent Ferrarienſes, qui Germanis accedentibus, ponte leuato ingreſſum denegarunt. Tranquilliorem agunt vitam Parmenſes quique in metropoli degit Khevenhüllerus comes, ſummus caeſariani exercitus dux, ducibus cum binis, Lobkowitzio principe & Wachtendonckio ad caſtrum S. Donini iterata vice conſultationes inſtituerunt, quo vero de argumento, non liquet. Roma ad familiares litterae ſpem concordiae cum Hiſpanis reſtaurandae opinione tardiorem fore ſubindicant.

* *Liren.*

Lutetia Pariſiorum, Kalendis Jun. Fallunt forte & falluntur, qui publicandae pacis terminum adpropinquare contendunt, nec dubium eſt, quin longe plurima eum prorogare videantur obſtacula. Quam vtique ſuffulcit opinionem nouum regis noſtri mandatum, ex quo diminutio exercitus tam accurate definita nondum locum habebit, accedente & hoc, quod quinque & viginti militum millia in Longobardia remaneant,

neant, quod valida ſatis ad Rhenum caſtra ponenda ſint, quod Hiſpani ex Hetruria recedere moras nectant, quod denique in pontificis ditione haud leues ſint turbae, nec his Corſica inſula careat. Huius rex nouus Theodorus ſi vera ſunt, quae narrantur, regiae ſuae dignitatis auſpicium per litteras aulis expoſuit variis, precibus adiectis, neutram inclinent in partem, ſi vel maxime regios agnoſcere honores recuſarint, vt & promiſſis, ſe ad demerendam hanc beneuolentiam promptum aliquando & facilem fore. Interim conſtitutae in itinere copiae noſtrae nuntiantur, primaque illarum turma Alpes iam tranſiit & legio regia Biſuntium * peruenit. Hodie Pelletierius in curia ſuprema praeſidis primarii locum, quibus fieri conſueuit, ſolemnibus occupabit. VI. Kalend. Jun. rex regioque ſanguine creti principes ſubſcribendo firmarunt ſponſalia Ormeſſoniae, quae auum agnoſcit ſigilli regni cuſtodem, cum Roſmadeco marchione, quae III. Kalend. Jun. veſperi benedictione ſacerdotali confirmata ſunt.

* *Beſançon.*

Haga Comitum. VI. Id. Jun. In eo cum eſſet Horatius Walpolius, vt Hanoueram iter aggrederetur, rex eum magnae Britanniae, qui Non. Jun. noſtrum ad littus in continentem deſcenderat, Heluoetsluyſium vocauit, vocatum ornauit dignitate ſecretarii in expediendis publicis rebus, quam Harringtonius eques ſponte depoſuit, redux itaque regem ſequi Hanoueram parat. Praeſentiam ſuam regi non ſubtrahent Chauignius, Kinskius comes atque Oſorius eques, regis hic Sardiniae, ille imperatoris, iſte Galliarum legatus, quibus addunt alii Montiium comitem, quem ex Hiſpania eo in itinere conſtitutum iam eſſe contendunt. Qui mercaturam cum Perſis exercent noſtrae vrbis ciues ſibi nouiſſime inde relata referunt, Turcos pacem iniiſſe cum Thamaſo Kulichamo eumque redditis inſuper locis in Perſide occupatis, ſalutaſſe regem, quem ille titulum cum altero, quem tenuit, ducis ſupremi exercitus, permutare decreuerit. Cui nuntio contradicunt Petroburgenſium litterae, teſtantes ſpem alere Ruſſos, ex foedere arctiſſimo dictum Kulichamum ſine praeſcitu auguſtae Ruſſorum pacem cum Turcis ſtatuere nolle, nec facile concipi poteſt, qui factum ſit, vt idem Kulichamus, eodem, quo pax tantum non penitus confecta fuiſſet, tempore, legatum miſerit Petroburgum eumque interpretem ſuae ſententiae, quod armorum aeque ac pacis ſocium ſe exhibere decreuerit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. VII. Id. Jun. Diſſ. Jur. *de Textu Nouellarum originario coniecturas*, praeſide D. FERDINANDO AVGVSTO HOMMELIO P. P. publice exhibuit JOHANNES CHRISTIANVS FLECK, Numburgenſis, Litteris Richterianis, pl. 3.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXV. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↃIↃCC XXXVI.

Lutetia Pariſiorum, *pridie Non. Jun.* Minima non curat praetor, multo minus in paciſcendo attenduntur aut anxiam pariunt curiam, quae minoris ſunt momenti nec pacti fundamentum videntur deſtruere aut labefactare. Spes itaque nos firma alit breui fore, vt pax Vindobonae conſtituta publicetur, cognito, quod in comitiis Ratisbonenſibus, quicquid imperatorem inter regemque noſtrum conclusum fuit, ratum perfectumque habitum fuerit. Nec tanti ſunt, quae hoc nomine venire poſſent, obſtacula, nimirum diſcordiae Hiſpanorum cum rege Luſitanorum & ſede Romana, aut Corſorum turbae, vt filum abrumpant operamque, quam paciſcentes abſoluerunt, irritam faciant. Certe ex Italia nouiſſimae VIII. & VII. Kalend. Jun. ad nos datae referunt litterae, copias noſtras, terris Mutinenſibus relictis, iter parare ad patrios lares, quarum prima turma Alpes iam tranſiit. Quinque & viginti quidem millia, rege Sardiniae flagitante, in Italia remanebunt, donec ille fines cum imperatore determinauerit, determinandos tamen proxime fore plurimi coniiciunt, ita vt IV. Id. Jun. aut XVII. Kal. Jul. Longobardia vniuerſa noſtrates exire valeant. Hiſpani quo alacriores primum ſe exhibuerunt in educendis ex Hetruria copiis ſuis, eo in praeſenti ſunt tardiores, vel quia repetunt tormenta a caeſarianis ſibi erepta Parmamque & Placentiam reducta, vel, vt aliis placet, ad manus vt habeant armatas preces, ſi his iniuriam ſibi Romae illatam vindicare opus ſit. Socer regis Meudoniae in exſpectatione eſt, cui ſummus vrbis noſtrae tribunus Harleius obuiam proceſſit, quem vero in ſecundis & aduerſis fidum habuit Achatem, Montius marchio, ad Polonos olim legatus, nudius quartus vrbem in noſtram redux Verſaliae regis his diebus in

con-

conſpectum venit. Falſus deprehenditur rumor de colligendo, duce ſupremo Bourgio mareſchallo, ad Rhenum exercitu, cui praeſit Belislius comes, qui potius ſuam trium in Lotharingia epiſcopatuum praefecturam petere iuſſus eſt.

Ex eadem vrbe, eodem die. Mirum in modum variant relationes de modo, quo ſibi faciendum ſatis eſſe Hiſpani flagitant offenſi à plebe, quae nuper Romae tumultum excitauit. Alii litteras, quibus iuſtam rex Hiſpaniae expreſſit iram, ea conſcriptas eſſe tradunt modeſtia, quae nationis genio tali in caſu vix reſpondeat. Alii plane in contrarium duriſſimas, quibus rex Hiſpaniae ſibi ſatisfactum iri cupiat, proferunt conditiones easque ſequentes: (1) Cedat de iure ſuo pontifex, quo regnum Neapolitanum ſedis Romanae beneficium eſſe contendit; (2) Caſtrenſem atque Roncilionenſem Carolo Hiſpaniarum principi tradat prouinciam; (3) Idem Romae ſalutetur dictator perpetuus atque ſenator Romanus; (4) Gaudeat, quo alii reges, iure denominandi ſuae nationis purpuratos, cum adnexis praerogatiuis; (5) Paglianum caſtellum Hiſpanico vel Neapolitano firmetur praeſidio; (6) Sumptus expeditionis praeſentis refundat pontifex fierique ſatis curet nomine populi Romani, qui Hiſpanicae aulae adminiſtris, huiusque nationis militibus & ſubiectis inſultare non erubuit.

Londino, Nonis Jun. Rex ſui, quod nudius quartus mane aggreſſus eſt, itineris ſocios eſſe voluit habuitque duces Graffitonum, Devonsherium & Mancheſterum, Warwickium comitem, Sundonum vicecomitem, Richium equitem, Schützium atque alios, regina vero cum prole regia vtriusque ſexus Kevvianum agri Richmondiani praedium petiit, reuerſa heri cum Amalia & Carolina, veſperique, poſtquam inuiſerat Walliae principem recens nuptam, morbillis laborantem, eo, vnde venerat, receſſit. Colligunt vaſa Kinſkius comes, Hopius, Looſius baro & alii regum & principum in aula noſtra legati, vt regem Hanoueram ſequantur. Qui Lutetiam Pariſiorum proficiſci ſtatutum cum animo ac deliberatum habuerat, Chauignius, Gallorum legatus, incidit in morbum, quo impeditus iter in patriam differre coactus fuit. Italiam petet, rege indulgente, Buckinghamia princeps ibique per aliquod tempus commorabitur. Concluſum in nuperis comitiis, quod de commercio illicito agit, clauſulam continet, quae fauet equiti deſultorio legionis Churchillianae & vectigalium exactori abſoluitque damnatos capitis, qui comprehenſum in mercaturae vetitae exercitio interfecerant, nec valorem legis huius infringere potuit formula, qua equites numero ſedecim interceſſerant. Regii ophthalmici nomen meruit D. Taylorus egregiis artis ſuae ſpeciminibus, quae plus vice ſimplici ſummo cum aegrorum leuamine exhibuit. Ipſis

Kalendis

Kalendis Jun. ſacra baptiſmatis vnda adſperſus fuit Horatio Walpolio equiti natus filiolus, ſuſceptoribus erogatis Carolina, principe regia, Marlboroughio duce & Roberto Walpolio equite, prioris autem vices Finchia geſſit.

Ex eadem vrbe. VI. Id. Jun. Nudius tertius per curſorem certior vbi facta fuerat regina de feliciter confecto itinere maritimo regis mariti, qui Norano egreſſus portu Helvoetsluyſium adpulit, Kenſingtoniam ſe contulit praelectisque publice in ſenatu ſanctiori litteris, quibus, ipſo abſente, faſces imperii accepit, rediit Kevvianum in praedium & craſtina luce Kenſingtoniam concedens ad reditum vſque regis ibidem commorabitur. Walliae principis coniux ex morbillis aegra melius ſe habere coepit. Venit ad nos Dorſetus dux, Hiberniae prorex, qui per abſentiam ſuam D. Hardenio, regni Hiberniae primati, cancellario equiti & curiae inferioris oratori Boylio, imperii adminiſtrationem tradidit. Kalendis Jun. filiolum enixa eſt Bridgewateria dux, qui recens natus Brackleius marchio ſalutatus fuit.

Baſilea. V. Id. Jun. Ex litteris Liburnenſium ſub finem menſis proxime praeterlapſi ad nos datis conſtat, expugnationem Baſtiae metropolis Corſicae figmentum eorum eſſe, qui Theodoro eiusque adſeclis bene precantur. Veritati interim reſpondet, nouum regem, vbi repulſam tulit a Riuarola, Genuenſium procuratore deditionem recuſante, acceſſiſſe cum exercitu viginti, aut aliorum ex calculo, triginta millium propius ad vrbem, interque tormentorum tonitrua munimentum terreum, re tormentaria multa refertum occupaſſe, non ſine moleſtia ciuium fluuio, qui vrbem ſecat, alium in locum deriuato. Caſtra haec male animatorum octodecim inſtructa perhibentur tormentis, nullis vero adhuc mortariis bellicis, minime tamen deſperantibus Baſtienſibus, qui Genuenſium circumſpiciunt auxilia. Nebbienſis tractus incolae obſides dando arma a praefecto vrbis flagitarunt pro republica in hoſtes vertenda, aditus itaque omnes cum factio aduerſa occluſerit, ne illam obſides ingrediantur, praeſidio ille ſuo indixit eruptionem ſexcentorum militum, ad praeſtanda, quae promiſit in fide manentibus auxilia. Id certum omnino iisdem nuntiatur litteris, male animatos plurima in obſidione tenere loca, regiumque ſumſiſſe titulum Theodorum, incolarum non exterorum fretum viribus, virum quinquaginta, quantum coniicere licet, annorum, rerum bellicarum valde peritum non minus ac linguarum, qui Gallicam, Germanicam, Anglicam, Latinam, Italicam & Hiſpanicam quam optime callet.

Vindobona. V. Id. Jun. Imperator Wutgenauium baronem, ſummum

mum vigiliarum praefectum, a commiſſionibus primariis eſſe iuſſit in munitionibus locorum, quae per omnes Auſtriae terras haereditarias proſtant. Nudius tertius iterato Roma aduolauit curſor, per quem auxilia aduerſus Hiſpanos pontifex ſolicitat, ſed irrito conatu, rebus ita conſtitutis, vt neque Gallorum rex precibus huiusmodi adſurgere velit, binis itaque horis praeterlapſis, curſor, vnde venerat, abiit. Juſta Eugenio Sabaudiae duci opinione tardius ſoluentur, multum quia temporis requirit monumentum funebre, in quo magnifico admodum ſtruendo nullis parcitur ſumptibus. Soror ipſius germana & haeres ex aſſe his diebus ex Italia aduentans hoſpitium ſumſit in aedibus, quas piae memoriae frater inhabitauit. Fama percrebuit, Liriam, aut, quo hodie venit nomine, Bercouicenſem ducem proxime adfuturum, qui regis Hiſpaniae in aula noſtra legationem adminiſtret.

Lipſia. XI. Kalend. Jul. Luget Hamburgum, luget orbis eruditus obitum viri poſt cineres celeberrimi Johannis Alberti Fabricii, cuius de manibus optime meriti mereri optime ſtudent tanti viri merito admiratores; in his D. Laemmermannus Noribergae, Oederus, Onolsbacenſis gymnaſii rector, famam defuncti ſequentibus cecinere epigrammatibus:

I.

Johannes Albertus Fabricius.

per anagramma:

Non faba res, rebus vici latis.

* * * * * *

Solus eram Muſis viuax ego Bibliotheca
Ac quoque ne moriar, tot mea ſcripta iubent.
Non faba res haec eſt: Nam *rebus* ſingula *vici*
Latis, & famam fataque coelicola.

II.

Vno in *Fabricio* plus centum Bibliothecae
Viuo vixerunt, nec moriente cadent.
Namque hoc *Fabricius*, dum vixit, praeſtitit vnus,
Nulla vt nunc poſſit Bibliotheca mori.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, Idibus Jun. de Tabulariis vrbis Romae, diſputarunt M. JOHANNES GODOFREDVS RICHTER & CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHMIDT, Serueſta - Anhalt. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 5.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVI. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Gibraltaria. VI. Id. Maj. Fortuna volubilis errat, adeo inconſtans regia in domo vicinae Barbariae, vt quem ciues breui ante regem ſalutarunt, mox exulem videant, cuius experiuntur fortunam, qui aulam frequentant. Hinc Perezius, Marochanus maris praefectus ſummus, qui ab eo tempore, quo Muleius Aly regios tenuit faſces, aſylum ſibi elegerat vrbem noſtram, ea relicta profectus eſt in patriam aulamque Muleii Abdallahi, quem cognouit aduerſus regni aemulum Muleium Aly ſtetiſſe conciliato ſibi Aethiopum & reliquo exercitu, quo inſtructus ad iter vnius diei a Mequineſia caſtra poſuit, cuius aduentu perculſus ille fuga ſibi conſuluit, ſi vera ſunt, quae vulgo narrantur.

Neapoli. IV. Kalend. Jun. Ex mandato Caroli principis collapſum vetuſtate portum Brunduſienſes gaudent reſtitutum iri donatumque immunitate, vt omnibus nationibus liberrimus in eum pateat ingreſſus. Acquauiua & Belluga purpurati ab ordine equeſtri ſalutati ſalutando hunc tempus impendunt in praeſenti, quorum hic in coenobio Franciſci Paulani, ille in patruelis ſui Conuerſani comitis aedibus hoſpitium ſumſerunt, atque prioris, cum legatus audiat regis Hiſpaniae, fores excubiis militaribus munire conſultum viſum fuit. Quotidie plures Hiſpani, regni huius ciues, Roma ad nos veniunt, principibus vero Sorae, Piombinae & Santobuenae remanendi poteſtas data eſt. Dicitur a Carolo principe electus publicarum rerum ſecretarius Montalegrius marchio, qui legationem aulae noſtrae Vindobonae adminiſtret. Roma nudius tertius venit curſor retulitque pontificis conſenſu firmatum reſponſum ad conditiones de concordia reſtituenda propoſitas, protinusque curſor in Hiſpaniam abiit, vt regium pariter conſenſum ſolicitet.

Roma. IV. Non. Jun. Hiſpani tribus trans Tiberim nuper ſeditionis auctoribus id oneris imponere laborant, vt iter faciant Neapolim & ſupplices, adiuuante Acquauiua purpurato, veniam delicti a Carolo Hiſpaniarum duce petant, Porcia purpurato, moleſtum hoc iter publici commodi cauſa quam maxime ſuadente, ſed ſurdis narratur fabula, nec in aprico poſitum eſt reuera primipilos fuiſſe, qui, antequam Roma abiret, apud Acquauiuam deprecandi munus ſuſceperant. Vauvillius, Hiſpanorum dux ſummus, quem ſuo in agri Albanenſis praedio eques Georgianus in conuiuium lautiſſime inſtructum adhibuit, vbi cognouerat binos populi Velitrenſis coryphaeos confugiſſe Campomortum, miſit eo manum militum, qui eos comprehenderent. Miſſi milites, famulum publicum ciuium ſuorum proditorem Caraffonum elegerant viae ducem, quem grauiſſimis minis truculentae necis, ſi, quos perſequerentur, conſequendi facultas non detur, eo perduxerunt, vt fraudem moliretur ſequentem: Vbi ventum erat ferme ad locum, quo tendebant, callidus viae dux, ſuae ſuorumque ciuium vitae conſeruandae cupidus ſuaſit militibus ſtruendas inſidias, in quas illos intra horae dimidium induceret. Quibus ille promiſſis diſcesſit quaeſitum captiuitatis candidatos, quos de periculo fecit certiores & vna cum ipſis perſecutorum oculis ſe ſubduxit, qui alterum tantum temporis determinati ſpe vana deluſi protraxerunt. Quae res duci Hiſpanorum cachinnum iocumque potius quam ſtomachnm mouit, ſuis adſcribenti facinus, qui ſeueritatem credulitate admodum praepoſtera ratione temperauerint.

Liburno, Kalendis Jun. Montemarius, dux Hiſpanorum ſupremus, vrbem noſtram ingreſſus poſt breuem diſcesſit moram ad Piſanos, a quibus ad nos venerat, cuius ad exemplum, belli duces eiusdem nationis conduxere ædes in agro paſſim vicino, vt voluptatibus indulgeant. Praeſens in vrbe reſiduis copiis nulla dedit mandata, vt naues conſcendant, qui hoſpites quo magis egere aeris eo minus accepti incolis eſſe incipiunt. Nec eorum adpropinquare dixeris diſceſſum, cum denuo Aulae, Lauenzae, Pontremolio atque Montelongo muniendis manum admouerint. Vnica Hiſpanorum nauis egredietur actuaria, Genuae quae excipiet adportabitque Doriam ducem, qui Neapolim iter proſequetur. Nouisſimae Corſica ex inſula litterae noui regis nec diſciplinam probant militarem, nec in regni adminiſtratione prudentiam, attamen teſtantur teneri ab ipſo cum duodecim millibus in obſidione Baſtiam, quae carnis aliarumque rerum defectu laborare coeperit, non deſperante vrbis praefecto, qui deditionem vt faceret admonitus quatuor tormentorum bellicorum fragore reſpondit. Mari adhuc patere acceſſum vel ex eo coniicere licet, quod Genuenſes cum ſtipendiis militaribus onuſtam eo nauem miſerint.

E fini-

E finibus Longobardiae, pridie Id. Jun. Summus exercitus caeſariani dux, Kheuenhüllerus comes, Placentia ſe contulit ad Fanum S. Donini deliberatum cum Wachtendonckio barone & Lobkowitzio principe de ſparſis leuioris diſcordiae ſeminibus, quo factum eſt, vt Noallius, Galliae regni mareſchallus, rem aulae ſuae nuntiauerit, nullaeque ab eo tempore Gallorum copiae iter proſecutae ſint. Cum a III. Id. Jun. reditus publici incipiant colligi in aerarium vſumque imperatoris, conuenit, omnium ex opinione, inter paciſcentes aulas Vindobonenſem & Verſalienſem, vt XII. Kalend. Jul. Mediolanenſis prouincia, omni liberata milite peregrino, ſoli rurſus Auſtriae pareat. Galli, deſtructis, quibus Guardiſtallum cinxerant, munitionibus, V. Kal. Jun. diſceſſerunt, diſcedentibus poſtero ſtatim die centeni de caeſarianorum legione Rhetica & altero poſt die dimidiata peditum legio ſucceſſerunt oppidoque praeſidio eſſe coeperunt. IX. Kalend. Jun. dux Mutinenſis metropolim ſuam, magno ſtipatus virorum equeſtrium numero, adplaudente populo, excusſis tormentis & aere Campano impulſo, ingreſſus eſt. Praeterlapſo dignitatis, quam legatus Venetorum in aula regis magnae Britanniae Imbertus tenuit, triennio, Jacobus Buſinellus ſucceſſor ipſi datus iter eo aggreſſus eſt. Qua maiori flagrant ira in pontificem Hiſpani horumque ad exemplum dux Carolus, qui ſolemni tympanorum cum ſtrepitu populo Neapolitano ſignificauit, oratori pontificis, cuius aedes occludendas curauit, nihil amplius iurisdictionis ſupereſſe; eo mitiorem ſequitur ſententiam aula Romana, datis ad loca, in quibus Hiſpani degunt, mandatis, caueant ſibi a fouendis iuuandisque Hiſpanorum e caſtris profugis, quos potius ipſis tradendos habeant.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Jun. Res Genuenſium Corſica in inſula deſperatae habentur nouusque male animatorum dux abſolutum exercet dominium non ſine crudelitate in eos, quos in fide manentes reipublicae ſibi non fauere obſeruat. Nec diſcordiarum eſt finis pontificem inter & Hiſpanos aulamque Neapolitanam, quare Noallius regni Galliae mareſchallus, dicitur in mandatis habere, vt, accreſcente periculo Romam concedat atque in componendo hoc diſſidio, ne in commune incendium flamma erumpat, omnem operam & induſtriam adhibeat. Turbis his durantibus Carolum principem nihilominus cogitare de Corſino duce, pontificis ex fratre nepote, Siculis dando prorege, multis mouet admirationem, nullam aliis, qui illatam Hiſpanis vim & iniuriam non pontifici tribuendam cenſent, ſed factioni Romae hodie florenti, quae aegre tulit, quod ille in praeiudicium tertii aulae Hiſpanicae & Neapolitanae plus aequo benignum ſe exhibuerit. Rediit ſuo ex itinere ſeptentrionali ſocer regis noſtri, cui, ſimulata venatione, obviam factus in ſaltu Senliano dux Borboniae, feſſum via ad recreandas vires

res

res inuitauit villam ſuam in Chantillianam, verum humaniſſimis ille hoſpitium deprecatus verbis fore promiſit, vt proxime tam propenſi in ſe animi hoſpitem eodem in loco inuiſat. Prima omnium vice regem reginamque diſſimulata ſalutauit perſona, ſed VII. Id. Jun. multis ſolemnibus, eumque poſtero die Meudonenſi in arce rex reſalutandum duxit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Commune ſtudium in remouendis, quae pacem morantur, obſtaculis & imperatore & rege noſtro ponentibus, non dubium eſt, quin illa breui publicanda veniat nobisque Lotharingia ſub initium proximi menſis tradatur, ad iter ſe iam accingentibus, qui in occupanda prouincia a commiſſionibus erunt. Academia Gallica IV. Non. Jun. ſocios ſibi elegit ephorum Delphini principis nec non Nivellum Chauſſaeum, qui editis aliquot comoediis nomen meruit ſubque finem currentis menſis locum occupabunt. Auſpicium vero cum moris ſit capere elogio anteceſſoris ſui defuncti, nemo non cupiditate flagrat percipiendi laudes, quibus poſterior extollere allaboraturus ſit Malletum, diuitiis ſuis, dum viueret, facientem quaeſtum autoremque & directorem decimarum, quo ſibi inuento omnium odium contraxerat. III. Non. Jun. Arteſiae delegati ordinum regis venerunt in conſpectum, adducente eos, qui a ceremoniis aulicis eſt, Dreuxio marchione, regique commendantibus Lotharingiae principe Carolo futuro olim prouinciae dictae praeſide & Angeruillerio, qui publicis in rebus a ſecretis eſt. V. Kalend. Jun. P. Barthelemus regi exhibuit continuationem ſtatus nouiſſimi Galliae, quae P. Simplicienum auctorem habet. Nudius tertius Fleurius purpuratus patrui ſui Fleurii marchionis benedictione ſacerdotali firmauit ſponſalia cum Auxia, quae ipſi cum dote centies mille redituum annuorum venit atque ex nobili Piccardorum genere originem trahit.

Haga Comitum. XVII. Kalend. Jul. Sueciae Daniaeque regum legati ſuis, quas cum ordinum foederati Belgii delegatis inſtituerunt, in conſultationibus vrgendam duxerunt quarti pacis Riſwicenſis articuli abrogationem in aula imperatoris, ad exemplum aliorum ſacri Romani imperii ordinum, ſed noſtra respublica bonis ſaltem officiis operam ſuam conferre decreuit. Irrito omnia conatu fieri hac in cauſa multis perſuaſum eſt, renuente in totum Fleurio purpurato, non vero Carolo imperatore auguſto, qui promisſorum memor, qui iuſtitiae pacisque etiam eccleſiaſticae amans ſtatutum cum animo ac deliberatum habere dicitur, repulſam dante Gallorum rege, ſua ex parte per imperium Romanum abrogare eam, quae non poteſt non ſudes eſſe in oculis Weſtphalicae pacis valorem defendentium, formulam, hancque ſuam ſententiam decretoriam exponere vtrique ſummo imperii iudicio adſcriptis, vt nullo amplius in caſu legem ſua auctoritate & imperii ordinum conſenſu annihilatam attendant, ſed more antiquo in controuerſiis eccleſiaſticis ius dicant.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVI.
A. P. C. N.

PARTIC. II.
cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. III. Id. Jun. Vt gladius Pauli plus ſoepe valet quam clauis Petri; ita vno curia ſuprema ſuccidit ictu omnem nervum probandi, omne argumentorum pondus, iudex optimus controuerſiae theologicae, quam archiepiſcopo vrbis noſtrae mouerat auctor incertus inuectiua epiſtola in nouum breviarium Pariſienſe, quam VI. Id. Jun. igni dandam publice pronuntiauit curauitque, vt ſententia protinus effectui daretur. Interim nullae non vrbis noſtrae dioeceſes, binas ſi excipias Sulpitianam & Nicolaitanam, ſine vlla difficultate, ſine limitatione ad mandatum archiepiſcopi breuiarium hoc agnouerunt, agnitumque adprobarunt. VII. Id. Jun. Neocomenſis princeps, Luxemburgii mareſchalli defuncti ſoror germana, anno aetatis ſeptuageſimo nono diem obiit ſupremum ſuoque in teſtamento haeredem ex aſſe dixit nepotem ſuum Cheureuſium ducem, & vltimae voluntatis ſuae executorem fratrem germanum Montmorencium mareſchallum conſtituit. Dicto Chevrenſi duci Belislius comes, quam tenuit, dignitatem ſummi equitum deſultoriorum praefecti trecentorum aeris noſtri millium pretio, rege indulgente, vendidit. Aula noſtra, veſtes ad luctum Cenomanenſis * ducis ex obitu compoſitas VII. Id. Jun. quas depoſuerat, poſtero ſtatim die ob Carolum Luſitanorum principem praematura morte extinctum reſumſit.

* *Maine.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Litterae ex Italia ipſis Kalendis & IV. Non. Jun. ad nos datae docent, in eo eſſe copias noſtras, vt iter cis Alpes patriosque ad lares facere inſtituant & quidem omnes, niſi turbae Romanae aut aliae cauſae ſonticae quibusdam legionibus ad tempus remanendi neceſſitatem imponant. Pedemontani loca,

qui-

quibus praeſidio ſunt munita in terris Mediolanenſibus tradent noſtratibus, quia caeſariani ea ab illis acceptare nolunt. Tradent vero terminis caeſarianam inter & Sardiniae regis ditionem conſtitutis, vel ſolis adhuc moram iniicientibus, quo minus euacuatio euenerit, verum vix ac ne vix quidem intra definitum a paciſcentibus ſex hebdomadum ſpatium, cum difficultates non paucae ſuperſint. Exodus Hiſpanorum ex Hetruria de die in diem differtur, dilationis autem cauſam diſcordias cum ſede Romana alii, alii minus cognitam allegant, qua moti cunctando rem ſuam reſtitui poſſe putant. Inciderunt in manus nonnullorum conditiones, quibus Hiſpani cum pontifice Romano inire pacem & concordiam geſtiunt, ſed inſulſae tantumque non ridiculae, vt fidem non mereantur, illorum natae e cerebro, qui ſuperbiam nationis offenſae cum clementia ſedis Romanae permiſcent filioque catholico in patrem imperium tribuunt. Genuenſes in eo ſunt toti, vt arma neruumque gerendarum rerum pecuniam numeratam in Corſicam mittant inſulam, inſuper et conducere eos velle opinio ad nos venit binas legiones Helueticas, quas rex Sardiniae dimittendas ſtatuit.

Londino. XVII. Kalend. Jul. In conſilio ſanctiori VI. Id. Jun. conuocato, praelectae ſunt publice litterae, quibus per abſentiam regis mariti adminiſtratio regni reginae traditur, quo facto ipſa praeſens concluſa quaedam ſubſcribendo firmauit, ſingulisque numero ſeptem & triginta conſiliariis intimis manum oſculandam praebuit. Eodem die Carolus Wagerus atque Delawarius equites Heluoetsluyſio Greenwicum redierunt, quo diſcedentem in Germaniam regem comitati fuerant. Poſtero die regina cum Cumbriae duce & quatuor principibus ſequioris ſexus Kewiana ex arce Kenſingtoniam conceſſit, vbi ad reditum regis mariti commorabitur. Luce heſterna Kinskius comes, imperatoris legatus, Harwicum conceſſit conſcenſaque naue ad Belgas & inde Vindobonam proficiſcetur, pariterque Lutetiam Pariſiorum Chavignius, regis Galliae legatus abiit. Tetrarchiae ſiue praefecturae Jamaici, Barbadoſiae, Eboraci noui * & Carolinae auſtralis ante reditum regis eas ambientibus non conferentur. Montiii comitis, Hiſpanorum legati, vxor, difficili quae laborauit morbo, melius ſe habere coepit. Sacrorum in ſacello regis Sardiniae legati turbatores, quorum nuper facta eſt mentio, ſceleris VIII. Kalend. Jun. perpetrati fundamenta iecerant ebrietate, quam per totam noctem pocula hauriendo ſibi contraxerant. Negari non poteſt; lurcones hos, ſacellum vbi ingreſſi fuerant, bouino clamore in omnes religiones eructaſſe blaſphemias, ſed fama, quae omnia in maius extollit, non reſpondet veritati, quod militem Helueticae nationis, quo corporis ſui cuſtode vtitur legatus, vel ipſum ſacer-

cer-

cerdotem ſacra adminiſtrantem vulneribus adfecerint, manuque ſaltem ſemel pectus percuſſum fuit famuli, qui militi Heluetico a latere erat & pecora campi eiicere loco ſacro tentauerat. Omnes in vniuerſum potius legato miniſtrantes hoſpitum ingratorum manibus protinus extorſerunt baculos eosque nec immerito male tractarunt. Nemo negabit praeſentiſſimo eos expoſitos fuiſſe vitae periculo, ſi ad altare acceſſiſſent, vel facinus auſi forent die feſto, quo plerumque mille & ducenti imo quingenti ad ſacra confluunt.

* *Neu-Yorck.*

Lipſia. III. Kalend. Jul. Omnium in ore cum hodie ſit Theodorus Neuhofenius baro teneatque omnes exſpectatio cognoſcendi, quem exitum habitura praeſens ſit ſcena, in quam regio, ſi non habitu, certe titulo ornatus prodiit, nemo mirabitur vitam eius anteactam noſſe cupidos vel errorem perſonae commiſiſſe vel incerta pro certis venditaſſe, vt operae pretium ſit fata eius prima antequam vltima ſiue laeta ſiue triſtia fuerint deſcribere iisque circumſtantiis, quae probabiliores hactenus relatis videntur. Theodorus hic non Weſtphalus ſed Weſtphalico apud Gallos ſanguine natus patrem habuit e Marchiae comitatu Weſtphalico oriundum, qui ciuis Viſetani ad alterum a Traiecto ad Moſam* lapidem in tractu Leodienſi,** filiam ducendo in matrimonium gentem ſuam & ordinem Weſtphaliae equeſtrem adeo offenderat, vt fortunam exul ſpontaneus in Gallia experiri mallet, quam ſuis contemptui eſſe, nec eam plane habuit aduerſam, caſtello enim praefuit, quod munitionibus Metenſium adnumeratur. Duorum ille pater fuit liberorum, Theodori huius, noui nouo exemplo regis hodie Curſorum filiaeque quae Treuoltiano comiti nupſit. Matrem noſtri & Neuhofenii ſenioris vxorem qui adamauit Mortagnius comes, equeſtres inter viros aulae Aurelianі principis viduae inſignis, liberorum ſuſcepit curam huncque Theodorum in numerum legit epheborum nobilium dictae principis, quibuscum in bonis artibus & exercitiis equeſtribus haud ſpernendos fecit progreſſus. Horum ordinem vbi reliquerat, Birckenfeldius princeps eum locum tenentis dignitate ornatum voluit in legione Alſatica, quae tum temporis Argentorato praeſidio erat, quam reſpuit ille, praeuidens, quam Lutetiae Pariſiorum habebat, converſandi occaſionem in Alſatia ſibi non fore, tribunus factus eſt legionis equeſtris, quem ille honorem Courcilloni marchioni debuit, cum quo familiariter vixit tandem vero gratiae iacturam fecit. Sibi itaque relictus ludoque nimium deditus contraxit aes alienum, cumque ſoluendo non eſſet, Gallia relicta ad Goerzium baronem, noſtra aetate famoſum ſe contulit, qui eius conſiliis paſſim in aulis praeſertim Hiſpanica clam vſus fuit. Mantuae Carpetanorum noſter erat, cum nuntium acciperet de Goerzio Holmiae capite plexo, neſcius itaque quo ſe verteret, venit in amicitiam Alberoni purpu-

purpurati eo tempore prae coeteris in aula florentis, qui tribunum eum dixit cum annuo ſtipendio ſexcentorum aureorum Hiſpanici valoris *** tantique eum fecit, vt aditum illius petentes hoc interprete vterentur, eo faciliorem ſe praebente, quo plus pecuniae acciperet, breui tempore locuples factus, vt aere alieno oppreſſus qui Lutetia Pariſiorum profugerat, decem vel duodecim aureorum millia corraderet. Enim vero fortuna ſecunda vti neſcius elatum ſe geſſit, ſuperbiae nunquam non deditus, quo factum eſt, vt Alberono reginae gratia excidente, omnium ipſe pariter in odio eſſet, qui ſibi non amicis vixerat. Rebus ita deſperatis, ſtatutum cum animo ac deliberatum habebat regno exire Hiſpaniae, ſed ſuaſit ei Ripperda, priuatus adhuc qui Mantuae Carpetanorum viuebat, matrimonium cum virgine, quae a cubiculo erat reginae & gratia apud hanc quam maxime valebat, cognatione coniuncta cum Ormondo duce Anglo, qui patria exul aulam Hiſpanicam frequentabat. Placuit conſilium Neuhofenio, mox iterum diſplicuit, vxorem nactus cum eſſet moroſam valde, minus gratam & acceptam & virtutum ferme omnium expertem, quare de diuortio faciendo cogitabat, nec fronte capillatam occaſionem e manibus dimiſit. Accidit aliquando, vt coniux cum aula abiret Scoriacum, illius itaque res pretioſas, quas potuit, collegit & Carthaginem profugus conſcendit nauem, qua in Galliam rediit. Lutetiam Pariſiorum vbi peruenit, nouum nequitiae theatrum ipſi patuit, commercium nempe litterarum, quibus Miſſiſippenſi ſocietati creditam cauere **** vel potius corradere moris erat pecuniam. Lawio auctori huius commercii cognitus, qualis & quantus ad fraudes vir eſſet, eo adiuuante, cum creditoribus tranſigebat, nouisque his artibus diuitias valde multas collegit, quibus adfluens vix locum ſibi eſſe credebat cultum externum ſatis mutandi praeque coeteris mercaturae huius nefandae ſociis pompam adfectauit, qua collapſa, fortuna ſe in altum videbat elatum, vt lapſu grauiore rueret. Ad incitas rurſus redactum alebat ſoror, quae Trevoltiano comiti nupſerat, & quidem ſumptibus Marchii comitis, qui in aula regis Sueciae legatus vixerat, qui riualem, vt putabat, nec fruſtra ex multorum opinione, remouere ſtudens inſtigabat creditores, vt ſignatam regis irati epiſtolam ſibi compararent, qua debitorem ad carcerem protraherent. Callidus ille concluſum ſummi quidem ſenatus in manu habebat, ſed dictae regis litterae illud infringebant, vt vel nomina expedire vel ſolum vertere cogeretur. Prius cum non poſſet, elegit poſterius Galliaque relicta traiecit in Angliam, vbi fortuna varia, varia fraude pariter innotuit. Delatus inde in Belgium demulcere nouit Amſtelodami mercatores ditiſſimos & inprimis recutitos Luſitanos, quibus impoſuit mutuoque accepta pecuniae ſumma haud mediocri orientales petiit regiones, inque his per aliquot annos hoſpes, ne otio torpeſceret ad fraudes natus, tandem Corſica in inſula rurſus in ſcenam prodiit.

* *Maſtricht.* ** *Lüttich.* *** *Piſtolen.* **** *Actien.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVII. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli, *Nonis Jun.* Obſequium parit amicos, ciuibus gratiam apud principem, peperitque inſignem Colonnae duci, qui, durantibus turbis cum ſede Romana, numerum auocatorum auxit noſtramque vrbem IV. Kal. Jun. intrauit. Obuium habuit Matalonae ducis carpentum, cuius etiam in aedibus ſumſit hoſpitium ſeque ſine mora contulit in aulam, quem Carolus princeps Hiſpaniarum a S. Eſteuano comite adductum magna cum beneuolentiae ſignificatione excepit, manum ipſi oſculandam praebuit, dignumque pronuntiauit, qui, quibus ornatus eſt regni honoribus publicis, conſtans perfruatur. Viginti aureorum millia Carolus dux deſtinauit augendis optime meritorum ſalariis non ſuo ex aerario ſed ex ſalariis caſtelli cuiuscunque praefectorum imminutis, ſolo excepto caſtelli noui praefecto Montemario duce, cui idem quod ante redit & inſuper ſexies mille aureorum ſtipendio quotannis ex eiusdem caſtelli reditibus donatus fuit. Eorum in numero qui altiorem dignitatis adſcenderunt, praecipui ſunt Caſtropignanus princeps creatus ſummus in Sicilia dux exercitus arcisque Meſſanenſis praefectus; ſummi caſtrorum praefecti dignitatem obtinuit Nicolus Sanderus, qui Capuae praeeſt, cuius fratrum in Hiſpania degentium alter Caietanus, alter Hetruriae locorum maritimorum & Drepanenſis praefectus conſtitutus eſt; Laurenzanus dux in dignitate praetoris prouincialis Biſignano S. Seuerino nec non Andrea Caraffa dux in honore Seneſchalli regni Cariato Spinello duci ſucceſſerunt.

Roma. V. Id. Jun. Curſor ſuperioris hebdomadis feria vltima miſſus in Hiſpaniam cum ratione tollendi diſcordias mutuas rediit, nec ad hunc vsque diem certo conſtat, quid renuntiauerit. Vindobona alius venit ad Harrachium comitem, imperatoris legatum, cum litteris ad Giudicium purpuratum & S. Crucis principem, qui conſilium egerunt trium-

triumuiri, eoque finito, eodem adhuc die dictus legatus conuenit in colloquium Corſinum purpuratum & pontificis in conſpectum venit. Quantum coniicere licet, actum fuit de gemino imperatoris poſtulato, vt ſibi detur poteſtas exigendi decimas a clero, bello cum Turcis imminente, vt & offerendi annuum, quod Neapolitanus rex debet, tributum pontifici pro conſervando iure ſuo, Hiſpanis ex Hetruria non diſcedentibus. Idem tradiderat Vindobonenſis curſor litteras S. Aignano duci, regis Galliae apud nos legato, qui illis perlectis cum Harrachio comite deliberationes inſtituit. Odeſchalchus purpuratus, cui ſenectus ipſa morbus eſt, deceſſit de dignitate archiepiſcopi Mediolanenſis, ſeruato ſibi quotannis quater mille imperialium ſtipendio, cui multorum ex opinione ſuccedet Stampa, ante vero illius obitum purpura non ornabitur.

Lutetia Pariſiorum. XVII. Kalend. Jul. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, fore, vt tertia exercitus noſtri turma, peditum octo & triginta & equitum duabus & viginti legionibus conſtans dimidiatis, in Longobardiae finibus remaneat. Cuius rei cauſam allegant alii, quod rex Sardiniae ex pacto vacuas facere vrbes Mediolanenſis prouinciae nolit; alii, quod Hiſpani ſua ex Hetruria diſceſſus mora conſilium altioris momenti ſubindicent; alii, quod nondum inter paciſcentes Vindobonae de cedenda Lotharingia conueniat; omnes vero in eo conſpirant, quod pax publicanda multis adhuc difficultatibus laboret. Nec vanam prorſus hanc eſſe ſuſpicionem, confirmat III. Id. Jun. Vindobona qui venit curſor, cuius poſt aduentum ſolito frequentiores numerantur in aula conuentus de his, vt aiunt, tollendis, ſed aliis placet nuntiatum fuiſſe, quod Turci, pace cum Perſis condita, Ruſſis bellum indixerint. Nouiſſimae Genuenſium litterae referunt, Theodorum male animatorum in Corſica inſula coryphaeum edictum publicaſſe geminum, quo ſui aduerſus reipublicae litteras defenſionem ſuſcipit, alterum, alterum aduerſus Riuarolam, qui Baſtiae praeeſt cauſamque tuetur Corſorum qui in fide manſerunt. Hunc amicus olim integerrimus, hodie princeps rebellium quidam, per litteras admonuiſſe traditur, ſibi vt conſulat Baſtia, quam primum commode fieri poſſit, diſcedendo, nec extrema experiendo periculum ſibi attrahat. Nouum diffidii ſemen ſpargitur aulam inter & curiam ſupremam, cuius tres praeſides & ſenatores ſeniores quatuor ad ſe accerſiuit rex, quos ipſe perque cancellarium hortatus eſt, caueant ſibi, ne in adminiſtranda ciuibus iuſtitia ſegniores ſe exhibeant regiamque prouocent iram negligendo cauſas, quas Parentus perorandas habeat. Hanc regis ſententiam, vndecim aduerſus decem praeualentibus ſuffragiis, ſua quidem ad acta retulerunt, verum cum clauſula, auctorem neglectae iuſtitiae fuiſſe Parentum,

quae non poteſt non regem offendere, forte & Parentem mouere, vt curia egrediatur.

Vindobonа. XII. Kalend. Jul. Recens ab imperatore conſtitutus arcis Mediolanenſis praefectus Viſcontius marchio vaſa colligit, eo vt proximis diebus iter aggrediatur. De praeſide totius prouinciae Mediolanenſis nouo nihil certi noſſe datur, quem alii futurum dicunt Arembergium ducem aut quemcunque ſummum caeſariani exercitus ducem, contendentibus aliis fore, vt dux Lotharingiae cum noua nupta ſedem Mediolanenſium in metropoli habeat. Fama fert, regi Galliarum Lotharingiam & Barenſem ducatum ita tradendum eſſe, vt, aeque ac caeſariani Hetruriam, milite ſuo eas muniat, ſaluo iure ducis Lotharingiae, qui adminiſtrationem prouinciae reditusque ad obitum vſque magni ducis Hetruriae retinebit. Hetruriae praeerit ſimul & Liburno Saxoniae dux Hildburghuſanus inſtructus decem millibus militum, quibus perpetuum in vniuerſa prouincia hoſpitium erit. Turci, quibus bellum gerendum eſt cum Perſis & Ruſſis metuendumque cum imperatore, Bydenam probe munitam Seruiae vrbem nouis cingunt munitionibus, millíumque ſex praeſidio ſecuram ab impetu reddere allaborant. Juſta his diebus ſoluimus defuncto nuper apud Luſitanos principi regio, cuius monumentum funebre hunc in modum exornatum fuit:

INSCRIPTIONES
CAROLO
Luſitaniae Infanti
Auctoritate publica conſignatae
Quum
Auguſta Domus Auſtriaca
Apud Eremitas Auguſtinianos
Honorificentisſimo exſequiarum munere fungeretur
Die Funeris XXII. Jun. 1736.

* * * * * *

Decius Magnus Auſonius:
Nihil ſanctius habet reuerentia ſuperſtitum, quam vt amiſſos venerabiliter recordetur.

INSCRIPTIO I.

D.
OP. MAX.
SAC.
DESIDERATISSIMO
PRINCIPI
CAROLO
SERENISS. AC. POTENTISS.
JOHANNIS. V.
PORTVGALLIAE. ET. ALGARBIORVM. REGIS
OPTIMO. COLENDISSIMOQ.
FILIO
IN. IPSO SPEI. FLORE
SVBLATO
RITV SOLENNI
JVSTA. PIETAS. AVGVSTA
PERSOLVIT.

INSCRIPTIO II.

AN. SALVTIS. CHRISTIAN MDCCXVI.
IN. MAIO. FLORVM. MENSE
DIE. FLORALIORVM. SECVNDO
PERINCLYTVS. ATQVE. FLORENTISSIMVS
LVSITANIAE. PRINCEPS
IVVENTVTIS

EX

EX
SERENISS. JOHANNE. V.
PORTVGALLENSIVM. R.
ET
MARIA. ANNA. AVSTRIACA
VT. AVITA. MAIESTATE. ITA
VIRTVTE. NOBILISSIMA
D. LEOP. M. FIL.
NATVS. QVANTVM. VOTIS. EX-
PETERE. LICET
PER. OMNEM. VITAM. PROMISIT
SED. MAGNA. FATORVM. INVIDIA
NIHIL. AMPLVM. NIHIL. AVGVSTVM
HVMANA. HABET. GLORIA
TAM. ANGVSTIS. LIMITIBVS
ARCTATA
SALVTARI. ADMONITIONE
MORTALIVM
QVÆ. SPECTATISSIME. FLORENT
CELERRIME. QVOQVE. MARCESCERE
HINC. ILLÆ. LACRVMÆ.

INSCRIPTIO III.

SIC. CRVDA. MORS. PVLCHER-
RIMIS. CONATIBVS.
INTERVENIT
DVM. REGNIS. OSTENDIT. ET
ERIPVIT
SPECIMEN. ANIMOSISSIMI. PRINCIPIS
IN
QVO. RENASCENTES. MAJORVM
VIRTVTES
AVCTVMQ. CONIVNCTARVM
PROPINQVITATE
GENTIVM
SPLENDOREM. MAGNIFICENTIAM
AMPLITVDINEM
ET. QVICQVID. IN. MATERNO
STEMMATE. DIVINVM
IN. CÆSARIANIS. REGIISQVE. TITVLIS
SANCTVM
IN. CORPORIS. ANIMIQ. DOTIBVS
FORTVNATVM. HABVIT
ANTE. DIEM. TERRIS. EREPTVM
OMNES. BONI. DOLENT.
BREVIS. MAGNORVM. ÆTAS.
BONI. MALIS. DIV.
BONIS. NVNQVAM. SATIS. VIVVNT
O. FALLACES. SPES!
SILEBAT. NVPER. MARS. INTER.
ARMA
NVNC. PACIS. FELICITATEM
TVRBANT
REGIA. HEROICAQVE. FVNERA
PARCITE. PARCITE. PARCAE.

INSCRIPTIO IV.

TE. VIATOR. HIC. DOCEAT. ROGVS
NEC. IMMORTALIA. AVORVM
NOMINA
NEC. DOMESTICA. HEROVM
EXEMPLA
NEC. INSIGNIA. BENEFICIORVM
MERITA
IRREVOCABILIBVS. OBSTARE. FATIS
QVO. MINVS. ACERBA. SORS. ILLA
QVAE. AEQVO. PEDE. PVLSAT
PAVPERVM. TABERNAS. REGVMQVE
TVRRES
ACCEPTVM. AVGVSTO. NEPOTEM
SERENISSIMAE. GENTI. DELICIAS
LVSITANIAE. DECVS. ET. PRAESI-
DIVM
PRAEPOSTERO. ORDINE. PRAERI-
PERET
HOC. ANNO. PACATO. MDCCXXXVI.
PRID. KAL. APR.
LVDIS. FLORALIBVS. IN. FVNEBRES
VERSIS
SI. VITA. MORTALIVM. IN. MEMORIA
VIVORVM
NON. ANNORVM. NVMERO. FINIRI
CERTVM. EST
EORVM. QVOS. DEVS. AMAT
VITAM
SED. PERPETVÆ. LVCIS. CLARITATE
ET. IMMARCESCIBILI. CORONA
QVÆ. REVELABITVR. IN. FVTVRO
CONSVMMARI
FATA. VIRTVTI. VITA.

Jo. Car. Nob. a Newenſtein.
S. R. I. Eq.
Caeſ. Aul. Poet. Laur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↃ IↃcc xxxvi.

Roma. V. Id. Jun. Veniat qui proderit hoſpes, nemo non optat, optat vero in contrarium, nunquam vtinam veniſſet, qui eo , vnde venerat, digreſſus triſtem ſui memoriam reliquit. Haec dum ſcribimus, nuntius aduolat, Velitram nudius tertius reliquiſſe Hiſpanos , ſecumque ſumſiſſe quindecim & Oſtiano ex oppido tres ciues, vt & arma, quibus incolas ſpoliauerant. Nimis prolixum foret delineare illorum crudelitatis, haud ſecus ac ſi in Barbaria fuiſſent, veſtigia, qui inter alia aedes deſtruxerunt ciuis, e quibus militem ſuae nationis aufugiſſe cognouerunt; qui donum gratuitum minus grati hoſpites ciuibus extorſerunt; qui ſumptus conuiuii ſplendidi & in eo diſpertiendorum donorum fecerunt ordini equeſtri; qui de tributo clericis forte & epiſcopo vrbis Barberino purpurato imponendo cogitarunt. Non ducebat eos iter Sonninum cupiditas tamen faciendi lucrum, eoque digresſi mille ſcutatos exigere non dubitarunt. Ciues Montis Rotundi tria ſcutatorum millia coacti fuerunt e collegio foeneratorio de Spiritu ſancto cui nomen eſt, mutuo accipere, vt eſſent ſoluendo viaticum expoſcentibus, quam & aliis in locis auri ſacram famem prodiderunt. Eneruatis hac ratione mirum in modum Oſtienſibus denuo ſuccurrit Giudicius purpuratus ducentosque ſcutatos indigentioribus diſtribuendos curauit.

Lutetia Pariſiorum. XIV. Kal. Jul. E Longobardiae finibus relatum accepimus, Noallium mareſchallum cum Kheuenhüllero comite, ſummo caeſariani exercitus duce, Oriano in oppido agitaſſe conſilia de tollendis difficultatibus, quibus euacuatio Cremonenſis Mediolanenſisque prouinciae laborat. Laborat illa exceptionibus, quas facit rex Sardiniae, qui terminos prius conſtituendos flagitat quam loca ſuo munita praeſidio impera-

pera-

peratori tradat, contenditque ditionis Tortonenſis eſſe Serrauallenſe caſtellum, quod conſequutus liberum ad Genuenſes aditum haberet. Interim confidunt plurimi fore, vt ante VI. Kalend. Jul. hoc & omne remoueatur dubium, quem diem paciſcentes Vindobonae conſtituerunt terminum, qno terrae caeſariano imperio ſubiectae milite peregrino careant neceſſe ſit. Sabulonettam * atque Bozzolum iam tenent caeſariani, Cremonae autem binae pedeſtres Pedemontanorum legiones dimidiatae & integra vna noſtrae nationis, Aluerniana nimirum, ſuperſunt. Liburnenſes Montemarium ducem Hiſpanum nunciant totum eſſe deditum deliciis ſibique indulgere Piſae inque aedibus, quas in agro vicino conduxit. Nondum Hiſpani ex Hetruria parant abitum, cumque Romanas potisſimum turbas allegauerint cauſam morae, tempus docebit veritatem argumenti, cognito, quod illae tantum non penitus ſopitae ſint, quae etiam opinio reſtitutae concordiae Roma ad nos venit.

* *Sabionetta.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Nouisſimae Corſorum epiſtolae falſum eſſe docent rumorem de fortuna Theodori & fide apud ſuos fluctuante, quem potius conſtantes reſtauratorem libertatis patriae exoſculantur, viribus alterius, quiscunque ille ſit, inſtructum, cum haud ita pridem numerata pecunia, rebus bellicis & milite nouo donatus fuerit idque in praeſenti agat, vt Baſtiam metropolim, quae vel ſola Genuenſium adhuc agnoſcit imperium, vi ſumma aggrediatur. Quorum edictum, ſi moenia dictae vrbis excipias, caret effectu, quo prohibent valorem monetae, quam Theodorus cudendam curauit auream aeque ac argenteam, exhibentem ipſius imaginem cum verbis: *Theodorus D. G. vnanimi conſenſu electus rex & princeps regni Corſici*; & in facie altera: *Prudentia & induſtria vincitur tyrannis.* Rumor quoque raucus factus eſt Lautrecum comitem abiturum eſſe Romam, arbitrum litis, quam aulae Romanae Hiſpani mouerunt, teſtantibus Cremonenſium litteris nouiſſimis, ita componendam, vt ſontes prae coeteris principesque ſeditionis poena adficiantur, non reluctante ipſo pontifice, cui ingratum fuit cum populo ſuo obſequium denegante paciſci. Marſanus comes, Ponſium ducem qui patrem agnoſcit, XVIII. Kalend. Jul. Soubiſiam virginem adſumſit in matrimonium, quod Rohanus purpuratus benedictione ſacerdotali confirmauit, vtpote qui ſponſam cognatione ſibi coniunctam habet.

Londino. XIII. Kal. Jul. Lumleius haeres factus eſt dignitatis Berckleii atque ſummi praefecti ſtabuli vicarium agere coepit. Qui Idibus Jun. Dubriſiano ſoluens de littore Caletum conceſſit, Chauignius, regis Galliae legatus, Lutetia Pariſiorum, poſt quatuor aut quinque hebdomades Hanoueram reuertetur. Legato cuidam in vrbe & aula noſtra degenti ſignificatum

ficatum fuiſſe traditur, ad tranquillitatem publicam conſeruandam quam maxime conſultum fore domicilium mutare, cum diebus Dominicis ferme ſingulis, ſacra dum fiunt, inprimis quae Miſſae vocantur, e populo duo, & quod excurrit, millia ad fores aedium confluant. Numerus quoque certus dicitur conſtituendus ſacerdotum Romanenſis eccleſiae ad legem in comitiis regnante Eliſabetha regina latam, quamque illa definit poenam effectui dandam fore animaduertendo in illos, qui numerum excedunt. Poſt ſolis heri occaſum Tattonus, ſummus dux militum legionisque pedeſtris, naturae ſoluit debitum, quem rei militaris peritiſſimum omnes lugent. Per menſem proxime elapſum ducentae, ſi vnicam detrahas, naues Tameſim fluvium ingreſſae ſunt.

Haga Comitum. VI. Kal. Jul. Legati Sueciae Daniaeque regum cum delegatis ordinum foederati Belgii ſemel iterumque inſtituerunt conſultationes de abrogando pacis Riſwicenſis articulo quarto, nulli quidem improbantes negotium hoc auctoritati commiſſum eſſe imperatoris, rati tamen non inconſultum fore ipſum adire regem Galliarum non difficilem futurum, precibus vt locum daret proteſtantium, aula Gallica aliis hodie, quam regnante Ludouico decimo quarto, ex principiis agente, ceſſante etiam cauſa, quae articulum pacis Riſwicenſis produxerit. Ad haec illi: Ordinibus reipublicae non placere medium, quo imperator facile offendi poſſet, qui potius precibus fatigandus ſit, vt abrogationem ipſe procuret, nec periculum in mora eſſe, cum transactionis Vindobonenſis finem quam longisſime abeſſe conſtet. Nec finis proſtat diſcordiarum reges inter Hiſpaniae & Luſitaniae, quorum ille ſe contentum fore arbitris pacis reſpondit, ſi hunc poeniteat facti idque iniuſtum profiteatur. Enim vero huius ad aures vbi peruenit conditio haec genium ſpirans nationis Hiſpanicae, ſubiratus mandata dedit, vt Luſitani in America vim vi repellere nulli intermittant. Suam quoque declarauit ſententiam rex magnae Britanniae de non reuocanda prius Olysſippone claſſe ſua, quam pax reſtituta fuerit, augenda potius numero nauium inſigni, ſi rex Hiſpaniarum in comparanda claſſe ſtudium omne induſtriamque ponat.

Scaphuſia. XII. Kal. Jul. Veneti, vt ex litteris illorum cognouimus, ſedulos ſe exhibent in bello parando, ſi hoc aduerſus Turcos ex foedere cum imperatore & Ruſsis ſuſcipiendum veniat. Terreſtes copias, ſub initium belli Italici auctas augere vlterius decreuerunt nauesque exornantur maiori ſolertia, maiori operariorum numero, quibus per binas horas quotidie ſolito longius manum operi admouere iniunctum eſt. Auguſtae Taurinorum de ſecundis nuptiis Sardiniae regis altum ſilentium eſt, quas ille tantum non penitus faſtidire praeſumitur De conſcribendis ille potius cogitat militibus in terris Mediolanenſibus, rem ve-

ro tormentariam deductam ex locis, quae imperatori nouo ex pacto debentur, reſtituit. Ordines prouinciarum Mutinenſium mutuo petent, vbicunque poterunt, octoginta imperialium millia, vt ſoluendo ſint Gallis, qui tributi reliquias flagitant. Vix fidem meretur coniectura nonnullorum, quod Geneuenſes implorarint ſtudium Tigurinorum & Bernenſium ita collocandum, vt pacis nouae in conditionibus ſuae vrbis & ſecuritatis fiat mentio. Ordinibus pagorum totius Heluetiae rex magnae Britanniae nuptias filii ſui principis Walliae per litteras expoſuit. Tugienſi * in pago nouum contentionis ſemen ſparſit ſecretarius Galliae regis legati diſtribuendo duodecies mille ſtipendia ea ratione, quam populus improbat.

* *Zug.*

Hanouera. IX. Kalend. Jul. Terras ſuas haereditarias ingreſſus rex magnae Britanniae, ſuam omnibus gratam praeſentiam, ſuam omnibus cognitam declarauit clementiam, datis ad ſenatum ſupremum mandatis, vt, in memoriam Walliae principis nuper feliciter contracti matrimonii, leuiori ex delicto, vel aere alieno contracto non admodum graui, in carceribus publicis qui deliteſcunt, libertate donentur, ſoluto, quod debent, ex pecuniae ſumma Londino transmiſſa, habita pauperum quoque ratione, quibus, quod reliquum erit, diſtribuendum imperauit. Delegati academiae Goettingenſis gratulatum ad regem acceſſerunt, quos in conſpectum eius Hattorffius baro venire fecit. Praeter hos ſalutarunt regem delegati Bremenſes vt & Hammerſteinius viduae principis Guelpherbytani ſenioris nomine, quos omnes magna cum beneuolentiae ſignificatione audiuit & in conuiuium aulae ab adminiſtris adhibendos iuſſit. Die heſterno, quo olim Georgius primus declaratus fuit rex magnae Britanniae, depoſitis ad luctum compoſitis veſtibus, aula omnis maxima in celebritate vixit. Hasbergius atque Schwanius, equeſtris ille, hic pedeſtris exercitus dux, acceſſerunt ad nos, eiusdemque dignitatis vir Lucius in exſpectatione eſt, quibus rex ſua aperiet animi ſenſa de modo, quo exercitus luſtrationem peragendam velit.

Vindobona. IX. Kalend. Jul. Paulo ante diſceſſum imperatoris ex arce Laxenburgica, dicitur vltima pacis negotio manus impoſita, regis Galliarum legato in conſilium vocato, potisſimum vero actum fuiſſe de modo, quo rex Hiſpaniarum ad pacis conditiones accedere & poſſit & velit, vt pacis ritu ſolemni publicandae terminus proxime videatur inſtare. Noſter in aula Turcica legatus Dalmannus, illius purpuratorum principi ob oculos poſuiſſe perhibetur, principem belli cum Rusſis cauſam eſſe, quod his denegata fuerit mentio in transactione cum Perſis, non ſine ſuſpicione, quod in Ruſſos arma velint conuertere, quam primum cum Kulichamo pax confecta fuerit, interim imperatorem omnem mouiſſe lapidem, vt ab obſidione Tanais Ruſſos auocaret, quam auguſta Ruſſorum his perſuaſionibus commota per multum temporis diſtulerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVIII. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIↃIↃCC XXXVI.

Neapoli, pridie Id. Jun. Gratum eſt quandoque exilium, idque ad nutum parati ſubeunt, quos ſpes melioris fortunae lautiorisque hoſpitii ſub ſpecie pietatis & obſequii prouocat. Huius generis hoſpites, trecenti nimirum ſacerdotes, Nonis Jun. Roma ſex nauibus aduentarunt, qui omnes volunt haberi natione Hiſpani, quorum regis ad mandatum ſedem mutarint. Enim vero, ex aulae noſtrae decreto, ipſis non datum fuit in continentem deſcendere, idque ne tentarent, excubiae paſſim ſunt poſitae, quibus etiam prohibentur cum incolis noſtrae ditionis colloqui, victum nauigiis aliquot ſupportantibus. Cauſa negati hoſpitii allegatur, quod in Cataloniam transportandi mittendique ſint in regionem, quam quisque patriam agnoſcit, nec forte errant qui aliam allegant eamque ſonticam, verendum eſſe, ne hac occaſione quotidie plures ex ditione pontificis accedant alumni frugesque praeſentibus deſtinatas conſumant in regno, quod clericorum numero quam maxime abundat. Carolus Hiſpaniarum princeps, quam Vaſtus Auola marchio tenuit, dignitatem Francauillae Imperiali duci contulit eumque a ſanctioribus cubiculi ſibi eſſe iuſſit. Nouum in aula publicatum eſt edictum, quo eius adminiſtri prohibentur vel vnicam per noctem abeſſe ex vrbe ſine data venia, quam ſua abſentia peperit legem aulicus primi ordinis, cuius his diebus opera deſiderabatur. VII. Id. Jun. Roma ad nos venit Sfortia Ceſarinus dux, quem Carolus princeps benigne excepit eique manum oſculandam praebuit, quo ille obſequii munere defunctus S. Stephani comitis coniugem purpuratosque Bellugam & Acquauiuam ſalutauit. Simonettus, pontificis orator, cuius aedes occluſae ſunt, ne amplius praeſertim nocturno tempore populo pateant confluenti, de reditu ad

nos

nos non cogitare videtur, miſſo de familia ſua, qui aes alienum, in quo eſt, omnibus exſoluat.

Roma XVI. Kalend. Jul. Velitrenſibus terrori fuit aduentus quadringentorum equitum Hiſpanorum, paulo poſt ſociorum diſceſſum; diſceſſerunt vero & illi paucis poſt diebus ſecumque ciues ſedecim ſumſerunt compedibus vinctos & arma quae a ciuibus collegerant. Monte rotundo qui abierunt hoſpites ingrati, binos pariter captiuos duxerunt ad fines vſque Neapolitanos, vbi eos Hiſpanico more durius tractarunt tandemque dimiſerunt. Trans Tiberim incolarum tres, ſeditioſi, vt habentur, auctores ſe ad iter accingunt Neapolim, quibus deprecandi onus impoſitum eſt & formula praeſcripta a Porcia purpurato, qua facinus commiſſum ſupplices agnoſcent, quo abſente collega Riuiera ipſos docebit, quales ſe gerere debeant. Populi, vt audiunt, Romani conſeruatores, eo qui perduci non potuerunt, vt deprecatum irent Neapolim, aulae Hiſpanicae adminiſtrum, forte Acquauiuam purpuratum, qui hunc in finem rediturus creditur, veniam delicti expetentes ſalutabunt. Multum remiſerunt a rigore Hiſpani, cognito quod aula noſtra auxilium imperatoris Galliaeque regis implorauerit. Harrachius comes pontifici quoque tradidit litteras, quibus imperator auxilium pollicetur ſuum aeque ac Galliarum regis, ſibique diſplicere ſcripſit, quod, de his quae gererentur, iuſto tardius certior factus fuerit. Currentis hebdomadis feria prima, prima iterum vice ſacra, quae Miſſae vocantur, in aede S. Jacobi nationis Hiſpanicae, celebrata fuere iterque Neapolim facientibus currus iterum ordinarius proſtat.

Liburno. XVII. Kalend. Jul. Barcinone, capiens Germanos captiuos, quae ſoluit nauis, noſtrum intrauit portum, vt & quaedam aliae, quibus, quid in Corſica inſula geratur, relatum accepimus. Male animati Nebbium Caputque Corſorum ſuam redigerunt in poteſtatem, quaeque in fide manſerunt loca aliquot maritima, variarum rerum laborant penuria, cincta continentem verſus ita, vt nihil ipſis ſuppetat praeterquam quod nauibus ſupportatur. Quaedam etiam referunt litterae, Corſos rebelles montem ad moenia Baſtiae, cui de Capucinis nomen eſt, occupaſſe cum iactura primipili, nec ſine clade ſuorum, ſed maiori adhuc Genuenſium, vt arctiori quae iam eſt in obſidione metropolis promiſſa circumſpiciat auxilia. Ex mandato Montemarii ducis, praefectus militiae Hiſpanicae traditus eſt cuſtodiae, qui pro Theodoro, nouo Corſorum rege, milites conſcripſit, inque nonnullos ille animaduertit, qui adparatum bellicum ei ſubminiſtrarunt. Argumentum quidam inde capiunt, vt prima fronte videtur, firmisſimum pro innocentia Hiſpanorum in turbis Corſorum, quod tamen valde infirmum iudicant alii merumque calliditatis opus.

Pla-

Placentia. XIII. Kalend. Jul. Khevenhüllerus comes, ſummus dux caeſariani exercitus, XVIII. Kal. Jul. ingreſſus vrbem noſtram, hoſpitium in aedibus Lobkowitzii principis ſumſit, die autem ſubſequenti vterque Guardiſtallum conceſſit. Luce heſterna colloquium habendum fuit ad vnum ab vrbe Placentina lapidem a dicto comite & Noallio, regni Galliae mareſchallo, de reditibus, vt aiunt, apud Mediolanenſes publicis, qui, ex pacto Vindobonenſi, imperatoris ab eo tempore debentur aerario. Superioribus diebus idem dux caeſarianorum Montium marchionem ablegauit Piſam, qui Montemarium ducem de educendis ex Hetruria Hiſpanis admoneret, idemque feciſſe Noallium mareſchallum multi adfirmant. Fama ex eo tempore percrebuit, apud Liburnenſes tredecim Hiſpanorum turmas ita paratas ſe exhibere, vt cum ducibus ſuis, nauibus conſcenſis Hiſpaniam petant ſpemque faciant fore, vt ſub finem huius menſis Hetruria milite Hiſpano careat, accedente & hoc, quod, imperatoris qui rebus praeerit, Saxoniae princeps Hildburghuſanus Vindobona apud Florentinos in exſpectatione ſit.

Mediolano. XII. Kal. Jul. Vrbis noſtrae & prouinciae vniuerſae delegati Laudem Pompeiam nouam * haud ita pridem abierunt conqueſtum de calamitate publica, quae exactionum ſolutionem fieri non poſſe doceat, quos omnis ſolatii expertes a ſe dimiſit Noallius mareſchallus hoc tamen de argumento curſorem in Galliam miſit. Pedemontani paulatim pergunt diſcedere, Dertonam iter proſequuturi, quam primum Galli Vercellenſes agros reliquerint. Conſtitutum perhibetur in finibus determinandis, vt ad vtramque Ticini ripam portio agrorum imperatori nobisque nauigatio fluuii illius libera prorſus relinquatur. Lente admodum procedunt ſuo in itinere Galli, niſi de maturando hoc aliter concluſum fuerit in conuentu, quem Buſolengiano in agro Kheuenhüllerus comes atque Noallius mareſchallus habendum decreuerunt.

* *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum X. Kalend. Jul. Litterae e Longobardia nouisſimae ante dies decem datae exponunt conſultationes, quas iterato inierunt Noallius mareſchallus atque Kheuenhüllerus comes, ſed ſine ſucceſſu, quod mireris inter duces ſummos, qui caſtris vtriusque partis pacem exoptantis praeſunt. Cuius rei praecipua tribuitur cauſa regi Sardiniae, qui Serrauallenſe caſtellum, pro tuendo ad Genuenſes libero tranſitu, flagitat Dertonenſisque agri portionem eſſe contendit. Imo quam plurimas ſupereſſe difficultates haud obſcure ſubindicat mora, quam Hiſpani in vacua reddenda Hetruria faciunt, ita vt ante Septembrem menſem haud publicandam fore pacem multi adfirment. Auget ſuſpicionem, quod nondum conueniat imperatorem inter Galliarumque regem de tradenda Lotharingia, inprimis ſi vera ſunt

quae

quae narrantur, veniſſe in deliberationem locorum in Flandria praecipuorum ducatusque Luxemburgici traditionem, ſi rex noſter de ſuo in Lotharingiam iure cedat. Tandem ab omnibus atque ſingulis parochiis etiam S. Sulpitii & Nicolaitana, quibus primo intuitu diſplicuit, adprobatum eſt nouum breuiarium Pariſienſe, quantumque potuerunt cauſam ſuam coram archiepiſcopo vrbis noſtrae perorarunt ſacerdotes ſocietatis Jeſu, de quibus ſuſpicio erat, quod tela ſubminiſtrarint aduerſariis, qui nouam hanc fidei normam acerbo ſtylo impugnare auſi fuerunt.

Vindobona. V. Kal. Jul. Legio equitum deſultoriorum, cui defunctus praefuit princeps Sabaudiae Eugenius, nulli tradenda dicitur, ſed imperatoris legio praetoria ſalutabitur, vt hac quoque ratione memoria tanti principis conſeruetur. Huius praefectos cuiuscunque ordinis ipſe denominabit imperator, ſique famae quid libet credere, etiam reliquarum legionum, vel creandos committet conſilio aulae bellico, more antiquo, qui per aliquod tempus in deſuetudinem abiit. Koenigseckio comiti, ſummo caſtrorum praefecto, conſiliique bellici praeſidi, vt fama fert, collegae dabuntur Harrachius, Walliſius, Hamiltonus & Philippus, ſummi militum duces, quorum duo poſteriores, quae per litteras imperatori exponenda erunt, ſua ſubſcriptione firmabunt. Koenigseckio comiti in dignitate ſummi aulae magiſtri Auerſpergius princeps & huic ſummi aulae praefecti in munere Schlickius comes ſuccedent. Noſtra in vrbe heri Alexander Leopoldus Caſtellius comes, ſummus vigiliarum caſtrenſium & Comorrenſis in Hungaria vrbis praefectus, annum aetatis agens quinquageſimum ſextum, vitam cum morte commutauit. Qui vero impeditus infirma valetudine in Luſitaniam legatus imperatoris proficiſci haud potuit, Martinitzius comes, Lutetia Pariſiorum, vbi eum vis morbi inuaſerat, in praedia, quae ipſi in Bohemia ſunt, conceſſit.

Lipſia. VI. Id. Jul. Chriſtianus princeps Saxoniae Weiſſenfelſenſis IV. Kalend. Jul. Sangerhuſano in oppido naturae debitum ſoluit. Lucem conſpexit VII. Kal. Mart. anni octogeſimi ſecundi, patre natus Johanne Adolpho duce Saxoniae Weiſſenfelſenſi, qui IX. Kalend. Jun. anni nonageſimi ſeptimi deceſſit, matre vero Johanna Magdalena, Friderici Wilhelmi ducis Saxoniae Altenburgenſis filia, quae XI. Kalend. Febr. anni octogeſimi ſexti viuere deſiit. Succeſſit noſter fratri ſuo Johanni Georgio anno huius ſeculi duodecimo, quo etiam, & quidem V. Id. Maj. in matrimonium adſumſit Louiſiam Chriſtinam, Chriſtophori Ludouici comitis Stollbergenſis filiam, quam Georgius tertius comes Mansfeldius viduam reliquerat. Fratris itaque, ſine prole qui diem obierat, ſucceſſor ſucceſſorem quoque prole deſtitutus fratrem Johannem Adolphum Saxoniae ducem Weiſſenfelſenſem, digniſſimum paternae dignitatis & virtutis haeredem, conſequetur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXVIII. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Baſtia, pridie Id. Jun. Immedicabile vulnus enſe reſecandum eſt, ne pars ſincera trahatur, nec monita quid valent rebus ita deſperatis, vt armis ad obſequium ciues reducendi veniant. Tantum itaque abeſt vt ſeuerisſimo reipublicae mandato aduerſus Corſos rebelles aliquid effectum ſit, vt potius ſubſignarint illud formula animi pertinacis indice: Viuat! Viuat Theodorus primus, rex Corſorum! Ipſe rem leuem iudicauit edictum & inter alia dixiſſe fertur: Hiſtrionem me iudicarunt Genuenſes & mimum, agedum, Baſtiae breui in ſcenam me prodeuntem cognoſcent. Sane maturato opus eſt celerique auxilio, ne vates vera ceciniſſe videatur. Nebbium male animati ſub ſuam redegerunt poteſtatem, incolis Patrimonii & Barbaggii ſpoliarunt armis, quibus eos praefectus vrbis noſtrae inſtruxerat, ſolisque Farinolenſibus licuit eſſe tam beatis, vt eadem nauibus impoſita ad Fanum S. Florentii remittendi occaſionem nacti fuerint commodam. Obſides Nebbienſium apud nos, vrbe ab hoſtibus capta, iuſſu praefecti noſtri, cuſtodiae ſunt traditi, vt & Barbaggienſium & Patrimonienſium praeter quinque alios & foeminam haud infimae conditionis, ſuſpenſo etiam de patibulo, quem in praelio vulneratum duximus captiuum, cuius ratio ſeueritatis minus cognita atque perſpecta eſt. Fanum S. Florentii ordinario ſaltem militum ciuiumque armatorum gaudet praeſidio, quique eo abierant naui Varenius tribunus ducesque cum copiis ad nos redierunt hisque conflictum nuperum expoſuerunt circumſtantiis: In eo cum eſſent occupati rebelles, vt adunatos inuicem ciues Patrimonii & Barbaggii aggrederentur, his quidem ſubſidio venerunt quadringenti ex oppido Florentino ducibus Franchio, Gragiano & Smittero, verum his in acie

non

non ſtantibus, illos quoque coegerunt arma abiicere, quo facto victores victorum diripuerunt bona, vt in fide manentibus terrorem iniicerent.

Ex eadem vrbe, eodem die. Non facile fore confidimus, vt male animati noſtram vi aggrediantur vrbem, miſera tamen ſumus conditione, deſtituti ligno & aqua, quae nobis farinae copiam ſuppetat, cum vice verſa in vicinis agris laetam hoſtes meſſem inſtituant & omne iumentum abegerint. Capti ab illis nauigii dominus fuga ſibi conſuluit atque ad nos redux narrauit, Theodorum, cuius aulae pompam valde exaggerat, ab omnibus metui ac diligi, ex quo tempore Lucionium, Genuenſibus fidum, ad ſupplicium traxit, nec egere ipſum aeris, cum decem conſcripſerit cohortes, quibus, quae debentur, ſtipendia iuſto tempore ſoluuntur. Duxerunt quidam calculum eumque ſexcenties mille francorum, quibus fruetur meſſem alienam faciens ſuam, eorum nempe, qui reipublicae in fide manſerunt, praeter exactiones, quibus eosdem onerat, ita vt ex gente Angeliorum binis quatuor millia & quidem ſingulis ſoluenda fuerint, idemque fatum reliquos maneat. Ab eo tempore, quo regios ſumſit honores, ſuae factionis viros ad altiorem dignitatis gradum euexit ſequentem in modum; Giafferius & Hiacynthus Paolus creati comites excellentiſſimi & generaliſſimi ſtylo curiae adpellantur, dictique ſunt Coſta comes ſigilli cuſtos & cancellarius ſummus; Caſſorius, comes & publicis in rebus a ſecretis; Auighius comes & dux exercitus totius; Fabianus comes, praeſidis vicarius & Balognae praefectus; Giabicomus comes & centurio corporis regii cuſtodum; Franciſcus Taglius comes & procurator ſummus; Johannes Jacobus Caſtagnetta comes & praeſes prouinciae Roſtinenſis; tandemque Xauierius Matra marchio Matrae & Aleriae, vt reliquos taceamus.

Lutetia Pariſiorum, VII. Kal. Jul. Laude Pompeia noua * XVII. Kal. ad nos datae referunt litterae repetita a Noallio mareſchallo cum Khevenhüllero comite, imperatore exercitus caeſariani, conſilia, quibus IV. Id. Jun. celebratis Cremonenſis praefectus, dux Pedemontanorum, interfuit. Actum in his potiſſimum fuit de Cremonenſi & vrbe & regione euacuanda deque aliis tollendis difficultatibus, quas rex Sardiniae mouet. Eadem renouanda proxime ab iisdem conſilia, ad ſoluenda quae reſtant dubia, vt definito tempore expediantur omnia concluſaque Vindobonae effectui dentur. Hiſpani, quibus bene eſt in Hetruria, commoda de ſede mutanda haud cogitant, verum ſopitis cum pontifice controuerſiis non dubium eſt, quin Montemarius dux cum copiis Hiſpaniam petiturus ſit ex regis mandato, quod ipſi traditum iam eſſe creditur. Genuenſium ex litteris co-

cognouimus, ſenatum ſilentio premere quae gerantur Corſica in inſula, tam certum vero quam quod certisſimum eſt, nouum inſulanorum regem Theodorum felici admodum gaudere rerum ſuarum ſucceſſu locaque praecipua, in his Baſtiam metropolim in arctisſima tenere obſidione. E Catalonia nauis nuperrime, nimirum VI. Id. Jun. adportavit ei denuo inſignem rei bellicae adparatum, quo benefactore, incertum eſt, quantum vero coniicere datur, ex oriente, Seueſtae enim Tiguliorum ** Capucinorum habitu incedens comprehenſus fuit Corſus miſſusque Genuam, qui libras numularias *** auri ſex & triginta ſecum habuit nec non triginta & plures epiſtolas tradendas Corſis, qui in numero ſeditioſorum ſunt. Nudius quartus laqueo poenas dedit nequitiae ſuae, qui ante aliquod tempus productis falſo nomine ſcriptis ſigilloque munitis litteris virginem ſenio grauem in collegium ſacrarum virginum detruſit, vt octoginta aeris noſtri millium haeres fieret. Nomen ipſi ex nobili genere nato fuit Bourgeſio Coulongio, ſuſpenſi ad pectus & a tergo adfixa in ſchedula legebantur verba: Falſarius autor epiſtolae, quas nullius fidei exarauit. Bini ſceleris ſocii exilio adfecti ſunt, quorum alter ſupplicium ſpectatum productus fuit.

* *Lodi.* ** *Seſtri di Lepante.*

*** *Marck.*

Londino. VI. Kalend. Jul. Morganius & Pickeringius, qui ſacra nuper turbarunt domeſtica Oſorii equitis, regis Sardiniae legati, ex huius relatione in aulam ſuam minus acerba, opinione mitiorem, nec quam legum rigor exigit, poenam ſibi pollicentur & libertate proxime donabuntur. Noua ex Anglia relatum accepimus, praeſidem prouinciae, nuntio accepto, Hiſpanos ſua qui littora tuentur, aliquot noſtrae nationis expugnaſſe naues, Darbium ablegaſſe iniuriae damnique vindicem, qui per horas aliquot cum vna nauium Hiſpanicarum conflixit, eamque victor ſecum abduxit. Antonius Azevedus, regis Luſitaniae legatus, vaſa colligit rediturus ad patrios lares, vt ex mandato regis ſui publicis in rebus a ſecretis ſit. Multo auri pondere onuſta nauis Jamaica ex inſula Spitheadenſem peruenit in portum ſuoque aduentu magnam mercatoribus laetitiam peperit. Pariter Cantii ad littora adpulit Balchinus praetor claſſiculae nauium ſeptem, quibus Olyſippone ſoluit. Senatus rerum maritimarum de inſigni apud Marochanos regiminis mutatione certior eſt factus, quod ſcilicet Muleius Abdallahus nefanda caede coniugis ſuae ſuorumque liberorum numero ſeptem, tantum ſibi apud omnes exercitus duces odium contraxerit, vt theſauro, quem corraſit, ſimul & regno tyrannum ſpoliarint, ne ſanguine ſuae gentis minus ſatiatus in ciues ſaeuire incipiat,

piat, multorumque ex coniectura deiectus olim throno Muleius Aly reuocabitur rexque ſalutabitur. Noui in Georgia Americana coloni iique centum & ſexaginta, e montanis Scotiae oriundi, ſedem ſibi elegerunt ad ripam fluminis Alatamahae vrbemque condere ad duodecimum a littore maris lapidem coeperunt, cui Darienae nomen erit, monitis omnibus poſthabitis fore, vt vicinos Hiſpanos hoſtes experiantur, Oglethorpius itaque viam ſternere parat, quae ex vrbe Sauannah eo ducat.

Petroburgo. XVIII. Kalend. Jul. Rediit ad nos heri Münnichii comitis ſummi noſtri exercitus ducis adiutor caſtrenſis primarius Fermerus laeto cum nuntio victoriae, quam pridie Kalend. Jun. noſtrates a Tartaris reportarunt perrupta munitionum ſerie, quae aditum peninſulae Crimenſium Tartarorum tuetur cinctaque eſt foſſa octo & quadraginta vlnas lata, ſeptem noſtro ex calculo milliaria in longitudinem extenſa & vlnas ſedecim profunda, cui flos militiae pedeſtris Turcorum praeſidio fuit. Exercitus Münnichianus conſtabat peditum octoginta, equitum quinque & quinquaginta legionibus dimidiatis Caſaccorumque & Calmuccorum triginta millibus. Qui ad pugnandum alacer exercitus tela hoſtium fortiter ſuſtinuit inque fugam tandem datorum caſtra expugnauit ipſumque tentorium Tartarorum principis, qui vix fuga ſibi conſuluit. Laeti victoria milites ſuburbana Perecopenſium loca non minori virtute inuaſerunt, diſſuadente licet ſummo duce Münnichio comite, ne forte in Tartarorum inciderent inſidias. Rebus ita ex voto fluentibus, exercitus noſter peninſulam ingreſſus eſt Crimenſem, dictaque munitionum ſerie occupata nullum a tergo hoſtem pertimeſcendum habet. Hoc itaque nuntio permota Ruſſorum auguſta & ſacris ſolemnibus Deo egit grates & tormentis excuſſis populum ad laetitiam publicam pronocauit. Praeterea III. Id. Jun. Laſcii comitis, caſtrorum ſummi praefecti, adiutor caſtrenſis Keyſerlingius ex caſtris prope Tanaim* aduentans enarrauit, quod modo dictus comes, ſtatim poſt aduentum pluribus vrbem cinxerit operibus, fruſtra eruptionem tentantibus oppidanis, quos feliciter repulit intra vrbis moenia. Caſtra noſtra omnibus rebus abundant ſolaque aqua minus ad ſanitatem conducit, opusque in foſſa obſidionali ducenda ſtreuue fit, obſeſſis noctu tormentis nos petere negligentibus, ab altera vero parte vrbem cum claſſe ſua Bredalius clauſit. Ingredientem caſtra in Laſcium comitem Tartari ſeptingenti ex improuiſo fecerunt impetum, quorum manibus aegre admodum eques euaſit, monumenta, quae ſecum habuit, diſſeminarunt, ſed ſine iactura, fugitiui enim hoſtis poſt abitum, eadem colligere datum fuit in integrum ita, vt ne vnica quidem plagula defecerit.

* *Azoff.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIX. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIↃIↃcc xxxvi.

Roma. IX. Kalend. Jul. Munerum animus optimus non grauitas, hanc enim fortuna, illum pietas parit atque commendat. Vita defunctus his diebus vinitor ante portam, vt vulgo audit, Piam, ſuo in teſtamento haeredem ex aſſe dixit imperatorem, cui reliquit vineam, aedes paruas, quatuor ſcutatos in numerata pecunia, tandemque agellum, qui ſeminis modium capit, cum omni, quae ipſi curta fuit, ſupellectili, cuius conſignationem haereditatis fieri curauit Harrachius comes legatus imperatoris, eamque Vindobonam transmiſit. Sub praeterlapſae hebdomadis finem Velitram ingreſſi ſunt, tribuno Gentili centum Corſi, qui praeſidio ſunt oppido, quod, Neapolim qui petiuere, Hiſpani vacuum fecerunt. Interim populus Velitrenſis conſpirat contra viros equeſtres, qua de cauſa ad ſenatum publicarum rerum inde qui venerat curſor, ſine mora cum nouis mandatis eo remiſſus fuit. Aerario publico, turbis, quas dederunt Hiſpani, quam maxime exhauſto, Corſinus purpuratus ſuos ſponte conceſſit reditus, qui ipſi ex praefecti ſignandis libellis debentur, non ſine ſpe fore, vt alii quoque egregium hoc liberalitatis & continentiae exemplum imitari ſtudeant. Qui per multum temporis in carcere latuit Prior monaſterii S. Gallae exul pontificis ditione carebit. Heri mane per vrbem noſtram curſor Neapolim ex Hiſpania aduolans conceſſit, traditis Sorae principi litteris, qui conſenſum aulae Hiſpanicae ex pacto concordiae reſtituendae attuliſſe perhibetur. Heri quoque colloquio gauiſus eſt pontificis Harrachius comes breuique poſt aulae adminiſtrorum, quibus ſignificauit, Germanos nullam amplius habere poteſtatem aliquid in ditione ſedis Romanae exigendi, ſumptusque quos fecerint vltra myriadem aerario pontificis reſtituendos fore.

Liburno.

Liburno. IX. Kalend. Jul. Hiſpani in relinquenda Hetruria lente admodum feſtinant, quorum octingenti conſcenderunt naues, vt ad legiones, in quibus militant, in Hiſpaniam traiiciantur, inque his duces aliquot, inprimis Vilermoſa comes, quem Montemarius dux generum agnoſcit. Piſani referunt ſuis in litteris, Montemarium ducem miſiſſe vnum ex ſuis adiutoribus caſtrenſibus Florentiam, curſorem Mantuam Carpetanorum & alios alio, quo vero cum nuntio, non liquet, plurimis tamen perſuaſum eſt fore, vt, vrgentibus quam maxime Germanis, diſceſſum Hiſpanorum res ea portendat. Terminum quoque diſceſſus Pedemontanorum adpropinquare ſibi pollicentur Mediolanenſes ex eo, quod Noallius mareſchallus, habito cum Petito, regis Sardiniae legato, colloquio, cum Kheuenhüllero comite Orienſi in oppido repetendas duxerit conſultationes. Non deſunt qui VIII. Id. Jul. Cremonenſem agrum in integrum Germanis traditures eſſe Gallos, adfirmant, nec temere & ſine omni fundamento, delectis iam & in itinere conſtitutis, qui in tradenda prouincia a commiſſionibus erunt.

Venetiis, pridie Kalend. Jul. Poſtremis praterlapſae hebdomadis diebus itinere terreſtri ad nos Conſtantinopoli datae docent litterae eaeque VIII. Kalend. Jun. exaratae, alto premi ſilentio, quos Tanai in vrbe obſidenda Ruſſi progreſſus fecerint. VII. Kalend. Jul. vexillum Turcicum ornatu piloſo caudam equinam referens exponendum publice fuit in ſignum belli cum Rusſis, contra quos aulae purpuratorum princeps exercitum proxime ducet. VII. Kalend. Jul. Johannes Mocenigus eques & procurator S. Marci annum aetatis agens ſeptuageſimum ſextum vitam cum morte commutauit, cuius obitus populo per triduum aere Campano aedis S. Marci impulſo ſignificatus fuit. Triduo poſt ſenatus dignitatem procuratoris morte vacuam Aloyſio Mocenigo contulit, qui in praeſenti legationem Romae adminiſtrat.

Lutetia Pariſiorum. III. Kal. Jul. In Italia repetitis Noallii mareſchalli atque Kheuenhülleri comitis intra breue tempus conſultationibus ſolutae perhibentur difficultates, de tributo, quod Mediolanenſibus reſtat pendendo deque Sarauallenſi caſtello, cui ex pacto, imperatori an regi Sardiniae debeatur, quod ille huic concedere non recuſat, ſi euictum dederit, arcem illam Dertonenſis agri portionem vnquam fuiſſe. E contrario diſceſſus Hiſpanorum ex Hetruria ad hunc vſque diem incertus manet ſibique nulla adhuc regis ſui mandata eſſe Montemarius dux, ſi dictis habenda eſt fides, conſtans adfirmat. E Prouincia narratur, Hiſpanos equites ſuo in itinere non contentos pabuli portione deſignata, depaſcendo in agris oppidi Lambeſſenſis ſegetem irritaſſe crabrones, armisque licet impares ruſticos, cum iactura ſuorum ſexaginta, Hiſpanos centum

centum & quinquaginta occidiſſe. Sennonum* archiepiſcopus in dignitate ſuperioris ſiue praefecti Nauarrenſis collegii, Fleurio purpurato, ſponte ſua cedenti, ſucceſſit.

* *Sens.*

Londino. III. Kalend. Jul. Gaſtaldus, res Genuenſium apud nos qui curat, ante regis in Germaniam iter per litteras petierat, vt Anglicae nationis naues nullum Corſicae inſulae petant portum, praeterquam Baſtienſem, Aiaccianum, Caluenſem Fanique S. Bonifacii, nec male animatis ad victum vel bellum neceſſarias res ſupportent. Publicauit itaque edictum regina, quo prohibentur Angli quibuscunque modis Corſos iuuare rebelles, poena adiecta, quibus adficiendi ſunt, qui foedus regis magnae Britanniae cum exteris principibus violare non erubeſcunt. Si calculus, quem duxerunt nonnulli, errore caret, Genuenſes in Corſos ad obſequium reducendos quos impenderunt, ſumptus aeris Sterlingici myriadem cum ſemiſſe excedunt. Omnes militum duces ſine mora ad ſuas vel intra vel extra regni terminos conſtitutas legiones abire tenentur.

Varſouia. VII. Kalend. Jul. Hodierno, qui auſpiciis comitiorum regni dicatus fuit, die, hora mane nona audita, ſenatores omnes, omnes aulae adminiſtri, ſummique omnes militiae duces tam Poloniae regni quam magni ducatus Lithuaniae, anteriori in conclaui arcis regiae confluxerunt. Hora audita decima, rex, praeeuntibus ſenatoribus & reliquis regni aulaeque proceribus & belli ducibus, in aedem ſe contulit S. Johannis, vbi praeuium inuenit pontificis oratorem, ſolitumque ad altare primarium occupauit locum, regina vero alium, ad quem per ſcalam adſcendit. Warmiae epiſcopus ſacra Miſſae, quae ſolemniori ſolent ritu fieri, adminiſtrauit regique primas regni codicem euangeliorum & ſanctas praebuit oſculandas reliquias. Quo facto, Swinarskius, canonicus Poſnanienſis, ſuo in ſermone ſacro ad Matth. IV, 23. 24. praeſentem delineauit reipublicae ſtatum, genuinum eumque amoenisſimum fructum factae expiationis & reſtitutae concordiae fraternae, facta inſuper mentione virtutum regis, cui quam optimum, quam longisſimum, quam fortunatisſimum adprecari imperium nullus omiſit. Sermone finito, hymnus decantabatur qui incipit: Veni Creator Spiritus, regemque in conclaue ſenatorium cuiuscunque ordinis viri comitabantur, & ſolium vbi rex, ſuaque loca ſenatores regni, aulae adminiſtri & militum duces ſummi occupauerant, viri equeſtres petebant conclaue, in quo delegati prouinciales ſuos ſolent conuentus agere. Vbi breuem poſt moram, regi regioque ſenatui a referendis libellis ſupplicibus, Poninskius, mareſchallus electionis regiae regiaeque ſecuritatis cauſa initae confoederationis, auſpicium fecit conſultationum, & dolorem teſtando ex comitiis poſtremis minus feliciter peractis, & vatici-

tici-

ticinando, praeſentia fore longe feliciora. Quibus praemiſſis, ex conſtitutione, quae, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo condita, primo ſtatim comitiorum die, noui conſiliorum praeſidis electionem requirit, ſuffragandi initium vt faciant, Oſwiecimenſis ducatus delegatos prouocavit. Nullo itaque contradicente, Malachovvskius, Oſvviecimenſis palatini vicarius illiusque prouinciae delegatus, exorſus loqui, prouidam vereque paternam regis curam gratus publice praedicabat atque profeſſus quantum conducat ſuae prouinciae delegatis, vt in commodum ſalutis publicae nihil non conferant, ſuo ſuffragio, qui conſiliis praeſit, digniſſimum iudicauit Rzevvuskium, quem Poloni patrio idiomate ſcribam adpellant, id eſt, regno a commisſionibus primariis, qui praeſens Braclauienſis palatinatus delegatum agit. Omnes atque ſinguli palatinatuum & prouinciarum ſpecialium delegati iuſto dicebant ordine ſuffragia plane conſona, binis exceptis, Radeckio Belſcenſi delegato altero, altero Rudomina, Braclauienſium aerarii praefecto, clauſulam adiicientibus, electo conſiliorum praeſide novo, nullam prius in deliberationem vocandam eſſe materiam, quam auxiliares copiae exierint regno & ad lares quisque ſuos remiſſus fuerit, cui inuito caſtra ſequendi neceſſitas impoſita fuerit. Controuerſia quoque ſuborta fuit Halicienſes inter delegatos collegas, quis illorum ſit ordine primus, decidendi vero rationem conſultum viſum fuit poſt electionem comitiorum praeſidis differre.

Ordine ſuffragium dicendi ad candidatum nouae dignitatis deuoluto, fiduciam in ſe collocatam propenſosque fratrum animos grato agnoſcens animo Malachovvskium delegatum ſuae dignitatis auctorem, hac ornandum cenſebat. Liuoniae delegati, Godzkius nimirum rei culinariae regni praefectus, nec non Mecinskius, aulae regni magiſter, ſuis in ſuffragiis ſolemni declarabant formula, electo conſiliorum moderatore, ſe ſtatutum cum animo ac deliberatum habere, nullum ante deliberationis argumentum admittere, quam reſponſum acceperint ad ea, quae prouinciae ſuae ab ordinibus in mandatis haberent.

Proxime plura dabuntur.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. III. Id. Jul. Diſſ. Philol. *Achabi atque Zedekiae ſupplicium, Jerem. XXIX, 22.* ſub moderamine D. JOHANNIS CHRISTIANI HEBENSTREIT, P. P. exhibuit JOHANNES SEBASTIANVS RENZIVS, Norimbergenſis. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 5.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXIX. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc XXXVI.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

VII. Kal. Jul. eoque primo comitiorum die, collectis de nouo conſiliorum praeſide ſuffragiis, Poninskius, eo qui hactenus munere defunctus erat, diuinam praedicabat prouidentiam laudibus, qua factum ſit, vt ſibi daretur ſucceſſor, qui dignus ſit, qui ex nobili genere originem trahat, qui de patria optime meritus talis futurus ſit, qualem omnes cognitum iudicarint, eumque ad ſe vocabat, vt patriae ex legibus fidem iureiurando confirmaret. Fieri id ipſum debere contendebant nonnulli in medio conclauis & delegatorum prouincialium corona, meliora tamen edocti conſtitutione, quae, anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo octauo condita, iuranti locum ad menſam deſignat, acquieuerunt, nouaeque dignitatis candidatus, digitis imaginem tangens Chriſti de cruce pendentis, recitabat formulam iuramenti, quibus eam verbis Poninskius, cui ſucceſſit, proferebat. Quo rite peracto, eum hunc in modum alloquebatur: Non licuit mihi eſſe tam beato, vt moderator conſiliorum ſalutem promouerem publicam, qui potius haud parum odii mihi contraxi, ſpero tamen fore, vt, praevalens auctoritate ſucceſſor, maiori cum ſucceſſu in patriae ſalutem ſuique nominis gloriam faſces gerat, quos ei tradebat, voto adiecto, vt in manu eius floreant ad delectationem omnium fructusque iucundos ferant. Nouus itaque conſiliorum praeſes Deo agebat gratias, tantae animorum concordiae auctori fidemque & dexteritatem coetui vniuerſo pollicebatur, qua fiduciam de ſe omnium adimplere allaboraturus ſit, & conſultum fore dixit, vt electio regi atque ſenatoribus regni per delegatos cognita reddatur.

Bini delegatorum prouincialium prius vnum alterumue argumentum pertractandum iudicabant, ſed monitis

pare-

parebant noui conſiliorum praeſidis, producentis conſtitutiones, quae ordinem in comitiis ſeruandum inculcant. Duodecim itaque, nimirum e Polonia minori quatuor, totidem e maiori vt & Lithuania nominauit delegatos, quorum, cum conclaue ſenatorium ingreſſi eſſent, interpretem egit Vniatyckius Sendomirienſium delegatus, qui enarrationem electi conſiliorum praeſidis noui voto imperii ſub Auguſto diuturni & felicis obſignabat.

Ad haec cancellarius regni ſummus: Concluſum, inquit, ordinis equeſtris regi quam maxime placet, qui parem in comitiorum progreſſu alacritatem adprecatur.

Delegatis his interrogatis, quando concio vniuerſa delegatorum prouincialium nouo cum praeſide ſuo intrare decreuerit conclaue ſenatorium, cum de hoc ſibi nihil in mandatis eſſe reſponderent, rex curauit exponi, gratum ſibi eorum fore acceſſum luce craſtina, hora mane nona audita, & praeſentibus ſub diſceſſum manum oſculandam praebuit.

Qui, ad collegas ſuos reduces, quid geſſerint, referebant praeſidisque conſiliorum arbitrio relinquebatur, quando coetum omnem in conclaue ſenatorium deducendum iudicaret. Solus pincerna regni Poloniae, Chelmenſium ad haec comitia delegatus, praeſidisque frater germanus, Rzewuskius, declarabat, ſua ex ſententia nihil agendum fore ante ordinatas res, quae ſtatum publicum & ſecuritatem regni internam & externam concernunt. Praeſes, quos ad ſenatum miſerat, delegatis poſthaec agebat gratias, praeuiaque excuſatione, cur acceſſus coetus ſui ad ſenatorium ordinem determinari nequeat, ad craſtini diei horam octavam conſilia diſtulit.

VI. Kalend. Jul. praeſes conſiliorum ſtatim ſub initium vrgebat, ex concluſo in comitiis anno ſuperioris ſeculi nonageſimo, regem cum ſenatu ſalutandum eſſe, obſtrepentibus nonnullis, qui prius auxilia dimittenda monebant, non tamen obſtinaces, regerentibus aliis, id ipſum durantibus comitiis fieri non poſſe, ſuum itaque praebebant conſenſum, ea tamen conditione, vt, rege ſalutato, idem deliberationis argumentum omnium primum foret. Hinc iuſto delegatorum prouincialium ordine ſtipatus praeſes comitiorum, in conclaue procedebat ſenatorum, quibus a tergo ſubſiſtebant illi, hic vero in medio conſtitutus grauitatis pleniſſimam habuit orationem, qua fidem, qua zelum, qua pietatem omnium in regem multis verbis exprimebat, Deum precatus, velit tanti principis, quo Poloniam donarit, imperium reddere quam maxime diuturnum. Quibus praemiſſis, deſiderium collegarum exponebat regi, de dimittendis quam ocyſſime auxiliis quodque delegati locum ſuum repetentes in eo futuri ſint toti, vt coniiciant in chartam, qua ratione omnium commodiſſime voti ſui compotes fieri queant, quae ipſis cupido reditum ſuadeat.

Can-

Cancellarius regni ſummus reſpondebat, regi tanto laetiorem eſſe nuntium de concordia ordinis equeſtris, quanto olim moerore diſcordiam eius pertulerit, quae vtique metamorphoſis Deo tribuenda veniat. Coeterum regio nomine repetebat promiſſa de educendis regno copiis, certa ſub ſpe fore, vt viri equeſtres ſuis in deliberationibus de cura ſecuritatis regis initium faciant, cui non diſpliceat reditus ſolitum in conclaue, cum dubium non ſit, quin breui reuertantur inſtructi conſtitutionum delineatione, dimittendi cum gratia, quam ex manus regiae oſculatione cognoſcant.

Quibus dictis, cancellarius regni ſummus nomina eorum praelegebat, quos rex ad conſignandas in his comitiis conſtitutiones delegatos velit, nempe e Polonia minori Cracouienſem epiſcopum & principem, nec non principem Czartoryskium Ruſſiae palatinum, e maiori Warmienſem epiſcopum atque Plocenſem palatinum Podoskium, quibus ſummus Lithuanorum cancellarius, magni ducatus Lithuaniae delegatum Oginskium, palatinum Trocenſem, addebat.

Oſculati itaque manum regis, praeſes comitiorum inque his ei dati collegae in conclaue, vbi conuentus ſolent celebrari, recedebant. Quo vbi ventum erat, delegati Halicienſes, motam pridie, quis prior ordine ſit, controuerſiam renouabant, compromittentes in deciſum collegarum, qui Kalinowskium praeferebant.

Qua contentione vtut leuiori conſumptum eum eſſet tempus, praeſes conſiliorum conuentum ſoluebat, quem poſtero die, & quidem ante meridiem hora octaua, repetendum indixit.

Mantua Carpetanorum. XIII. Kal. Jul. Recens dolet vulnus, nec niſi tempore deferueſcit ira, qua adhuc obſtrepente clauſae regis ſunt aures precibus, quas fudit orator pontificis, vt ſibi priuato liceat vrbem in noſtram reuerti. Febris, quam rex ſuperioribus diebus inciderat, nudius quartus deceſſit, ita, vt exercitum equeſtrem in agro arcis Araniuezanae luſtratum conceſſerit, vnde Fanum S. Ildephonſi petet ibique per aliquod tempus commorabitur. Solito plures tantum non quotidie aduolarunt curſores, in his bini eodem die ad Vaugrenanum marchionem, regis Galliae legatum, qui protinus Pantinhum, publicis in rebus a ſecretis, in colloquium conuenit; alius ad Keenium, regis magnae Britanniae legatum binique alii, quos Carolus princeps Neapoli noſtram in aulam ablegauit. Gadibus nuntiatur, nauem iter ad Americanum paratam eſſe, quae nuntium eo ferat, quod ſub finem Octobris vel initium menſis Nouembris decem vel duodecim naues curſum in Americam directurae ſint.

Lutetia Pariſiorum. VI. Non. Jul. Quotiescunque conuentum egerunt, egerunt autem plus vice ſimplici Noallius regni Galliae mareſchallus atque Khevenhüllerus comes, ſummus dux exercitus caeſariani, non conuenire datum fuit inter ipſos de locis ex pacto Vindobonenſi euacuandis. Euacuan-

da in Hetruria Hiſpani pariter moras nectunt, quorum dux Montemarius, velut induratus admonitionibus continuis, aliquid excipiendi occaſionem facile inuenit, de quo dubitant multi nec immerito, victor an victus Hetruriam tam auidus teneat. Ordinis Melitenſium equeſtris magiſtri per Galliam vicarius ex vulneribus in pugna priuata acceptis paulo melius ſe habere coepit. Quae illi qui inflixerat Conſtans marchio, abiit, excesſit, euaſit, erupit, atque praefectus ordinis eiusdem ordine ſecundus iuſſus eſt excedere palatio regio, quod ad familiam ſpectans ducis Aurelianenſis inhabitauit. Quod exemplum quo plures ſecuti ſunt hactenus, eo certius proſtare dicitur edictum regis, quod grauiores in prouocantes continebit poenas, ne malum latius ſerpat. Nam ab eo tempore, & quidem ante hos octo dies bini ſtudioſi litem gladio dirimere auſi ſunt, quorum vnus in ipſo conflictu occubuit; occubuit & miles gregarius ante dies quinque qui cum ſocio pugnam priuatam iniit. Nudius quartus, die nimirum feſto Petri & Pauli, Paulino nequaquam more aures enſe petiuerant, ſed pectora, quatuor militiae praefecti, quorum nullus ſine vulnere diſcesſit, bini poſtero die exſpirarunt. Eorum quoque ex numero, quos abbates ſiue miniſterii candidatos adpellamus, quidam clauem Petri non ſufficere ratus ad riualem tollendum, gladio arrepto eum transfodit.

Londino. V. Non. Jul. Diebus proxime praeterlapſis, Buckinghamia princeps iter in Galliam atque Italiam aggreſſa eſt, de profectione autem Antonii Azeuedi, Luſitanorum legati, rumor raucus factus eſt, nullasque accepit litteras, ex quibus ſe reuocatum iri cognoſceret. Magnificum ſtructum eſt in honorem & memoriam Grayi poetae noſtrae nationis celeberrimi epitaphium, erigendum in abbatia Weſtmonaſterienſi; ad latus monumentorum ſepulchralium, quibus honos poetarum plurium adſeruatur, inſcriptionem autem ſuo ex ingenio Popius addet. Prima hodie vice qui in Tameſi fluuio ponte iungendo a commisſionibus ſunt, deliberatum convenerunt atque, vna ex multis electa ichnographia, aerarii praefectum aliumque, qui a ſecretis ſit, conſtituerunt.

Vindobona, Nonis Jul. Verendum quia eſt, ne Tartari, quos Münnichius comes, Ruſſorum imperator bellicus, perſequitur, ſua in fuga Moldauiam ingrediantur, aliquot legiones caeſareae in Tranſyluaniam forte & Moldauiam tenentur ex Hungaria iter facere, relationem vero de conſilio, quod caſtra ſequendi coeperit imperator Turcicus, multi in dubium vocant. Quo ſegniores ſe exhibent Galli in tradendis prouinciae Mediolanenſis locis, eo magis negotium hoc conficiendum vrget Khevenhüllerus comes, ſummus in Italia dux exercitus, qui, vt opinio ad nos venit, iter parare iuſſit legiones in vniuerſum omnes, atque Noallio mareſchallo ſignificandum curauit, ſibi tribuat, ſi vel maxime inuitus moram armis rumpat, cuius adiutor caſtrenſis primarius VI. Non. Jul. aduentauit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXX. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

V. Kalend. Jul. Praeſide comitiorum collegas interrogante, quid, rebus per biduum feliciter geſtis, hoc ipſo die expediendum cenſeant, cenſuit Sendomirienſium delegatus praelegenda pacta conuenta, more in comitiis, praeſertim quae regiam coronationem ſequuntur, recepto, nec pridie obſeruato, quia ſenatus adeundus fuerat. Delegatorum alii quoque in eandem ibant ſententiam, ea tamen ſub conditione, vt prius deſignarentur ex ordine delegatorum prouincialium, qui conſtitutionem cum deſignatis ex ordine ſenatorio in chartam coniicerent, pactaque conuenta in ſenatu praelegerentur. Vltimam harum conditionum impugnabant non pauci, atque Podoliae delegati publice profitebantur, ſe nolle quacunque in re prius conſentire, quam auguſtae Ruſſorum legatus mandata dederit ad copias ſuae nationis, e Germania per Podoliam aduerſus Turcos iter non ſine ciuium onere facientes, vt regni finibus excedant eoque, quo tendunt, aliam per viam quam regni loca, progrediantur, quo minus ſemen ſpargatur disſidiorum cum Turcis, quod monitum plures delegatorum adprobabant. Lipskius delegatus, praeſes conſiliorum regni, regerebat, reipublicae ex hoc Ruſſorum itinere nihil periculi imminere nec tollere regulam, quam conſtitutio, quae anno ſuperioris ſeculi nonageſimo fuit condita, definit; confirmabat inſuper certo certius fore, vt ſuas rex copias remittat in patriam, quam primum comitia haec pacificatoria felici gaudere ſucceſſu perſpexerit. Idem qui ſentiebant ex numero delegatorum, addebant & hoc, ſummos rei militaris praefectos per delegatos eſſe exorandos, vt, rege indulgente & adiuuante, cum legato auguſtae Ruſſorum de educendis copiis agant. Alii collegarum omnino ante deliberationem

quam-

quamcunque auxiliorum dimisſionem flagitabant & varii generis argumentum ſuis ſuffragiis immiſcebant. Praeſes itaque conſiliorum, quo certior fieret, quid a rege petendum ſit nomine coetus vniuerſi, colligenda ſtatuit ſingulorum ſuffragia, quibus inuicem quam maxime diſcrepantibus, craſtinum ad diem conuentum prorogauit.

IV. Kalend. Jul. Exorſus loqui comitiorum praeſes ſibi adhuc in recenti eſſe memoria dixit deſiderium, quod plurimi expreſſerint de dimittendis vtriusque & Ruſſicae & Saxonicae nationis auxiliis, indicandum itaque in praeſenti fore, qua ratione omnium commodiſſime id fieri poſſe iudicent. Plurimorum eo rediit ſententia, normam agnoſcendam eſſe transactionem de anno huius ſeculi decimo ſeptimo, ſuperioris vero de anno nonageſimo nono alteram, quae regis aeque ſecuritatem ac patriae libertatem ſaluam eſſe cupiat. Quidam, filo deliberationum abrupto, limitationem comitiorum praeſentium vrgebant, contradicentibus aliis, qui contendebant, pacta conuenta & euacuationis diploma regium regis abunde teſtari animum, quod, pacis amans, ſuas, quam primum liceat, copias dimittere geſtiat, nec more auito comitia pacificatoria vel extra ordinem inſtituta admittere limitationem, quod aſſertum vltimum illi non concedebant. Praeterea omnes praeſidi committebant expetendum a rege, vt praefecto fiat ſatis Poſnanienſi, grauiter laeſo, quam non conuictus ſubire coactus fuit, carceris poena, vtque falſae denuntiationis auctor detegatur. Podoliae delegati eidem agebant gratias, productis ab eo litteris Ruſſorum legati ad Keythium, ſummi ducis vicarium, vbi cognouerunt, huic in mandatis eſſe, vt copias Ruſſorum, quibus praeeſt, ad lapidem octauum vel decimum ab vrbe Camenecia remoto ducat itinere, niſi non praeviſa necesſitas aliud ſuadeat. Non deerant, qui comitia proroganda potius quam limitanda iudicabant, quo facilius auxilia remoueantur, verum praeſes conſiliorum regni & ad comitia haec delegatus Liuoniae, Suskius euidentibus ipſis demonſtrabat rationibus, nec prorogationem nec limitationem comitiorum, quae pacificatoria audiunt, locum habere ſed omnino ad finem perducenda eſſe. Per multum adhuc temporis diſputatum fuit, vrgenda vlterius ſit euacuatio militis peregrini an pactorum conuentorum praelectio ſuſcipienda, ſed fruſtra, nec inter omnes conueniebat. Praeſes comitiorum ob oculos diſceptantibus ponebat, copias tanta feſtinatione finibus regni educi haud poſſe, ſufficere autem, quod egredi in mandatis haberent. Multi delegatorum eo perducere praeſidem ſuum tentabant, vt ad regem ſe conferret atque ſenatum, petitum ſine vlla reſtrictione dimisſionem exercitus, qui excipiebat, ſibi ante delegatorum prouincialium cum ſenatu coniunctionem, cum hoc aliquid tractandi po-

teſta-

teſtatem nullam eſſe. Vno itaque omnes petebant ore, rex ipſe ordine cum ſenatorio modum inueniat, quia coetus vniuerſus firmiter perſuaſus ſit, ſe a ſua ſententia non recedere poſſe. Praeſes comitiorum concluſum hoc regi referendum ſuſcipiebat pollicitus reſponſum dare pridie Kalend. Jul. die nimirum, quo conſilia repetenda veniant.

III. Kalend. Jul. feſtum Petri Pauli halcyonia fecit, quo delegati Lithuanorum conſilii publici ita dicti tribunalis regis in conſpectum veniebant, qui ipſis, interprete cancellario Lithuaniae ſummo, ad ea, quae protulerant in medium, reſpondit.

Plura ſubiicientur proxime.

Neapoli. VI. Kalend. Jul. Sub finem ſuperioris hebdomadis bina ſolverunt de littore noſtro nauigia, quosque capiunt ſacerdotes Roma exules in Hiſpaniam vt traiiciant, curſum eo direxerunt. Laetam egerunt ruricolae meſſem, hoc nihil obſtante, ne quid annonae ad exteros tranſportetur, aulae mandato cautum fuit. Nouisſime relatum accepimus, quod Monteleonius Pignatellus dux cum omnibus ſuis ex Hiſpania, rege indulgente, proxime ad nos rediturus ſit. His diebus Praeneſtanus dux ad nos accesſit ſalutatum Carolum principem, qui eum magna cum beneuolentiae ſignificatione excepit. Conſignatum proſtat proximis diebus publicandum edictum, quod aulae Romanae addictorum bona iuſtis poſſeſſoribus reſtituenda definit.

Roma, pridie Kalend. Jul. Venit ad nos prima currentis hebdomadis feria Abbatus marchio, qui Centumcellenſis praeſidii praefectum agit, futurus, vt aiunt, praefectus nauis actuariae, cui in praefectura oppidi Oddii comitis patruelis ſuccedet. Tertia huius hebdomadis feria, capitis ſententia dicta fuit monetarum adulteratori, exilii vero Agoſtiuello abbati, qui ſatyrico ſtylo ſibi, fortunae ſuae faber, malum hoc attraxit. Qui purpurato Acquauiuae a ſecretis eſt, Buccius abbas, Neapoli ad nos rediit vtque fama fert, res Caroli principis apud nos procurabit. Neapoli quoque nudius quartus ad nos venit Marius Caracciolus cum litteris Spinelli purpurati archiepiſcopi Neapolitani ad purpuratum, qui publicis aulae noſtrae in rebus a ſecretis eſt, eumque poſtero mane conuenit in colloquium, quo etiam pontificis luce heſterna breuique poſt Corſini purpurati gauiſus eſt, ex quo tempore rumor in vulgus emanauit, nouas aulae noſtrae cum Hiſpanica diſſenſiones ſubortas eſſe.

Liburno. III. Kalend. Jul. Ex relatione praefecti nauis, quae Theſſalonicenſem reliquit portum, binae Turcorum naues bellicae & actuariae decem & aliae quaedam, Conſtantinopoli in Pontum Euxinum tendentes naufragium fecerunt. Corſica in inſula Baſtiam metropolim, quaeque in fide manſerunt reipublicae, tres reliquas vrbes arctiori in obſidione tenet meſſemque alienam ſuam fecit Theodorus rex nouus conceſſitque Balagnenſem in prouinciam,

cium, vt iureiurando ſibi ciues obſtringat. Monetam ille cudendam curauit, quae coronam exhibet tribus ſuffultam palmis, cum litteris in medio *T. R.* & inſcriptione: *Pro bono publico Corſo.* Interim nuntiatur praeſidium Fani S Florentii, duce Balbo centurione, feciſſe eruptionem Marte adeo ſecundo, vt Corſi rebelles, tormento bellico centumque & quinquaginta captiuis, in his tympanotriba & equite vexillario, relictis, fugam capere coacti fuerint, qua occaſione haud parum annonae in oppidum deductum fuit.

Venetiis, Nonis Jul. Mediolanenſes ſpes alit conſequendi inſignem tributi remiſſionem nouemque qui poſtulauerant myriades, tribus contentos fore Gallos, quarum vnam diſcedentibus, reliquas duas ſtatuto termino ſoluendas habebunt. Nouum in vrbe noſtra ſub prelo deſudat edictum ſenatus ſupremi, quod plures mercaturam exercentibus immunitates pollicetur. Aes cudendum curat reſpublica in Dalmatiam atque Albaniam transmittendum, cuius in latere vno conſpicitur effigies S. Marci euangeliſtae, in altera nauis ingens cum verbis: *Maritimis datum.*

Vindobonae. III. Id. Jul. Abſoluimus hodie iuſta, quae ſummo heroi Eugenio Sabaudiae principi per triduum ſoluimus. Die primo feſti huius funebris, concionator aedis metropolitanae S. Stephani, Franciſcus Peickhartus, e ſocietate Jeſu, praeſentibus ex ordine equeſtri & optimatum, quos aula vrbsque noſtra capit, plurimis, in laudes ſurrexit defuncti, explicando verba: *Et iſte quidem hoc modo vita deceſſit - - vniuerſae genti memoriam mortis ſuae ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. 2. Maccab. VI, 31.* perque triduum aes Campanum omnium templorum hora mane nona impulſum ingentem conuocauit multitudinem, quae tanti principis monumentum funebre valde magnificum ad ſpectandum memoriamque piam recolendam confluxit. Delegauit imperator iudices, qui ex legibus noſtrae prouinciae rationem inquirant adeundae haereditatis Eugenii Sabaudiae ducis, quam ſoror ipſius germana, Victoria Sueſſionenſis princeps, atque Carignanus dux ambiunt, ſibique concluſum exponant. Dicta princeps, quae nuper ex Italia aduentauit, in horti ſubvrbani palatio ſumſit hoſpitium, quam altero poſt aduentum die ſummus aulae praefectus, nomine imperatoris ſalutauit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XIV. Kalend. Aug. Diſp. inaugural. *de Replica libello inſerenda,* defendit CHRISTIANVS EHRENFRIED ADOLPH FRITZSCH, Lucca-Luſat. Litteris Richterianis. pl. $5\frac{1}{2}$.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXX. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄIↄcc XXXVI.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

Pridie Kalend. Jul. Praeſes comitiorum ſermonem exordiebatur grato omnibus & accepto nuntio, quod rex, motus ſenatus conſilio, decreuerit dies intra quadraginta copias ſuas in Saxoniam remittere, felici ſi gaudeant ſucceſſu comitia. Idem publice referebat, ſe a legato auguſtae Ruſſorum factum eſſe certiorem de Rusſis regno exituris, imo in itinere iam conſtitutis, vt ante terminum conſtitutum patrios fines attingere & posſint & velint. Rebus ita fluentibus, ſpes lactabat moderatorem conſiliorum fore, vt collegae vno omnes proferant ore conſilia, quae comitiorum ſucceſſum, quae patriae ſalutem promoueant, ne mora temere iniecta auxiliis diſcedentibus maiora ſecum mala & in his famem & peſtilentiam regno vniuerſo contrahat. Tandem & in eo promptisſimum fore regem teſtabatur, vt Poſnanienſi fieret ſatis praefecto, qui ſe inſontem carcere adfectum putaret. Kruſerus, Podoliae delegatus, ante omnia ſecuritatem regis firmandam iudicabat, nullum quia dubium ſit, quin regis promiſſa de copiis educendis certo certius valeant, inprimis vero Cameneciam omnibus rebus inſtruendam eſſe monebat & vitanda ſedulo, quae nouas patriae turbas creare poſſent. Czerskienſis delegatus Karczewskius confirmandam inculcabat & internam & externam ſecuritatem, illam concordia regiam inter maieſtatem & regni libertatem, hanc vero exacta harmonia cum exteris principibus, precesque committebat conſiliorum praeſidi, quibus regem exoraret, vt Czerskienſis praefectus, ſiue, vt loquimur, caſtellanus, quam olim tenuit, dignitatem tribuni militaris ordine primi rurſus conſequatur, in quo plures habuit conſentientes. Kaliſienſium delegatorum vnus Szolorskius expetebat

bat

bat a comitiorum praeſide, vt, qua polleat auctoritate, ex numero collegarum denominaret, qui conſtitutionem nouam in chartam coniicerent, alter vero eiusdem prouinciae delegatus adiiciebat, eosdem admonendos eſſe, caueant ſibi, ne incertum quid aut ſuperfluum, vt quandoque ſolet fieri, immiſceant. Ravenſis proponebat inſuper delegatus, vt auctores nouae conſtitutionis, non intra priuatos parietes ſed in delegatorum prouincialium conclaui eam ſubſcribendo firmarent. Dixit itaque comitiorum praeſes, qui conſtitutiónem conſignarent, delegatos Malachovvskium, praefectum vrbanum Oſvviecinenſium & Replovvskium aerarii in Podolia praefectum, e Polonia minori; Mniſzeckium aerarii Lithuaniae praefectum atque cancellariae regni praeſidem Lipskium, e Polonia maiori; tandemque e Lithuania Cyronenſem praefectum Nieſiolovvskium & eiusdem dignitatis virum Krevvenſem, Slizenium; fidemque ab iis exegit formula iuramenti ſolita, cum interrogati nihil addendum ſilentio ſubindicarent. Quam plurimi delegatorum fouebant ſententiam, ſi rex dimisſionem exercitus ſui exprimeret diplomate, idque regni traderet primati, ſi quoque Ruſſorum legatus, quae copiis ſuis de exitu maturando dedit, mandata exhiberet coetui delegatorum prouincialium, hos ſine mora adire poſſe ſenatum, vt praelegantur pacta conuenta, ea tamen ſub conditione, vt praeſentem in locum reuertendi poteſtatem haberent. Enim vero vrgebant iterum iterumque alii prolongationem comitiorum, vt his durantibus adhuc milites peregrini inciperent egredi. Imo non deerant negantes & pernegantes praeſentia legibus reſpondere comitia, quia Vladislaus quartus rex Poloniarum celebrans comitia binarum hebdomadum conſtitutione peculiari promiſerit, nunquam tam breuia inſtituenda fore comitia, ſique extra ordinem quaedam inſtituantur, ſex hebdomadum ſpatio terminanda, conſequenter & hoc tempore eſſe. Ad haec regerebant alii, plus vice ſimplici ab eo tempore habita fuiſſe comitia anguſtioris termini, quae legibus repugnare nemo auſus fuerit dicere. Chelmenſis delegatus Rzevvuskius, limitationem omnem, omnem prorogationem comitiorum, quantum potuit, ſtrenue impugnabat. Quae ſententiarum diſcrepantia ſuppeditavit Miaskovvskio, Kaliſienſi delegato, conſilium de inuitandis ex ordine ſenatorio delegatis, vt conſtitutioni condendae, delegatorum in conclaui, manus admouerent. Tanto itaque animorum diſſidio perdurante, moderator conſiliorum, haec per triduum differenda duxit, ſacris & hebdomadalibus & Marianis per biduum halcyonia ſuadentibus.

V. Non. Jul. Praeſes comitiorum, per ſalutem patriae collegas congregatos obteſtabatur, nulli amplius morentur more comitiorum ab antiquisſimis temporibus recepto praelectionem pactorum conuentorum, adimpleto

pleto omnium deſiderio, quo de auxiliis dimittendis flagrarint. Adnuebant delegatorum prouincialium quam plurimi, paucis exceptis, qui diploma euacuationis militaris ante omnia concipiendum ſtatuebant, ſuaque recedebant a ſententia, illis ſpondentibus fore, vt, praelectis in ſenatu pactis conuentis, in conclaue hoc reuertantur omnes deque cauſa hac tam ardua omnium ex voto deliberent.

Geſta in ſenatu proxime dabuntur.

Sala Africae, pridie Non. Jun. Diffluxit gaudio ciuitas noſtra, relatum vbi accepit, redditos eſſe faſces imperii Muleio Abdallaho, ſpe certa fore, vt belli domeſtici tam diuturni tam pernicioſi finis tandem adpareat. Collegii apud nos commerciorum delegati quidam gratulatum ad eum luce heſterna profecti ſunt mandatis inſuper, vt aiunt, inſtructi de redimendis gementibus ſub iugo ſeruitutis atque captiuitatis natione Belgis, quorum praefectus nauium Lynslagerus cum nauibus aliquot bellicis littus lambit noſtrum ſuaeque gentis mercaturam ab inuaſoribus tutum reddit. Ruricolae his in terris laetam admodum meſſem egerunt.

Mantua Carpetanorum. VII. Kalend. Jul. Motis, Araniuezano in agro quae poſita fuerant, caſtris, ſua, quae antea tenuerunt, loca petierunt milites hodieque rediit inde aula noſtram in vrbem, quae proxime Fanum S. Ildephonſi transferenda dicitur. Multorum ex opinione omniumque ex voto ſpes adfulget pacis & concordiae cum Luſitanis haud dubia, quam primum legati quorundam principum Araniuezana e villa redierint, redire quibus ex equorum defectu nondum licuit. Ante dies non ita multos regis magnae Britanniae legatus accepit per curſorem repetitum mandatum, vt litteras liberi commeatus acquirat ſocietati Anglorum auſtrum verſus mercaturam exercenti, quae ex pacto nauem quotannis in Americam mittere conſueuit, iamque remiſit curſorem cum Patinhi reſponſo, cuius tamen argumentum minus exploratum ac cognitum eſt.

Lutetia Pariſiorum. VII. Id. Jul. Genuenſium ad nos V. Kal. Jul. datae negant litterae, Baſtiam Corſos vi ſumma aggreſſos eſſe, vel expugnaſſe Algaiolam, cuius potius milites praeſidiarii eruptione facta tormentum ferreum, quinque ſclopeta maiora & minoris formae, quod manuarium vulgo adpellatur, vnicum, praedam captiuosque tympanotribam & equitem vexillarium duxerunt & in vrbem reduces hymnum Ambroſianum in ſignum qualiscunque victoriae decantarunt. Corſorum nullus in conflictu periit praeter ſacerdotem & monachum, ex quo in contrarium valde multi Genuenſium vulnerati diſceſſerunt. Quantum videtur, male animati Corſi fruges prius colligendo occupati ſunt, quam noui quid moliantur, ſatis habentes, ſi

loca

loca Genuenſium teneant in obſidione & quacunque occaſione ipſis damnum inferant. Theodorus ipſorum rex ad alterum ab oppido Calvenſi lapidem progreſſus illo facile potiri poterit, cum modico eoque ſaltem ex agris vicinis collecto praeſidio inſtructum ſit, inque vniuerſum res ſuas feliciter gerit; Genuenſibus e contrario ad incitas redactis & fame in locis munitis ferme pereuntibus. Noallius mareſchallus ſub finem menſis currentis e Longobardia Compendium * veniet, quo rex noſter conceſſit concedetque luce craſtina ſummus ſigilli cuſtos, cui aduerſa valetudo, quo minus vna abiret, impedimento fuit, interſit vt conſiliis ſanctioribus quae ibidem celebrabuntur. Melitenſium ordinis magiſtri per Galliam vicarius vitae periculo, quod ex vulneribus acceptis ipſi imminebat, euaſiſſe creditur. Percuſſor eius Conflans eques fuga ſe ſubduxit, eiusque patruelis, praefectus ordinis canonicorum, exilio mulctabitur, cuius de gente nulli aditus in palatium regium patet. Mirapicenſis ** epiſcopus, qui Delphinum principem bonis artibus inſtruit, deceſſit de dignitate epiſcopali, donatus abbatia Manſuetana, ex qua ipſi octodecim aeris noſtri millia quotannis redeunt. In curia ſuperiori lis mota eſt ſacerdoti cuidam, quod ſacra baptiſmatis vnda infans olim adſperſus non fuerit. Silentium, quo premitur nuntius, quem ſolito frequentiores attulerunt curſores, peperit rumorem, pacem ante Octobrem menſem non publicandam fore. * *Compiegne.* * * *Mirepoix.*

Vindobona, pridie Id. Jul. Praeter caſtra tria ſatis ampla, quae in Hungaria fient, fient quarta minora in Tranſyluania eaque legiones quinque equeſtres Lanthieria, Lobkovvitziana, Chauuiraiana, Cohariana & Olonenſis ingredientur, quibus, praeſes illius prouinciae ſummusque militum dux Franciſcus Walliſius comes praeerit, quae etiam ratio allegatur, cur ille in rebus bellicis a commiſſionibus primariis, hac nuper donatus dignitate, nondum eſſe coeperit. Colluuies latrocinia exercentium in tractu Temesvvarienſi, e latibulis ſylueſtribus armata manu prouocata pluribusque occiſis &, qui comprehenſi fuere, de patibulo protinus ſuſpenſis, diſiecta nuntiatur, delegatique ſunt ab imperatore iudices, qui querelas gentis Croaticae audiant. Koenigseckius comes, ſummus in Italia dux exercitus, litteras de educendis ex Hetruria Hiſpanis ad Montemarium ducem dedit & alias poſtquam hic grauiter offenſus reſponderat, inter alia continentes, ſuo tempore ad ſatisfaciendum ſe paratum fore. Quas laeſus, vt videri voluit, Montemarius in aulam noſtram miſit, ſed ſine effectu, modumque procedendi ducis noſtri eadem adprobauit. Tempus docebit, in quantum fides habenda ſit relationi, quod Carolus, Hiſpaniarum princeps, collecto in vtraque Sicilia exercitu, de Sardinia inuadenda cogitet.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXI. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↃIↃcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

V. Non. Jul. Vbi ventum erat in ſenatum, praeuia petitione comitiorum praeſidis regiaque, interprete cancellario regni ſummo, conceſſione, pacta conuenta publice praelegebantur a ſecretario regni ſummo Zaluskio, ſuffraganeo Plocenſi, regioque nomine modo dictus interpres, delegatis prouincialibus licentiam dedit ſuum ad conſiliorum locum reuertendi, ſaluo iure ordinis ſenatorii, cui poſtremi comitiorum dies quinque & communia cum delegatis prouincialibus conſilia debeantur. Delegati ex ordine ſenatorum ad conſignandam conſtitutionem ritu ſolemni poſtquam fidem iureiurando praeſtiterant, eo vnde venerat cum collegis ſuis diſcesſit comitiorum praeſes eosque hortabatur, vt proximi diei hora octaua reduces in conclaue, eadem qua coeperint, alacritate & concordia egregium patriaeque ſalutare opus ad colophonem perducant.

IV. Non. Jul. Sub initium huius diei conſultationum, impetrato omnium conſenſu, praeſes comitiorum praelegendam curauit formulam, qua in conſtitutione noua auxiliorum dimisſio exprimebatur. Eo illa rediit, vt libera electio confirmaretur exirentque Saxonicae copiae ſpatio quadraginta dierum, ſuis ſumptibus, ad normam anno huius ſeculi decimo ſeptimo datam, mille & ducentis exceptis, quibus rex ad praeſidium corporis ſui vtatur ex pacto anni nonageſimi noni, adiecta clauſula, vt, rege non ſalutato, ordo equeſtris confluat, ſi exodus definito tempore non fieret. Ruſſos quod attinet, horum diſceſſum promiſerat auguſtae legatus conſiliorum praeſidi futurum, quando & quomodo coetus congregatorum flagitauerit; verum non contenti his promisſis regem exorandum iudicarunt, vt operam ſuam conferat fidesque data regis articulo euacuationis inſeratur.

Alii

Alii locum eligendi regem impoſterum eſſe cupiebant planitiem, quae Varſouiam inter iacet & Wolam pagum, non vero Kamienam. Alii & hoc flagitabant a comitiorum praeſide, vt in conſultationibus cum auguſtae Ruſſorum legato rationem quoque haberet euacuandi Bialocierskievvenſis caſtelli, eorumque reſtitutionis e gente Polonorum, qui in Rusſiam deducti ſint. Hos recipiendos eſſe iudicabant alii per delegatos ad hunc actum, nec concedendum, vt Rusſi diſcedentes equis & curribus incolarum vtantur, in vniuerſum autem de comitiis extra ordinem praeſentibus ſtatuebant pro ordinariis habenda. Czerskienſis delegatus Oſtroroius ex pactis regiis praelegebat articulum de promisſis, ſi quando necesſitas vrgeat, auxiliis, ſi victum & pabulum reſpublica ſuppeditaret, eumque limitandum cenſebat ita, vt ſuis illa ſumptibus viuerent. Idem cum vrgeret cauſam Czerskienſis caſtellani, Rzevvuskius conſilium non plane improbabat, ſuaſita men, nullo prius de argumento particulari tractandum, quam euacuatio militaris rite ordinata fuerit. Venit aliis in mentem Sybilskius, ſummus dux militaris, quem cum Saxonicis copiis e regno dimittendum arbitrabantur. Nec locum habuit monitum Braclauienſis delegati Bekierskii, proponentis comitia provincialia, poſt ſolemnia quae fieri ſolent comitia, differenda donec auxilia regno exierint. Plurimis collegarum ſua perſtantibus ſententia, vt praeſes comitiorum Ruſſorum diſceſſum a rege expeteret, precibus eorum ſurrexit retulitque reſponſum, omnium ad palatum quod erat, quare euacuationis articulo haec regis promisſio de procurando Ruſſorum diſceſſu inſerebatur: Idem a rege certiorem ſe factum eſſe dicebat fore, vt ſpatio quadraginta dierum a die VII. Id. Jul. egrediantur auxilia Rusſique Curlandiam & Semigalliam eodem tempore vacuam reddant. Vkolskius Cium, Trocenſis delegatus, multis verbis enarrabat cauſas bellorum cum Suecis, horum quia regibus titulum maiores denegarint, ſibi itaque conſultum videri, vt, ad praecauendas moleſtias, auguſta Ruſſorum, quo illa cupit modo, ſalutetur. Slubickius, delegatus Goſtynienſis, exaggerandam putabat clauſulam de Ruſſorum diſceſſu, qui definito tempore ſi non eueniret, concluſa in his comitiis & praetenſiones, quibus illi rempublicam onerant, annihilari, praetereaque confirmandum ius, quod regnante Caſimiro anno ſeculi decimi quinti quinquageſimo quinto primatibus regni de rege nouo denominando conceſſum fuit. Praetenſionum iniecta mentio mouebat plurimorum animos, inprimis Poſnanienſis delegati, negantis clauſulae huius inſertionem, praetenſionum enim delendarum facta mentione ſubindicari earum exiſtentiam, qua conceſſa, addebat alter Poſnanienſium delegatus Modlivvoskius, verendum eſſe, ne, Rusſis termino ſtatuto non egredientibus,

tibus, periculum reipublicae immineat. Tandem vero conciliatis omnium ſententiis & articulo, de milite peregrino, bene ordinato, comitiorum praeſidi, quid porro agendum, interroganti reſpondebat Hurckius delegatus Witepskienſis, e re fore, de amneſtia tractare, quam vniverſalem non admittere volebant multi ſed limitandam ex conſtitutione, quae, regnante Johanne Caſimiro, anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſeptimo prodiit, lege nimirum amneſtiae non gaudere priuatorum iniurias & ſpoliationes ſine iuſſu ſuperiorum peractas, quae ad iudicia ordinaria ſpectent. Smolenſcienſis delegatus Chrapovvickius ſuadebat legationem ad Turcos, republica in integrum pacata, vt hac ratione bellum auertatur. Suadebat quoque cum aulae Berolinenſis tractandum eſſe adminiſtris de ciuibus, de viris equeſtribus, de ſacerdotibus, ad caſtra vi ſumma raptis. Praeterea querelas fundebat delectis in ordinem equeſtrem in comitiis Grodnenſibus anno vigeſimo ſexto celebratis, qui promisſis non ſteterint ſoluendo pecuniam aut disſidentium liberos ad ſacra Romanenſia amplectenda non tradendo, nouis quos honoribus priuandos iudicabat. His & aliis in medium prolatis filum abrumpebatur & conſilia ad craſtinum praeſes diſtulit.

Plura proxime dabuntur.

Roma, Nonis Jul. Nullis parcit ſumptibus Alberonus purpuratus in Rauennatum vrbe ornanda quemque nuper in vnum deriuauit fluuium Roncum & Montonem ponte iunxit e marmore, Hiſtria quod profert, cuius in medio pontificis, ad latus vnum magiſtratus vrbani, ad alterum Alberoniae gentis inſignia conſpiciuntur, verbis additis: Lapi„dem hunc ambularem ac numiſma „Clementis P. O. M. munificentiam „exhibens Julius Cardinalis Albero„nus Rauennae legatus poſuit die „X. Jun. cIↄIↄCCXXXVI. Secunda huius hebdomadis feria ex mandato pontificis captiuus ad nos deductus fuit ciuis Velitrenſis, qui in oppidi tumultu nupero, ſartor confecit ipſe vexillum, quod coryphaeus duxit & vexilliferum egit. Belluga purpuratus Bentiuoglii collegae defuncti de familia in ſuam adſumſit virum equeſtrem, non ſine indicio, quod Neapoli ad nos breui rediturus ſit. Praeſidiarii milites Anconitani Malfaccium conceſſerunt comprehenſum peſſimae notae ſicarium Zanottum, qui vitae inſidias ſtruxerat Jeſſenſi praefecto, quem vbi non inuenerunt profugum, domum eius funditus deſtruxerunt. Harrachius comes, imperatoris legatus, pontificem fecit certiorem de euacuanda proxime ab Hiſpanis Hetruria, ita vt eam caeſariani VI.Id.Jul.ingreſſuri ſint.

Liburno, pridie Non. Jul. Curſor ex Hiſpania venit ad Montemarium ducem, cum mandato, vt fama fert, Hetruriam relinquere nullus amplius moretur, cui tamen non reſpondet euentus, Piſam enim ille poſthac abiit, vbi cum ducibus Hi-

ſpanicae

ſpanicae militiae tempus omnibus deliciis terit. Interim ſeptem illius nationis naues bellicae & varii generis nauigia, quibus milites traiici ſolent, noſtrum tenent portum, vt, termino diſceſſus adpropinquante, ad manus ſint. Germanis quoque ingreſſum meditantibus breuique Luccam peruenturis, horum ne forte inuaſioni expoſitae ſint, binae legiones Piſa ad nos accedent. Noua ex inſula Corſica mirum in modum variant, ex quibus conſtat, Baſtiam nequaquam in arctiori cuſtodia teneri, cui continentem verſus ad quintum vſque lapidem pateat campus, nauique Anglorum bellica multum annonae ſupportatum ſit cum quingentis nationis Helueticae militibus, Fanumque S. Florentii fortiter ſuſtinere impetum hoſtium & Genua ad ſingulas horas quatuor militum millia in exſpectatione eſſe.

Lutetia Pariſiorum. VI. Non. Jul. Quas Lautrecus comes ad nos VI. Non. Jul. exarauit, litterae docent, qui tempore belli vltimi in foedere fuerunt, regum copias de die in diem differre diſceſſum ex rationibus, quas quisque allegat. Noſtrates expoſcunt nouem myriades, quas Mediolanenſibus impoſuerunt, qui ad incitas redacti ſoluendo non ſunt; Sardiniae rex Sarraualenſis caſtelli poſſeſſionem ſibi vindicare ſtudet; Hiſpani bona, quae ad feudum non pertinent gentis Farneſanae vt & quae moueri poſſunt magni ducis Hetruriae ſibi vindicare allaborant. Sagaciores arcano conſilio moras nacti contendunt, aliis contrarium defendentibus, quorum adſerto ſi fides habenda eſt, in finibus Hetruriae, Kheuenhüllerus comes, Noallius mareſchallus & Montemarius dux conuentum proxime celebrabunt. Sedeno, * quae vrbs Valleſiae primaria eſt, nuntiatur terrae motus, quo aedes ſacrae & priuatae numero plures grauiter concuſſae ſunt, quaedam etiam ruinam minantur.

* *Sitten.*

Berolino. X. Kalend. Aug. Matutina hodie hora ſexta curſor qui aduolauit, legato auguſtae Ruſſorum, Brakelio baroni laetum attulit nuntium, Laſcium, ſummum caſtrorum praefectum, X. Kalend. Jul. ſt. v. vel ipſis Kalendis Jul. ſt. n. in deditionem accepiſſe Tanaim * vrbem maritimam, praefecto vrbis ſummo omnique praeſidio victoris arbitrio ſe permittentibus. Si, qua coepit fortuna ſerena, fauerit fortuna rebus Ruſſorum, de felici armorum ſucceſſu, duce Münnichio comite nuntius exſpectatur, qui occupata munitionum ſerie & Perecopenſi vrbe, metropolim verſus Tartarorum principis, exercitum duxit. Fauentis quoque fortunae ſignum haud leue habetur, quod Cubanenſes Tartari, decem familiarum millia conficientes, iugo Turcico excuſſo, imperium auguſtae Ruſſorum agnouerint, quorum princeps ducentique optimatum fidem iureiurando dederunt, datam obſidibus confirmarunt.

* *Aſoff.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXI. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

III. Non. Jul. Praeſide comitiorum monente telam pertexendam eſſe, venit in deliberationem lex amneſtiae, quam limitibus quibusdam alii, alii nullis circumſcribendam iudicabant, praeuiaque contentione ille vrgebat praelectionem cum clauſula de vindicandis libere priuatorum iniuriis, ad quas referri nequeat damnum iuſſu praefectorum militiae datum. Conſilio tantum non ab omnibus probato, ſolus ferme obloquebatur Branickius, Halicienſis delegatus, qui ad priuatas vtique iniurias referendum cenſebat, quicquid ex mandato ducum euenerit fonte omnium malorum, quae in quam plurimos deriuata ſint, nec ab hac ſua ſententia vt recederet, argumentis collegarum inprimis Malachovvskii, Oſvviecinenſis delegati, perduci potuit. Proponebat Szolarskius, Kaliſienſis delegatus, caſum militis gregarii, cui nomen Wadeckio, ex capitis ſententia globo plumbeo traiecti, quia dicto audiens non fuerit, iudicem itaque hunc ſeuerum ex lege amneſtiae non abſolutum iri monebat, contradicentibus aliis, qui militem inobedientem dignum poena hac fuiſſe cenſebant. Ex eadem amneſtiae lege deducebatur quoque abrogatio ſententiae in iudiciis Polonorum & Lithuanorum latae in eos, qui, durantibus turbis, regni finibus exierint, ſolis delegatis Braclauienſium contradicentibus. Kraſinskius, Sendomirienſis delegatus, reſtitutionem vrgebat praefectorum militiae ad normam exterorum conſcriptae, cui Lithuaniae delegati ſe opponebant. Branickio delegato formulam legis amneſtiae impugnante, praeſes comitiorum controuerſiae huius deciſum ad craſtinum differendum ratus abrogationem foederis, quod hucusque valuit, ſub incudem vocandam eſſe pronuntiabat. Omnibus conſen-

ſentientibus cum articulum hunc interpellarent praelegentem ad verba: *Mittimus & annihilamus pro rege noſtro, quae facta ſunt foedera*, deleuit limitationem: *pro rege*, adprobantibus ſingulis praeter Branickium, qui eam omnino retinendam ducebat, quia foedera pro Stanislao facta ſint actus illegitimi. Diffidentibus itaque inuicem animis ſuffragantium, praeſes coetum dimiſit, differens tam ſeria ad craſtinum, *quae proxime dabimus.*

Olyſſippone. XIII. Kal. Jul. Americae ex prouincia auſtrali, cui Janairo de flumine nomen eſt, itinere nonaginta dierum aduentauit nauis tabellaria, quam ingredi egredique ex ea in continentem nulli licet, litteris, quas attulit, protinus his traditis, qui publicas res adminiſtrant. Quantum coniicere licet, nuntium illa minus laetum retulit, quod Hiſpani, mille numero numeroque pluribus Indis aucti, X. Kalend. Jan. nouae coloniae noſtrae caſtellum inuaſerint, cuius opera munimentis terreis praeſtructa licet tormentorum ictibus infregerint, vix tamen munitiones e lateribus coctis firmiſſime ſtructas aggredi poterunt, cum naues quatuor aut quinque bellicae, duo vel tria armatorum capientes millia, praefecto vrbis auxilio venire inſtituant. Vicina e Barbaria nuntiatur, quod Muleius Abdallahus reſtitutus in regnum, Tuguellium, qui exercitui Aethiopum, regnante Muleio Aly, praefuit, diriſſimo adfecerit ſupplicio, quatuor eius filiis in carcerem coniectis, vt patris theſauros prodant.

Lutetia Pariſiorum. XVII. Kalend. Aug. E Longobardia relatum accepimus, Placentiae V. Non. Jul. Noallium mareſchallum denuo conueniſſe in colloquium Kheuenhüllerum comitem, quid vero concluſum ſit, non liquet. Id certum habetur, curſorem, qui nouiſſime ad Noallium mareſchallum abiit, mandata eo tranſtuliſſe, vt copiae noſtrae Mediolanenſem non prius relinquant prouinciam, quam tributum aliquot myriadum ſolutum fuerit, cuius portio regi Sardiniae debetur. Nouus Corſicae inſulae rex Theodorus nactus eſt inſignem rei bellicae adparatum, tribus, quae Catalonienſi de littore ſoluerunt, nauigiis, ventoque aduerſo adpulſis, vt fingunt, qui eum Hiſpanorum ope niti negant & pernegant. Verſaliae locus ſatis amplius, piſcinae olim nomine notus, aedibus nouis exornabitur iuſto platearum ordine ductis, aedificio inprimis, in quo duodecim cohortes equeſtres excubias agent.

Londino. XVI. Kalend. Aug. Dorſeto duci, proregi Hiberniae, Devonshirius dux ſuccedet. Thomas Fanius, Weſtmorelandius comes, baro Diſpenſerius & Burgheſius, regi a conſiliis ſanctioribus & prouinciae Nordhamptoniae praeſes, pridie Id. Jul. in praedio Catherlonghii equitis, fratris ſui germani, morbo difficili & diuturno confectus exſpiravit. Florem mercaturae numerus, quae portum noſtrum tenent, navium

vium abunde loquitur, quarum, menſe ſuperiori centum nonaginta & tres ingreſſae, e contrario centum atque tres egreſſae ſunt. Societas quoque mercaturam ad Indos exercens ſummopere laetatur nuntio, quod Godolphina nauis, praefecto Stevvardo, multis onuſta diuitiis, Volubae Portum * intrauerit. In exſpectatione eſt Balchenius cum nauibus ſeptem bellicis, parte nimirum claſſis noſtrae, quae Olyſſipponenſem portum tenet. Sutoris in officina operam praeſtans, ſua manu fieri maluit eunuchus, quam Veneris ludibrio exponi.

* *Falmouth.*

Haga Comitum. X. Kalend. Aug. Rex Hiſpanorum dicitur adprobaſſe conditiones, quibus arbitri pacis litem cum Luſitanis componi poſſe iudicarunt. In his culpa diſſenſionis maior prae rege Hiſpaniae, tribuitur Luſitanorum regi; Captiuos vtraque paciſcentium pars tradet arbitris, qui eos libertate donabunt, neutra vt videatur feciſſe, quod per alium fecit; Si quid hoſtile euenit in America, expugnatis forte aliquot locis, horum reſtitutio & priſtina ibidem rerum facies promittitur. Enim vero ſagaciores ſubodorari facile poſſe contendunt fictionem conditionum, in quibus rex Luſitanorum auctor rixae, ipſo certe inuito, ſtatueretur; accedente & hoc, quod eodem, quo haec in chartam coniecta & quod maximum eſt, a Patinho ſubſcribendo firmata traduntur, tempore Gadibus * ſoluerint binae Hiſpanorum naues bellicae capientes quadringentos vel quingentos milites, cum mandatis, vt Luſitanos in Braſiliae colonis minus paratos inuadant. Ex litteris Seveſtae Tiguliorum ** interceptis cognitum ac perſpectum eſſe quidam volunt, nullo a rege aut Europae principe adiuuari Theodorum Corſorum male animatorum regem, ſed a Ripperda duce, cum quo ab anno decimo nono familiariter vixit, qui ei ſuggerat pecuniam, quam in collegio foeneratorio Venetiis & Amſtelodami numeratam habet, fides certe amicus, ſi fabula vera eſt, qui re in incerta cernitur.

* *Cadix.* ** *Seſtri di Lepante.*

Lipſia. III. Non. Aug. Tandem iuſta audiuimus ſoluta piae memoriae principi Sabaudiae Eugenio, heroi poſt cineres ſummo, & ea quidem pompa funebri, qua nihil praeſtantius poſt hominum memoriam Vindobona vidit. Vidit, vt reliqua taceamus, magnificum valde, quod tanti principis in honorem ſtructum fuerat, monumentum funebre, cuius ſplendorem duumuiri Hildebrandus atque Neuenſtenius, ornamentis ille, hic inſcriptionibus prorſus inſignem reddiderunt. Illis paulo prolixioribus, quam vt integra adſcribamus, has exhibendo lectoris curioſitati medebimur:

I.

INCLYTISSIMO

EVGENIO FRANCISCO

SAB. ET. PEDEM.

PRIN-

PRINCIPI
MARCHIONI. SALVTIARVM
A. VELL. EQ.
A V G V S T O
A. SANCTIOR. CONSILIIS. PVBL.
MODERANDIS. REBVS. BELLICIS
PRAEFECTO
IN. GERMANIA. LEGATO
IN. ITALIA. VICARIO
ATQVE
EXERCITVVM. DVCI. FELICISSIMO
IMP. CAES. CAROLVS. VI.
AVG. P. FEL. P. P.
OB. EGREGIA. IN. SE. ET. REMP.
MERITA
NON. OCVLIS. MODO. MONVMEN-
TVM. HOC. TEMPORARIVM
SED. T R O P H A E V M. ANIMIS. ET
MEMORIAE. SEMPITERNVM
HONORIS. V I R T V T I S Q. CAVSSA
DEDICAT
VT. DISCANT. MORTALES
QVIS. CONSVMMATISSIMVM
HEROEM
IMMORTALITATE. DIGNVM
HABVERIT.

II.

AN. A. XTO. NATO. MDCLXIII.
XV. K. NOV.
SVB. AVSPICATISSIMA. MARTIS
STELLA. NATVS
HEROICVM. SANGVINEM. ET
SPIRITVM. HAVSIT.
ADOLESCENS. CLARIS. AVORVM
EXEMPLIS
PRIMA. CASTRORVM. RVDIMENTA
FORTISSIMO CAROLO. LOTHARIN-
GICO. APPROBAVIT.
A. D. LEOP. M.
VETERANAE. LEGIONI. KVFSTEI-
NIANAE. PRAEFECTVS
EFFECIT. VT. VERE. SIT. DICTVM
SVI. CVIQVE. MORES. FORTV-
NAM. FINGVNT.
ITAQVE. SVB. AVSTRIACIS. FELICI-
BVS. AVSPICIIS
MAGNI. ILLIVS. DVCIS. QVI. VENIT
VIDIT. VICIT.
GLORIAM. FESTINATIS. HONO-
RIBVS. ADSEQVVTVS. EST
NEC. VNQVAM. IN. SVAM. FAMAM
CVI. ETIAM. SOEPE. BONI. IN-
DVLGENT
EXVLTAVIT. SED. SVCCESSVS. SVOS
AD. AVCTOREM.
QVI. D O C V I T. M A N V S. AD
PRAELIVM
RETVLIT. ET. EX. TAM. VASTA
DIGNITATE
SVPRA. MILITES. NIHIL. HABVIT
PRAETER. IMPERIVM. PECTVSQ.
REGIVM
MAGNANIMITAS. QVALIS. HEROEM
DECET
ET. MAGNIFICENTIA. IN. PV-
BLICVM
CONSILII. DOMI. FORISQ. NON
COPIA. MODO
SED. FELICITAS. MODERATIO
AEQVABILITAS
QVIBVS. ANIMI. MORIBVS. ATQVE
VIRTVTIBVS
SECVLVM. SVVM. EVGENIANVM
REDDIDIT
VERA. SVNT. ELOGII. NOMINA.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXII. PARTIC. I.

A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

Pridie Non. Jul. Praeuia admonitione, de eo quod reliquum eſt temporis bene impendendo, praelectoque & tribus diſtinctis vicibus ab omnibus interrogatis adprobato articulo, qui foederum internorum ſolutionem continet, pro ſua vigilantia in patriae rebus bene ordinandis praeſes comitiorum condendam eamque generalem amneſtiae legem ad manus ſumebat. Hanc illis non prodeſſe volebant Braclauienſes & Orszanenſes delegati, qui ſuis ſumptibus, ſua auctoritate, ſua praedae ex cupiditate ad neutram exercitus partem ſpectantes contraxerint copias; quibus ab exterorum copiis vim paſſos adiiciebat Hurckius, Witepſcienſis delegatus, ita vt pomum hoc Eridis abiiciendum praeſes conſiliorum iudicaret. Quo facto, ſurrexit aduerſus Belſcienſes delegatos collega Poſnanienſis Modlikovvskius, qui clauſulam, ab ipſis expetitam pridie, fortiter impugnabat, ex qua concluſa comitiorum praeſentium annihilanda forent, ſi promiſſis non ſtarent definito tempore Ruſſi, quia his aduerſus Turcos bellum gerentibus facile fieri poſſet, vt Poloniae terminos ingredi cogerentur, ſicque male conſiliorum compages ſolueretur. In eo autem, quod adiiciebat, amneſtiam tantis laborantem difficultatibus ad futura comitia differendam eſſe, minime conſentientes habebat reliquos, inque his Goſtinenſis delegatus Slubickius adire ſenatum prohibebat rebus, ad comitia pacificatoria quae ſpectant, non expeditis. Legem itaque amneſtiae repetebat praeſes conſiliorum inſerta Hurckii clauſula, vt damnum reſtituere teneantur, qui illud per militem peregrinum dederint, contradicentibus delegatis Nouogrodienſibus, quia lege amneſtiae hunc in modum circumſcripta, nouum diſcordiae ſemen inter ciues ſpargeretur.

tur. Nec locum habuerunt ſententiae triumuirorum ſequentium: prima delegati Liuoniae, de conficienda in ſenatu tam difficili amneſtiae lege, quia praeſens locus legibus condendis deſtinatus ſit; ſecunda Grabskii, Lenczienſis delegati, de poena talionis ſtatuenda in hos, qui damnum ſibi per alium iniuſte datum non ſatis probauerint; tertia Sytinskii, Podoliae delegati, conſultum putantis damnum ab his repoſcere, qui peregrina auxilia implorauerint. Tandem vero moderator conſiliorum limitatam ex monitis Witepskienſis delegati & Grabskii amneſtiae legem publice praelegebat, praelectam omnes probarunt. Nouum dein argumentum de electionis & coronationis actu pertractandum virgula cenſoria quidam notabant & inprimis impugnabatur eorum ſententia, qui propoſitiones Ruſſorum legati, ſi ad manus eſſent, publice praelegendas & exercitum maiorem colligendum cenſebant; prius poſtulatum ipſe praeſes haud neceſſarium eſſe dicebat, quia legati exterorum principum ſinceram nec dubiam promiſerint amicitiam; poſterius inprimis Poninskius, delegatus Vcluenſis, oneri fore ciuibus demonſtrabat, qui onere belli potius leuandi ſint. Aliis alia immiſcentibus & quidem Roznovvskio, Sendomirienſi delegato, vt pacta conuenta examinarentur, Grothauſeno Vpitenſi, vt Curlandiae rebus proſpiciatur, Vnatickio Sendomirienſi Poninskianae, quam com memorauimus, ſententiae adhaerente, praeſes comitiorum acta interregni craſtino die praelegenda ſtatuit.

Neapoli, VI. Id. Jul. Ex aulae mandato monachi, vt audiunt, minores Reformati coenobium SS. Trinitatis, quod inhabitant, Hiſpanis natione monachis diſcalceatis S. Petri Alcantarenſis tradere ſedemque ſuam mutare tenentur. Carolus princeps Hiſpaniarum Colonnam, Praeneſtinum & Sfortiam Ceſarinum duces ſibi a ſanctioribus cubiculi eſſe iuſſit, data ſimul venia, vt Romam reuertantur. Reuertendi eo quoque poteſtas & quatuor dierum terminus conſtitutus eſt ſacerdotibus Hiſpanis, qui beneficiis eccleſiaſticis perfruuntur, ad tempus vero aliquod Belluga & Acquauiua purpurati adhuc remanebunt. Ex curſore Montemarii ſummi Hiſpanorum exercitus ducis accepimus, non prius illum cum ſuis ex Hetruria abiturum eſſe, quam curſor in Hiſpaniam miſſus redierit. Dux Carolus poſtremo cuiusuis hebdomadis die, aditum petentibus quibuscunque dare ſolet.

Roma, pridie Id. Jul. Ante hos dies octo, qui pontifici bellicis in rebus a commiſſionibus primariis eſt, mandata dedit ad Velitrenſes, vt, in poenam motae nuper ſeditionis, milites praeſidiarii in vniuerſum omnes dimittantur tam pedites quam equites, centurionibus, locumtenentibus & vexilliferis tantum honoris titulos retinentibus. Rex Hiſpanorum ſingulos qui remanſerunt vel redierunt Hiſpanos ad tertiam vſque generatio-

nerationem, in his quoque palatii pontificis cuſtodiam agentes milites, ad patrios lares reuocauit. Neapoli noſtram in vrbem reuerſi ſunt Colonna atque Sfortia Ceſarinus duces, quorum ille pontificis colloquio gauiſus eſt, quo longius protracto, fama percrebuit, aulae Neapolitanae expeditionem ipſi curae fuiſſe.

Lutetia Pariſiorum. XIII. Kalend. Aug. Ad fraudes euitandas, quibus domus non vna hactenus agitata fuit, regium edictum V. Id. Apr. datum, curia ſuprema retulit III. Id. Jul. ad acta ſua, conſtans duobus & quadraginta articulis atque quam accuratisſime definiens modum, qui in nuptiis, infantum baptiſmo & ſepulturis impoſterum obſeruandus erit. Paſtorum quisque geminum ſibi comparabit album, in quo dictis in caſibus quisque ſuum inſcribendum habebit nomen, quorum vnum retinebit paſtor, alterum quotannis iudicio, quod proximum eſt, regio exhibebit, vt in caſu dubio decidendi ratio pateat. Huius generis litem agitare heri coepit in curia prouinciali Vignia, quae germana proles Ferrandi praeſidis ſalutari cupit ſimilemque mouerunt Tontoniae ſorores, quae matrem Forciam principem patremque Cortium agnoſcunt, atque a Tontonia, quam illa a cubiculo habuit, tanquam prolem ſuam ſacra baptiſmatis vnda adſpergendam curauerit. Treuouxia, cognatione coniuncta cum Theodoro, nouo Corſorum rege, nupſit viro, qui quinquaginta aeris noſtri millibus gaudet.

Lipſia. VII. Id. Aug. Inſcriptiones, quae reſtant, monumenti funebris Eugeniani ita ſe habent:

III.

PRIMO. ET. PRAECIPVO. AD ZENTAM. AVSV
INIVRIAS. REIP. XTIANAE. VLTVS. EST
SECVNDO. VICTOR. AD. CLARIVM PROELIO
GERMANI. NOMINIS. GLORIAM AVXIT
EADEM. FORTITVDINE. AD. LVZARAM. MANIFESTAVIT
QVAM. FVNESTVM. SIT. HERCVLEM. LACESSERE
DECRETORIO. AD. HOECHSTADIVM. CONFLICTV
PRISCORVM. ADOREAS. HEROVM SVPERGRESSVS EST.
MILES. ET. IMPERATOR. AD CASSANVM
FORTVNAM. DOMVS. AVG. PROPVGNAVIT
HANNIBAL. AD. AVGVSTVM TAVRINORVM
ANIMIS. ET. ARMIS. NATVRAM. EXPVGNAVIT.
PARI. FELICITATE. QVA. PERPETVO. VSVS. EST
AD. ALDENARDVM. NON. VNO VVLNERE. DECORVS. TRIVMPHAVIT
FORTVNAE. MOMENTA. AD. MONTES. HANN. PERSEQVVTVS
PVLCHRAM. SPECTABILEMQ. LAVRVM. ET. LAVDEM. REPORTAVIT

AD. VARADINVM. PETRI. DIVINO ACCINCTVS. ROBORE
SVPRA. VIRIVM. HVMANARVM MODVM. BARBAROS. FVDIT
CVM. JOSVE. GEDEONE. SAMSONE CONFERENDVS
AD. TAVRINVM. PORTAS. FERREAS CONFREGIT
ET. OMNES. OMNIVM. ANTE. SE DVCVM. VICTORIAS
VIRTVTE. NVMERO. GLORIA. SVPERAVIT
HAEC. INAVDITA. ET. HVMANA MAIOR. ANIMI. MAGNITVDO
QVA. SEMPER. POTVIT. EA. QVAE NEMO. PRAETER. ILLVM
IN. VOCE. PRAESENTIS. SECVLI
IN. CONSCIENTIIS. HVMANI GENERIS
IN. MEMORIA. POSTERITATIS. NON RETICEBITVR.

IV.

POST. EXACTOS. CLARISSIMOS. TRIVMPHOS
QVIBVS. CHRISTIANA. RES. SERVATA. ET. AVCTA
GERMANIA. ITALIA. HVNGARIA. IN LIBERTATEM. VINDICATA
RERVM. GESTARVM. FAMA. ET AETERNITAS. PARTA
MARTISQ. MANVBIÆ. MINERVÆ CONSECRATÆ
GRANDÆVVS. MILES. VICTORIOSISSIMVS
SEPTVAGENARIO. CVM. ANTONIO PIO. PHILOSOPHO. MAIOR.
AN. TRIVMPHATORIS. PERP. M. DCCXXXVI. XV. K. MAII

MEDIOS. INTER. CADVCEATORES IN. PACE
QVÆ. SVPERAT. OMNEM. INTELLECTVM
POSVIT. TRIVMPHIS. POSVIT. BENEFICIIS. MODVM
NON. AVTEM. POSVIT. DESIDERIO
NON. AMORI. NON. DOLORI. NOSTRO
HABET. SVBLATVM. EX. OCVLIS
VT. OLIM INCOLVMEM. VIRTVS
ÆQVVM. AESTIMATOREM. GRATVM CÆSAREM
QVI. EIVS. MORTEM. LVCTV. CELEBREM. FACIT
HABET. MAGNANIMORVM. HOSTIVM. NVLLVM. ACCVSATOREM
HABET. SVI. CONFESSIONEM. EXERCITVS
HVNC. VIRVM. TRIVMPHALEM. SVB III. IMPP. AVGG.
PRÆROGATIVA. NVNQVAM. CONVVLSI. FAVORIS. PVBLICI
SVPRA. VETERVM. HEROVM. EXEMPLA
MEDIVM. ET. VLTRA. SECVLVM NOBILITASSE
NEC. VNQVAM. SIBI. MORAS
AVT. CAVSSAS. BELLI. POTVISSE IMPVTARI.
SED. ILLVM. ETIAM. PEROPPORTVNVM
COPIARVM. RECEPTVM. PRO. ENCOMIO. ESSE
ORNARI. HOC. MONVMENTVM. VETAT
DVX. IPSE. PRO. MAVSOLEO. EST
HVNC. VNVM. SIGNET. ATQ. INSIGNIAT. EPITAPHISTA. TRIVMPHVM
EVGENIVS DE EVGENIO.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

Nonis Jul. Actis interregni publice praelectis, decretum fuit augere exercitum, quo minus reſpublica quocunque in caſu alienis opus habeat auxiliis. Articulus de diſſidentibus religione ad normam conſtitutionis anno huius ſeculi decimo ſeptimo conditae reuocatus fuit. Omnibus videbatur conſultum actum electionis & coronationis in nouam referre conſtitutionem, quibusdam etiam, cum formula iuramenti, ante comitia conuocatoria praeſtiti, ſed his contradicentium ſententia praeualuit. Concluſum praeterea fuit locum electionis regiae conſtituere Wolam inter pagum & Varſouiam vrbem, in quo ſoli primati ius competat regem nominandi & coronandi, in eum ſtatuta poena, qui ex cleri optimatibus iure hoc vti ſuſtineat. Collatio munerum publicorum, aliter licet a rege, quam conſtitutio anni decimi ſeptimi definit, facta, communi adprobata fuit conſenſu & inſuper decretum, vt eandem pro lubitu impoſterum, etiam comitiis non ad finem perductis, exerceat. Ratum perfectumque habitum fuit, quicquid, durante interregno, iudiciis publicis ſiue tribunalibus adſcripti ſtatuerunt, de ſalinis autem quae venerunt in deliberationem, de his in praeſenti inter omnes non conueniebat. Conueniebat inter omnes e contrario, regem exorandum eſſe, vt, ſibi a latere qui eſſe coguntur, regni cancellariis, & quidem ſummo abbatiam ſiue praepoſituram, eiusque vicario praefecturam caſtelli conferat. Szolorſkius delegatus contendebat nouae conſtitutioni inſerendum eſſe, vt praediorum, quae regi in Prusſia ſunt, adminiſtratio viris tantum equeſtris ordinis concedatur iisque indigenis; cui ſe opponebat Dzialinskius delegatus, ipſe indigena Prusſiae, ratus, argumenti huius tractationem differendam eſſe

ad

ad mutua cum ſenatu conſilia, ratione allegata, quod, comitiis Pruſſiae prouincialibus interruptis, nulli huius prouinciae delegati praeteritis regni comitiis publicis interfuerint. Bekierskius, ſummus dux militaris, quae regi Samborienſi in tractu ſunt praedia oeconomica, bene de patria meritis conferenda eſſe cenſebat. His ita geſtis, praelegebat comitiorum praeſes rationem, quam in libera olim electione ducis Curlandiae ſeruandam Ruſſorum legatus propoſuit. Enim vero vno omnes ore pronuntiabant, neglecta transactione particulari, ſufficere reſponſum, quod respublica cum vicinis, quorum intereſt, amicitiam colere geſtiat. Poninskius delegatus mentionem fecit dotalitii reginae, quod ſine vlla contradictione, ad morem a maioribus acceptum, definiebatur. Quod reliquum erat temporis ad horam vſque veſpertinam nonam conſumebatur articulo de augmento exercitus, quod delegati Poloniae minoris & Lithuaniae protinus adprobabant hancque ſuam ſententiam obſignabant comminatione de non prius adeundo ſenatu, quam res haec confecta fuerit, vtque conficiatur minori cum difficultate, ad ſumptus hos militares ſtatuebant adhibendos reditus ex monopoliis papyri atque tabaci, cenſus ſingulis recutitorum capitibus impoſitos, nummos cenſuales praediorum & regis & cleri, tandemque tres florenorum myriades, quas rex in pactis conuentis reipublicae, ſi forte egeat aeris, promiſerit. Non diſplicebat conſilium delegatis Poloniae maioris, modo huius habendam fore rationem monebant in tributo imponendo, quia oneribus publicis ea prae coeteris prematur. Verum diſcordes cum in colligendis ſuffragiis animaduerteret animos, vt abſolui in integrum non poſſet negotium, praeſes conſiliorum, coetum dimiſit, &, craſtino die ſacris deſtinato, perendie hora mane ſexta ad telam pertexendam collegas inuitauit.

Olyſſippone, pridie Non. Jul. Ex Americanis oris accepimus praefectum nouae coloniae noſtrae, cui de S. Sacramento nomen eſt, naui Joſephi Cotinhi impoſuiſſe milites, qui Hiſpanos vi ſumma aggreſſi ſunt eorumque ducentos interfecerunt. In obſidendo oppido dicto Hiſpani potiſſimum vtuntur Aethiopibus, qui primo ſtatim tormentorum fragore conterriti fugam dederunt. Spes nos certa alit, fore, vt naues bellicae, quae in portu Janeirano & aliis Braſiliae locis maritimis colliguntur, opportuno adhuc tempore obſeſſis auxilio veniant.

Mantua Carpetanorum. VI. Id. Jul. Rex, quod ipſi in deliciis eſt, Fanum S. Ildephonſi luce heſterna petiit, dumque regina & aula vniuerſa eum ſubſecutae ſint, per aeſtatem dubio procul ibidem commorabitur. Contrahuntur in Catalonia copiae ſub finem menſis currentis imponendae nauibus, quae ad XIII. Kalend. Aug. Barcinone ad manus eſſe tenentur, conductis hunc in finem apud

pud Gaditanos aliarum gentium navibus. Cuius expeditionis ratio non patet, hancque exploratum qui venerunt in aulam legati aliquot exterorum principum, tulere reſponſum, ipſis eam haud periculo fore, nec impedimento transactionibus, quas in conciliandis Luſitanis arbitri pacis inſtituunt.

Lutetia Pariſiorum. X. Kal. Aug. Fumum vendidit ſpeque vana lactavit militiae praefectum Montemarius, ſummus dux exercitus Hiſpanici in Italia, miſſum a Kheuenhüllero comite, qui diſceſſum ex Hetruria ſuadeat. Hunc ille, categorica, vt promiſerat, cum reſponſione dimittendum ad coenam inuitauit & poſtero die ad prandium lautisſime inſtructum, quo ſumpto, ſe non prius relinquere dixit poſſe Hetruriam, quam regis ſui mandata accipiat. De abitu autem ſe non cogitare re ipſa probat, vtpote qui ſuppleuit legionum ſuarum numerum, & cohortes aliquot ablegauit, quae aditum cuſtodiant, ſi caeſariani preces in arma vertant, nouumque Piſae drama muſicum proxime inſtituendum curat. Genuenſium ad nos V. Id. Jul. datae referunt litterae, noua ex inſula Corſica ſummo premi ſilentio, quae minus laeta fuiſſe docent epiſtolae ad familiares, & inter alia, quod Caluienſis praefectus eruptionem Marte aduerſo tentauerit, deque centum militibus, eam qui ſuſceperunt, ſexaginta vel occiſi vel capti fuerint.

Lipſia. VI. Id. Aug. Funeris Eugeniani de ſolemnibus reſtat carmen, quod non minori ac in obitum tanti herois, facundia eiusdem autoris Nevvenſteinii compoſitum ita ſe habet:

Elegidion
In funere triumphali
Somno iuſtorum requieſcentis
Eugenii
Armorum gloria nobilis
Incredibili pompa celebrato d. XI. XII. XIII. Jul. MDCCXXXVI.

Conditur hoc tumulo multis heu! flebilis Heros,
Eugenius, victor funeris ipſe ſui.
Mors ea non mors eſt, nec nox haec vera putanda,
Nox, vbi inacceſſa luce triumphat honor.
I nunc & tecum vanos effinge triumphos,
Roma quibus veteres iactat ad aſtra duces.
Si nouus Alcides geſtis exſultat, & alte,
Cruda Meduſaeo fata triumphat equo.
Qui Fabios, Curios, magnos virtute Metellos
Reddidit, & belli fulmina, Scipiadas.
Jam ſuperaddiderat frondoſum Pelion oſſa
Titanum coelo pernicioſa manus.
Heroum princeps hos iuſtis fulminat armis
In gelido figens laeta tropaea ſolo.

Aurata

Aurata pictaque alii ſeruantur in vrna
Sunt hominum Eugenio pectora ſarcophagus.
Dignus erat Titus, dignus Traianus amore,
Non fuit Eugenio dignior elogio.
Fortis Alexander, Caeſar vigil, Hannibal acer,
Auguſtus felix, omnia noſter erat.
Fulmen erat belli. Quid plura? vel omnia praeſtat
Dicere, vel nomen commemorare ſat eſt.
Ipſa tacens ſpecies, ſenis ipſa tacentis imago,
Et nunc tam ſapiens vmbra tacere docet.
Fortunae conſtantis amor, quo ſoſpite nullas
Fatorum potui non ſuperare minas!
Nunc deſiderium ſupereſt, cui par mea quinam
Eſſe queat, tanto fulmine quaſſa ratis!
Auguſtam moriens impleſti fletibus vrbem,
Et Muſas omnes nox inopina metu;
Anxia ceu nauis tumidis iactata procellis
Horret inexhauſti naufraga ſaxa maris.
Aut ferit annoſam tempeſtas plurima quercum,
Fulmine vel pauido terra fragore tremit.
Sic nox illa fuit. Peiorem dicere poſſes,
Vnica quae tanti cauſa doloris erat.
Me miſerum! fuit ille mihi, fuit: occidit, heu! heu!
Occidit & ſecum ſpes tulit ille meas.
Ilicet in lacrumas, heu, ilicet, ilicet, illa
Mortis inoratae praecipitata colus.
Omnibus idem amor eſt flendi, modus omnibus idem,
Et flendi modus eſt dedidiciſſe modum.
Optima ſic demum letho rapiuntur auaro,
Veſcuntur largo deteriora die.
Hic dux, qui nullo periit reparabilis aeuo,
Si qua fides, moritur quolibet ille die.
Vulgus vbi ſterileſque animae. Mihi ſacra quotannis
Soluere ſit genio ſuffragioque Ducis.
Inſtituamque leues tumuli certamina, ludos,
Et figam ſacris bellica ſigna tholis.
Adgemet & rutilis Mauors pater horridus armis
Triſtes exuuias telaque fracta geret.
Voce ſimul grateſque lyra ſe maior Apollo,
Vnicus aeterni nominis auctor, aget.
Sed, quis tam felix, Dux magne! quis exſtitit vnquam,
Impleat eloquio qui tua geſta ſuo?
Carmina fulmineis nam reſponſura lacertis
Mantua cum toto vix Helicone dabit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIII. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Acta in comitiis Varſouienſibus.

VII. Id. Jul. Praeſes conſiliorum exorſus loqui, hunc dicebat eſſe diem decretorium, qui patriae vel ſalutem vel ruinam definiat, certiorque factus a quibusdam collegarum, certa ex aula miſſa huc eſſe quinquaginta imperialium millia, quibus corruptum iri cupiat conſiliorum ſocios, quo minus optatum ad finem comitia perducantur, per amorem patriae, per libertatem, per conſcientiae rectae ſtimulos precari omnes & obteſtari conabatur, nulli aures praebeant perſuaſionibus, quae praeſentisſimum reipublicae minentur interitum, ſed ea potius capiant conſilia, quae ſingulis innata virtus, quae ſummus in patriam amor, quae intemerata conſcientia ſuppeditare & posſint & debeant. Hoc audito, tantum non omnes vno clamabant ore, indicandos eſſe, quos auri ſacra fames ad deteſtandum hoc facinus impulerit, quorum tamen ille pepercit famae, ſperans fore, vt, animis ad iram non prouocatis, male animati a contradicendi ſtudio deſiſtant. Sumebatur itaque ad manus noua conſtitutio, cuius feliciter peractae potiora haec ſunt capita:

1) Meliorem in ordinem redigenda conſtitutio, quae anno huius ſeculi vigeſimo ſexto condita controuerſiam cum aula Romanenſi de iure patronatus complectitur, ſaluo eorum iure, qui beneficiis eccleſiaſticis in praeſenti fruuntur, ſalua abbatum libera electione.

2) Ordo ſeruandus in comitiis ad normam conſtitutionis anno nonageſimo nono factae, quae vult, vt primo ſtatim comitiorum die delegatis prouincialibus praefectus ex ipſorum ſuffragiis conſtituatur, vt, publicatis ad comitia conuocatoria litteris inuitatoriis, protinus exterorum principum legati Varſouia excedant, ne praeſentia eorum libertatem eligendi imminuat.

3) De-

3) Deligendi ex ordine equeſtri Poloniae maioris, qui, fide iureiurando data, a commisſionibus ſint in cauſa praediorum Stanislai regis, coram quibus creditores ſe ſiſtant, ſin minus iuris ſui iacturam faciant, ne tamen iudiciorum publicorum ſiue tribunalium decretis horumque examini aliquid decedat.

4) Venia ſit Sapiehae, cancellario Lithuanorum ſupremo, nec non apud eoſdem curiae fiſci praefecto ſummo Mniſzeckio, huic vt exteras regiones, ille, valetudinis curandae gratia thermas petat.

5) Rege etiam abſente, iudicia, quae aſſeſſorialia audiunt, in Lithuania inſtituantur.

6) Deligendi, qui ciues in Ruſſiam abductos recipiant.

7) Haeredibus aerarii apud Lithuanos praefecti, dum viueret, Kolkae apocha reddatur.

8) Oginskius, palatinus Witepskienſis de meliori commendetur.

His ita geſtis vtque ſuo loco & tempore ita gerantur conſtitutis, producebat comitiorum praeſes litteras Ruſſorum legati ad regem datas, ſuadentes omni modo, vt, Ferdinando hodie duce ſine prole maſcula decedente, ordinibus libera concedatur electio, adiectis auguſtae Ruſſorum promiſſis fore, vt, huic ſatis ſi fiat deſiderio, Curlandia nunquam auellatur a Polonia, nunquam priuilegia huius prouinciae detrimentum capiant, nunquam eadem beneficium ſiue feudum Poloniae eſſe deſinat. Verum articulo huic, dum inter delegatos prouinciales non penitus de eo conueniebat, vt vltima manus in ſenatu imponeretur, conclusum fuit, vt & de inſignibus regni, vt ea per delectos a rege, qui hac in re a commiſſionibus ſint, adſiſtentibus ſummo exercitus imperatore & horum cuſtode, Cracouiam deportentur. Poſthaec Czerniechouienſes delegati proponebant, collegae in vniverſum omnes atque ſinguli, ſe auro aulae ſupra dictae non corruptos eſſe, iuramento confirment. Placuit conſilium omnibus, praeſesque comitiorum primus omnium, ſe nihil aeris accepiſſe iurans teſtabatur, vt alicui moleſtiam crearet, cuius ad exemplum totus componebatur ordo, ſeque liberos nec corruptos auro dixiſſe ſuffragia, iureiurando obſignabant. Supplementum exercitus eiusque augmentum nouum differebatur ad ſenatum, quo praeſes comitiorum, ſtipatus collegis ſuis, conceſſit hora poſt meridiem quarta ferme audita, perorandique licentiam conſecutus adſtare dixit regis patris ſui patriaeque genuinos filios, qui nihil magis in votis habuerint, quam vt per integros hos dies quatuordecim ſe praeſentes potuiſſent ſiſtere; dicentes merito grates Deo, cui conſiliorum progreſſum debeant, permittentes ſenatui concluſorum moderationem, confirmationem regi, quorum praelectionem ſubmiſſa mente expetant. Verba dein qui facere coepit praefectus caſtelli Kyowienſis, Steckius, conquerebatur, equeſtrem ordinem ſenatorio ſolitum

quinque

quinque dierum ſpatium ſubripuiſſe, conſultum fore ratus, vt prorogentur comitia, in quo conſentientem habebat Suiezinskium Rauenſium delegatum, verum negatiuam defendentes ſententiam praeualuerunt.

Pauca, quae reſtant, proxime dabuntur.

Neapoli. XVI. Kalend. Aug. Poſt aduentum curſoris, his diebus, de iis, quae Montemarius dux nuntiaverat, ipſo Carolo Hiſpaniarum principe praeſente, conſilia bellica fuerunt habita. In eos, qui nouam commerciorum legem violant, quam ſeueriſſime animaduertitur, domusque eſt carcer viro equeſtri, qui lucro inhians inſignem adſeruauit tabaci copiam cumque de mulcta viginti aureorum millium nonniſi quinque ſoluere velit, carcerem dubio procul in caſtello experietur. Portum heri noſtrum intrauit Hiſpanorum nauis bellica cum nauigiis aliquot, quae e Sicilia ſeptingentos legionis Farneſanae milites aduexerunt. Praeterita nocte ad horam circiter ſeptimam ex Italorum calculandi ratione, terrae motus ciuitatem, ſine tamen damno dato, concuſſit.

Roma. XII. Kalend. Aug. Secunda praeſentis hebdomadis feria ſolitis ſolemnibus diem feſtum egimus, quo, eccleſiae qui hodie praeeſt pontifex coronatus fuit, ad quem, nomine collegarum, Ottobonus purpuratus, gratulatum acceſſit. Heri mane, qui palatii Hiſpanici ad fores excubias egerunt milites ſtationem ſuam vrbemque noſtram reliquerunt, interim ad euitanda incommoda in mandatis eſt praefecto vrbis & magiſtratui proſpicere, ne quis famulorum publicorum palatium ingrediatur aeque ſanctum habendum ac ſi legatus regis Hiſpaniarum ipſe praeſens eſſet. Altouitus vaſa iterum incipit colligere profecturus in Hiſpaniam, vt pileum offerat principi regio purpurato & dona alia, quibus aulae illius beneuolentiam captare animus eſt. Tres hodie mane curſores aduolarunt, quorum primus Neapoli in Hiſpaniam, ſecundus ex Hiſpania Neapolim tendebat, tertius Vindobona litteras Harrachio comiti, imperatoris apud nos legato, tradidit. Quantum conſtat ſecundus ordine curſor Hiſpanis apud nos commorantibus nuntium attulit, ex indulgentia regis ſui dari licentiam, vt, exactis demum menſibus quinque, noſtra ex vrbe ad patrios lares reuertantur. Nudius tertius adulator monetarum haud ita pridem comprehenſus, ſuſpenſus de patibulo poenas nequitiae ſuae dedit.

Liburno. XIII. Kalend. Aug. Hiſpanorum naues bellicae & aliae noſtrum adhuc tenent portum, nec certi quid adfirmare licet, quando cum reliquiis exercitus Hiſpanici mare altum petiturae ſint. Neptuno irato noſtrum ad littus adpulſa heri fuit Genuenſium nauis, quae Baſtia ſoluens capiebat centum & plures Corſos rebelles, quos variis in conflictibus ad Fanum S. Florentii Genuenſes duxerunt captiuos. Poſt aduentum alterius nauigii e portu

Baſtiano

Baſtiano innotuit, quem fecerunt Corſi male animati, progreſſum armorum ſuborta inter ipſos diſcordia haud leuiter impeditum iri. Barcinone ad nos, vt aiunt, ſex legiones peditum dimidiatae breui venient. Incerto auctore, fama nuntio, accepimus, praefectum nauis Anglicae, qua Theodorus hodie Corſorum rex in inſulam translatus eſt, cognito quod cuſtodiae tradendus ſit, apud Smirnenſes globo plumbeo ſe ipſum traieciſſe. Multorum ex opinione, ſi ea fidem meretur, induciae imperatoris cum tribus in Italia regibus foederatis per menſes quatuor prorogatae ſunt.

E terris Heluetiçis. VII. Kal. Aug. Ex Italia nobis relata referimus, Hiſpanorum aliquot naues Liburno ſolviſſe curſum dirigentes in Corſicam inſulam, vt viribus auctus Theodorus rex, Genuenſibus quae ſuperſunt, loca munita occupet, ſique res ita ſe habet, larua depoſita proxime patebit, quam ille perſonam egerit. Enim vero aliae in contrarium litterae res Corſorum ex diſcordia optimatum valde collapſas docent, quodque Balagnenſium & Nebbienſium pars arma rurſus pro Genuenſibus ſumſerit, tanto ſucceſſu, vt Theodorus cum ſuis in montana ſe receperit. Non deſunt, qui Theodorum in monaſterio Franciſcanorum Montis maioris ab incolis Calenzanis teneri in cuſtodia adfirmant, quodque internecioni datus ſit rebellium princeps Simon Fabianus a coniuncto cognatione cum Lucionio, quem Theodorus, Fabiano ſuadente, diro ſupplicio ſuſtulit.

Londino. VI. Kalend. Aug. Nudius tertius, hora poſt meridiem tertia, accidit, vt volumen chartaceum puluere nitrato repletum atque ſuccenſum, congregatis in Weſtmonaſterienſi abbatia iudicibus, cauſarum patronis & praeſentibus omnibus fumo graui terrorem haud leuem iniecerit. Metu poſito ſchedulae typis excuſae ictuque globi chartacei paſſim diſiectae vbi colligebantur, perſpectum fuit, quinque contineri concluſa in comitiis nuperis, nimirum de ponte nouo Weſtmonaſterienſi, de vino aduſto, de commercio vetito, de mutuo accipiendis aeris Sterlingici ſexcentenis millibus, deque praediis per donationem alienandis, quae ſingula ignominioſis inſcripſerant titulis. Luce heſterna Kenſingtoniae, ipſa regina praeſente, res ea ſanctiora peperit conſilia, in quibus ſtatutum fuit promulgare edictum, quo praemium ducentarum librarum Sterlingicarum ei promittitur, qui vel autorem, vel typographum, vel diſtributorem libelli huius famoſi indicare nouerit.

Dreſda. V. Id. Aug. Nudius tertius exoptata adfulſit dies, qua & quidem horae circa veſpertinae octavae dimidium, rex & regina, e Polonia reduces, ſua nos praeſentia exhilarunt, quem omnibus quam maxime laetum acceſſum populo ter excuſſa tormenta bellica & ciues aedibus egregie illuſtratis indicarunt.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↄIↄcc XXXVI.

Actorum in comitiis Varſouienſibus Epilogus.

VII. Id. Jul. Praelectis in ſenatu nouae conſtitutionis conditionibus, vt finis operi imponeretur, monuit Wieſniewieckius princeps, palatinus Vilnenſis & Lithuanorum ſummus dux exercitus, leges requirere, vt cancellarius regni ſummus regis agat interpretem praefectoque delegatorum prouincialium poteſtatem loquendi daret. Hinc ille regia auctoritate exorſus loqui: diuina, inquit, manifeſte docet prouidentia, quod interitum nolit inclytae huius nationis reuocatis ad concordiam diſcordibus animis, regem itaque praelectionem concluſorum admittere velle. Sine igitur ambagibus operi manus admota fuit & praeuia leuiori contentione, confirmabantur concluſa omnia, quibusdam limitatione illuſtratis, in his, quae amneſtiae legem & ſucceſſionem Curlandicam ſpectant. Excurſiones qui fecit durantibus turbis, Paskowskius veniam factorum a rege & Lithuanorum ſummo exercitus duce ſupplex vna cum filio petebat, eamque ſibi certam pollicebatur, quia nihil non iure belli egerit. Nocte tota rite ordinandis articulis conſumpta & negotio regiae maieſtatis indefeſſa cura confecto, praeſes comitiorum oratione grauitatis pleniſſima valedixit rexque delegatis prouincialibus manum oſculandam praebuit. Tandem, interprete regni cancellario ſupremo, rex declarabat, quod ceperit gaudium ex conſtantia, qua ſalutem patriae promouerint, ſpemque ſimul certam fore, vt prouincias ſuas haereditarias qui petere cogatur, ſub reditum ea regnum tranquillitate offendat, qua his comitiis donatum ſit.

VI. Id. Jul. poſt dimidium horae ſextae matutinae rex cum ordine ſenatorio & equeſtri conferebat ſe

in aedem S. Johannis ad ſacra eucharistica, quae hymno Ambroſiano, praecinente epiſcopo Poſnanienſi, inter ter repetitum tormentorum bellicorum fragorem & continuum tympanorum ſonitum peragebantur, peractisque his ſenatus regem in conclaue comitabatur. Regina colophonem comitiis impoſitam in conclaue vicinum conceſſit ſpectatum cum aulae ſexu ſequiori, ſacrisque interfuit. Quibus ita geſtis tanto laetiora fuere ſolemnia feſti diei diuae Annae, quod auguſtae Joſephi imperatoris viduae nec non regiae principi filiae natu maiori nomen eſt.

Olyſſippone. IV. Id Jul. Sub finem proxime praeterlapſi menſis, Almeidano in Extremadurae prouinciae oppido horrida tempeſtas conterruit ciues, & inprimis fulgure tacta turris, in qua adſeruatur puluis pyrius, cuius tanta, quantam quadringenta capiunt dolia, ſuccenſa fuit copia damnumque haud leue dedit. Claſſis Britannicae, quae noſtro ſupereſt in portu, naues ſunt inſtructae tormentis, Britannia, eaque praetoria centenis, Eboracum octoginta, Burfordia & Centurio, ſingulae ſeptuaginta, Dreadnoughtia, Defiancia, Centurionea, Swallowia, Sunderlandia, Ripponia, Pembrockia & Windſoria, quaelibet ſexaginta, Leopardus quinquaginta, Delphinus triginta, quibus binae incendiariae & minoris ſtructurae ſex aliae accedunt.

Mantua Carpetanorum. XVI. Kal. Aug. Rex, poſtquam ad Fanum S. Ildephonſi abiit, nuntiatur compoſito admodum eſſe animo, quem obambulationibus per hortos piſcandoque recreare ſolet. Actum egit pontificis orator ad hunc vſque diem nec precibus exorare regem potuit, vt ſibi, vel priuato vrbem hanc ingredi liceat, tulitque reſponſum voti ſui non prius compotem fore, quam lis cum aula Romana in integrum compoſita fuerit. Legati Gallorum, Anglorum Belgarumque in cauſa Luſitanica adminiſtros aulae noſtrae quam frequentisſime in colloquium conueniunt. Nec ſocietas Anglorum auſtrum verſus mercaturam exercens per Keenium nationis ſuae apud nos legatum litteras liberi commeatus impetrare hucusque potuit, vt ex pacto nauem ad Americanas Hiſpaniae colonias mittat, aula noſtra cauſam allegante, copioſis valde Hiſpaniam nouam abundare mercibus multumque temporis requiri, vt nuper cum naue eo transmiſſae diſtrahantur.

Lutetia Pariſiorum. III. Kal. Aug. Accidit his diebus, vt in platea noua, cui diuus Auguſtinus nomen dedit, carpento vecti obuiam ſibi inuicem fierent ſenator curiae ſupremae Pariſienſis atque militiae praetorianae dux, quorum alter alterius in gratiam, de via, quam lapidum aceruus difficilem reddebat, declinare cum nollet, accerſendum ille curauit famulorum publicorum praefectum, hic vero cohortis ſuae duces ſecundi ordinis militesque gregarios,

garios, vt pro cuiusuis cauſa ſtarent. Primus qui aduolauit a ſenatore vocatus cum ſuis, litigantes vbi non infimae dignitatis viros conſpexit, in neutrum, inquit, mihi ius aliquod competit, competit vero in lapides, qui litigandi occaſionem dederunt, hos remouendos puto, perque trium horarum ſpatium, quod ad operam hanc praeſtandam requirebatur, vtraque de honore diſceptantium pars mira patientia, ſine vlla contentione, ſubſtitit. Epernonus dux praeſentisſimo vitae periculo his diebus euaſit, ſurgens enim mane de lecto cautus praeuidit ruinam camerae, quae etiam, vix vbi cum ſuis egreſſus fuerat, euenit. Summa in curia monachi Capucini cauſam perorant patroni voti ſui monaſtici ſolutionem expetentis, cumque iuuenilibus annis perſuaſus coactusque fecerit inuitus votum, contenduntque, qui pro ipſo loquuntur, annum ad minimum aetatis vigeſimum quintum in hoc vitae genere eligendo conſtituendum eſſe. Ab inferiori quoque ad ſummum prouocauit magiſtratum miles, cui poena crurifragii dicta eſt, quia foeminae in via publica, quae ad vrbem noſtram ducit, nonniſi ſex aſſibus ſpoliauit. IX. Kal. Sept. Verſaliam rex reuerteretur Compendio, * huiusque in ſaltu vicino quae ſint viae, charta deſignari rex iuſſit, vt errantibus pateant, nec fatum experiantur, expertus quod nuper fuit vir equeſtris, qui hora demum noctis vigeſima ſecunda dictam in vrbem rediit, poſt quam duo & viginti milliaria, noſtra ex calculandi ratione, oberrando conſumſerat.

* *Compiegne.*

Londino, pridie Kalend. Aug. Nudius quartus, quae pridie in ſenatu ſanctiori decreta fuerat, publicatio locis ſolitis euenit edicti, quod ducentas libras Sterlingicas illi ſpondet, qui famoſi libelli detexerit complices, quo leges aliquot in comitiis nuper latis perſtringuntur, qui vero ſub veſperam eiusdem diei typographea nonnulla perluſtrarunt, magiſtratus publici famulis nihil reperire datum fuit. Qui regiam gentem vice vltima ſalutauit patrios ad lares rediturus Sparrius baro, regis Sueciae legatus, ſolito pro more donatus diſceſſit. Reginae quoque in conſpectum venit eruditione clarus * Maffeus marchio, qui per aliquod tempus noſtra in vrbe vixit vaſaque colligit vt proxime Veronam repetat. E contrario ad nos venit Buſinellus, qui, ſucceſſor Imberti, legationem Venetorum noſtra in aula adminiſtrabit. Quosdam de familia ſua Hanoueram euocauit ex vrbe noſtra Montiius comes, Hiſpaniae regis legatus, quo ipſe ex Hiſpania redux concedet, cumque rege e terris haereditariis ad nos reuertetur. Noſtra, quae Olyſſipponenſem tenet portum, claſſis nauibus duabus & viginti abſoluitur. Non defuerunt male feriati, qui motus ciere non dubitarunt ex rumore, quod rex Hiſpaniae Barcinone copias contrahat,

qui-

quibus ſilentium vt imponatur, regina in loco, quo mercatores ſuos agunt conuentus, palam fecit, rem ita ſe non habere, ſique ita ſe habeat, media non defutura, quibus mercatura noſtrae gentis defendatur. Scarsdalius comes ſine prole vita deceſſit, nullique honores reliquit ſuos, ſuas vero facultates ſorori germanae, quae vnica haeres ſeptem aeris Sterlingici millium reditus quotannis conſequitur.

* *Eruditi haud immerito inſignitur nomine Scipio Maffeus marchio, qui eruditiſſimo ſcripto Veronae illuſtratae famam non immerito in orbe erudito ſuam auxit, ſed reipublicae quoque Venetae, cui opus dedicauerat, gratiam meruit, vt honoribus eum publicis ornarit. Prodiit liber quatuor Tomis Italica lingua Veronae A. 1732. fol. de quo & quod conſecutus eſt praemio ex Ephemeridibus Gallorum litterariis plura legi poſſunt in Nov. Litterar. Lipſ. ad A. 1734 pag. 849.*

Ex eadem vrbe. III. Non. Aug. Praefectus hodie Portus Magonis Anſtrutherus, cateruarum ductor ordine primus, praeſes creatus eſt Carolinae auſtralis Americae coloniae, atque ſibi dignitate parem collegam Copium in praefectura, quam vacuam fecit, ſucceſſorem nactus eſt. Formannus typographus cuſtodiae traditus deque eo ſuſpicio eſt, quod libellum famoſum, cuius nuper facta fuit mentio, typis excudere nullus erubuerit, nec ignoret autorem, qui foetum monſtroſum in lucem protulerit.

Lipſia. XVI. Kalend. Sept. Si recens defuncti quandoque in nouis noſtris locum merentur eruditi, quidni illi quoque, quorum ſero poſt fata recolitur memoria. Poeta Hamburgenſium celebris Krüſickius, Lubecae nuper cum inuiſeret Morhofii ſepulchrum, veluti furore poetico agitatus laudes eius cecinit:

MORHOFI *Cineres* ſummi ſaluete Poetae,
Hic vbi DEGINGI Marmor & enſis adeſt.
Sacrati *Cineres*, aeterni nominis *Oſſa*,
Aonidum quondam relligioſa Domus.
Antiqui ſedes Latii, Polyhiſtoris Vmbra,
Quem ſolem coluit Cimbrica Muſa ſuum.
Numinis hic ſenſus tremefactos occupat artus,
Et ſtupet ad *Cryptam* tota Camoena ſuam.
Quid loquimur lapides? vbi pagina ſoepe recuſa,
Ingenium, Virtus, Vrnaque ſacra patent.
Quod reſtat, memori *condamus* pectore Nomen
Relliquiasque ſacras ſaecula docta canant.
Salue, *terra* leuis, *tumulorum* gloria, ſummi
Saluete o *Cineres*, *Oſſa* valete VIRI.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIV. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. IX. Kalend. Aug. Non ſemper felix temeritas, quam triſtem valde experiuntur numero tres Oſtienſes, qui onuſtum tyronibus conſcriptis Hiſpanorum nauigium Fiumecini inuadere auſi ſibi male conſuluerunt, vtpote quibus ad nos deductis ſententia capitis dicta eſt ſuisque vix precibus Acquauiua & Belluga purpurati obtinuerunt, vt dies ſupplicii ad tempus dilata fuerit. Poſt aduentum ante hos octo dies curſoris ex Hiſpania, ipſo principe Hiſpaniarum Carolo bellique & publicarum rerum penes quos eſt adminiſtratio, viris praeſentibus agitata ſunt conſilia, quibus ad finem perductis mandata fuere data ad equeſtres in vicinia noſtra copias, vt ad iter in Hetruriam paratas ſe exhibeant, Caietam vero, vt pedeſtres naues conſcendant, iamque vt conſtat, duo peditum millia, nauibus octo conſcenſis, Liburnum abierunt.

XIII. Kalend. Aug. Carolus dux ſpectatorem egit ſolemnium, quibus quarta nauis actuaria recens aedificata fluctibus dabatur, quae S. Antonii Patauini nomine inſignita fuit. Eius generis nauium prima in praeſenti tormentaria re inſtruitur, vt mare tutum a praedonibus reddat. Nudius tertius, praeuia altercatione, bini equeſtres viri ephebum honorarium Caſtro-Pignanae principis grauiter vulnerarunt tutique vt lateant in monaſterium confugerunt, verum vocati ſunt in ius, termino conſtituto, quo, ſi praeſentes ſe ſiſtere negligant cauſamque perorare ſuam, praedia ipſorum aerario addicentur.

Roma. V. Kalend. Aug. Nudius quartus, incolis variae ditionis, per quam Hiſpani e regno Neapolitano in Hetruriam redire parant, mandata transmiſſa fuere, vt iter facientibus victum pabulumque ſuppeditent. Colloquium his diebus purpuratus, curiae fiſci praeſes, habuit

cum

cum collegis ſecretario publicis in rebus atque Paſſerio de lite componenda cum Luſitanis, ſpesque nos certa alit fore, vt optato conſilia euentu gaudeant. Mouit aliquam ſagacioribus coniectando admirationem, quod nudius quartus Aldrouandus & Alexander Albanus purpurati in colloquium conuenerint Galliae regis legatum, Tuſculo * reducem idque quam diutiſſime protraxerint, accedente & hoc, quod paulo poſt Giudicius purpuratus, cuius in tutela eſt Germania, eundem conuenerit deque incerti argumenti negotio cum ipſo egerit. Qui ſedis Romanae militibus tam peditibus quam equitibus praeeſt Oddus comes, conſultum iudicauit, abolere dignitatem nomenque tribuni, quo a Clemente vndecimo pontifice, durantibus belli turbis, ornati fuere, cumque in conſultationibus apud Riccium, qui a commiſſionibus primariis eſt, quaedam ſe obtulerint difficultates, res ea decidenda ad pontificem referetur. Philippi Corſini principis filius natu maior proxime in equeſtris apud Venetos ordinis album inſcribetur, quod aureum vulgo librum adpellant.

* *Fraſcati.*

Liburno. V. Kalend. Aug. Montemarius, dux exercitus Hiſpanici ſummus, ſibi indulget apud Piſanos, ne tamen otio torpeſcere videatur, excubias, quibus fines tuetur, augendas ſtatuit, vt Hiſpanis caſtra deſerendi pruritum inhibeat, quo quam maxime feruntur, Germanis in vicinia caſtra habentibus. Habere ea quoque iuſſit ſuos milites ad terminos Luccenſis reipublicae, quos Germani ingredi parant, ſed vanum moliri eum opus nuntiatum per curſorem accepit a Noallio mareſchallo, cum pax propediem publicanda ſit. Corſica ex inſula litterae ad familiares ſe ita habere teſtantur, quod cognatione coniuncti cum Lucionio, apud Corſos rebelles nuper ſupplicio adfecto, Simonem Fabianum coryphaeum ſanguinisque fuſi auctorem, in agro Arezzano quem offenderunt, globo plumbeo traiecerint. Dignus quoque quam maxime eſt notatu nuntius, quod Theodorus rex, vt ſalutari cupit, in eo cum eſſet, vt pro ſua auctoritate cuſtodiae tradendos curaret principes Corſorum rebellium, Aitellum, Raffaelium, Paolum & alios, hi, ſuis freti adſeclis, maſcule ſe oppoſuerint ſicque rebelles in duas abierint factiones, Genuenſibus multum inde lucri ſperantibus.

Mediolano, Kalendis Aug. Ante octiduum miſſus a Kheuenhüllero comite, ſummo caeſariani in Italia exercitus duce, curſor Cicerio comiti, imperatori noſtris in terris a commiſſionibus, nuntiauit, tandem difficultates nouae pacis remotas ita eſſe, vt rex Galliarum contentus in praeſenti ducatu Barenſi relinquat Lotharingiae duci eiusdem nominis prouinciam, donec magnus dux Hetruriae vacuam morte ſedem faciat. Hinc ipſi militiae Gallicae duces nul-

nulli diffitentur certo certius futurum eſſe, vt ſub medium menſis huius noſtra prouincia imperator tradatur, deſignato iam a Stampa, ſummo militum duce, qui regi Sardiniae Dertonenſem atque Nouarrenſem regionem occupandam permittat. Dictus rex vtramque per architectos militares quam accuratiſſime limitibus circumſcribendam delineandamque curat & ad ſenatum huius vrbis ſummum perſcripſit, vt cauſae forenſes nullae amplius decidantur, ſed in ſuſpenſo maneant. Praeterea ſupra commemoratus, imperatori a commisſionibus qui eſt, Ciceriu comes magiſtratui vrbano imperauit accuratam conſignationem hoſpitiorum, quibus foederatorum regum milites a menſe Nouembri anni trigeſimi tertii ad praeſens vſque tempus vſi ſint, quo ſolertiorem in rebus noſtris ſe queat gerere.

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Aug. Noua ex Italia reditum noſtri exercitus quo certiorem praenuntiant, eo e contrario longius diſtantem Hiſpanorum, qui Hetruriam ſi ingrediantur Germani, Liburnenſi in agro caſtra ponere decreuerunt & quemcunque experiantur hoſtem excipere, vt locum hunc maritimum defendant, multisque perſuaſum eſt, regem Hiſpaniae nouo apud Barcinonenſes belli adparatu nihil aliud intendere. Monachus, cuius nuper mentionem fecimus, non Capucinus ſed Maturinus, cauſa coram iudice ſtetit & abſolutus voto monaſtico, iure ciuium donatus fuit. Academia ſcientiarum & artium quae Pali * in Bearnia floret, aureum ſtatuit nummum ei dandum, qui omnium optime demonſtrauerit, maiori eſſe voluptati, laudem mereri nec meritam conſequi, quam conſequi, ſi quis eam non meruit. Qui in obſeruatorio regi aſtronomiae operam dant, aeſtum huius menſis ad ſummum adſcendiſſe gradum annotarunt tantum, quantum per annos quinquaginta eueniſſe nemo meminerit, praedicentes morborum frequentiam, ſi continuaret, laetam vero vindemiam largamque ſibi omnes pollicentur.

* *Pau.*

Vindobona. VI. Id. Aug. Nudius tertius gemini poſt aduentum curſoris, Erizzo, Venetorum legatus, imperatoris confeſtim colloquio gauiſus eſt, quique de futuris tanquam de praeſentibus calidiſſime coniiciunt, ea ſunt in opinione, Venetos haud alium in finem terra marique bellum parare, quam vt, fortuna Turcis in praeſenti non blandiente, olim ſibi ab his erepta recuperent. Ad finem quoque ſuperioris & ſub initium huius hebdomadis ex Italia, Gallia, & aliunde quam plurimi aduolarunt curſores. Legiones nouem equeſtres ex Italia, ſimul ac Hiſpani Hetruriam reliquerint, non per Tiroliam, bello durante valde exhauſtam, ſed ad Atheſim recedent fluuium nauibusque traiicientur Tergeſtum, * vt in Hungariam iter proſequantur, cuius itineris ratio Pallauicini marchionis rei nauticae

cae praefecti ſupremi ſummique militum ducis curae eſt tradita. Adrianus Sintzendorffius comes, tribunus militaris, cum mandatis caeſareis incerti argumenti ſuperiori iam hebdomade in Italiam profectus eſt. Wutgenauius, ſummus dux militum & caſtellorum, quae imperatori ſunt, muniendorum praefectus ſummus, iter aggreſſus eſt in terras Rhenanas, ſingulasque quibus firmata ſint munitionibus, vrbes delineare ſtatutum cum animo ac deliberatum habet cumque Vindobonae, antequam abiret, delineatione initium fecit. Chirurgus Lotharingiae ducis, huius, quae vterum fert, coniugi venam ſecando praemium tulit, donatus ab imperatore torque, cuius pretium loquitur aurum & effigies imperatoris, quae gemmis diſtincta renitet. Plurium voluitur manibus exemplar litterarum, Gallico idiomate conſcriptarum, quibus imperator Turcicus ſummo exercitus ſui duci Achmeto cum Perſis paciſcendi poteſtatem dedit. Coeterum Conſtantinopoli nuntiatur, praeſidio oppidi Tartariae Crimenſis ſiue Praecopenſis Koslowii praeter ſpem omnem atque opinionem nauibus aliquot aduentante, metropolim Turcicam haud aliter terrore commotam fuiſſe, ac ſi Hannibal Rusſique ad portam ipſi eſſent. Quae belli Perſici aduerſa fortuna non minus ac ſuſpicio, quod imperator olim Achmetus tertius in carcere extinctus ſit veneno, impulerunt imperatorem hodie infelicem, vt firmo praeſidio inſtructus Adrianopolim diſceſſerit, vbi omne fugiens hominum conſortium in publicum non prodit.

* *Trieſte.*

Lipſia. XII. Kalend. Sept. Naenias hactenus exhibuimus funebresque inſcriptiones, in praeſenti alterius argumenti, in gratiam poeſeos cultorum, placet adiicere epigramma, quo auctor, quiscunque ille ſit, Goettingenſis academia noua nouo Georgiae Auguſtae nomine inſignita cur ſit, definit ſatis eleganter, praeſertim ſi in perlegendo diſtichon de Johanne negligatur, ſaluo luſu, ſalua connexione, quae Apollini cum Baptiſta nulla eſt:

Quum Muſae altercarentur de nomine vero
Veſtri Palladii, disſidiumque foret;
Quale fuit quondam, tum quum baptiſta Joannes
Appellandus erat nomine patricio:
Riſit Apollo & ait: doctae nolite ſorores
Rixari: nomen nam pater ipſe dabit.
Mox Genitor ſapiens lites componit amicas
Gnata gerat, ſcribens, nomen vtrumque meum.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIV. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↃIↃcc XXXVI.

Mantua Carpetanorum. IX. Kalend. Aug. Soepius variant rerum euentus & conſilia pro rerum incidentium nouitatibus immutanda. Immutandum itaque noſtrates in America duxerunt, quod ceperant conſilium de expugnanda Luſitanorum Noua Colonia, quam praeter ſpem maiori praeſidio & bellicis rebus Janeira ſubſidio miſſis firmatam, in obſidione ſaltem tenere decreuerunt, binas vero, quae obſeſſis fuere, naves occuparunt. Solito frequentiores ad Galliae regis legatum Vaugrenanium marchionem aduentant curſores, quorum vnum, habitis cum Patinho conſiliis, Lutetiam Pariſiorum remiſit. Venetorum quoque legatus Capellus his diebus in aulam conceſſit relatum, quod reipublicae ordines per curſorem nuntiarunt. Barcinone & Gadibus eodem, quo coeptum eſt, feruore & ſtudio bellum paratur.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Aug. Antiquum ſapit, quicquid ex Italia nouiſsimis accepimus litteris, deque diſceſſu ex Hetruria nullus cogitat, cogitat vero de mora in deliciis conſumenda Montemarius, dux exercitus Hiſpanici ſummus, ſuaeque conſuluit ſecuritati, ſtatutis ad terminos excubiis, quae Germanos ſpeculentur. Drama muſicum nouum III. Non. vel pridie Aug. fieri curauit aedesque ipſius apud Piſanos viri equeſtres frequentant quotidie valde multi, ludis, choreis epulisque vt recreent animos, in quibus excogitandis ille totus eſt. Barcinone relatum habemus, copias ad manus eſſe nauibus proxime imponendas, quarum pars Corſicam inſulam petet, altera Hetruriam, quam Hiſpani omni modo ſibi vindicare ſtudent. Aliorum ex coniecturis claſsis haec valido armatorum numero onuſta curſum diriget Minoricam in inſulam, ante vt eam occupet, quam vel Olyſſippone vel

ex patria Angli ei ſubſidio veniant. Enim vero vno ictu proſternit hanc ſententiam, has noui belli minas, nuntius, quem Noallius mareſchallus per curſorem his diebus aulae noſtrae expoſuiſſe traditur, quod Oriano in oppido, quas inſtituerunt conſultationes dictus Noallius & Khevenhüllerus comes, felicem habuerint ſucceſſum, vt, ſolutis, quae ſuperfuere, dubiis, & concluſo in Hiſpanos redundante, noſtrae copiae breui in patriam ex Italia iter aggreſſurae ſint. Borbonius dux, cuius vxor partum nondum, vt fama tulit, enixa eſt, Chantilliana in arce ſolemnibus multis epulisque magnificis excipere inſtituit regem, qui Compendio * Verſaliam rediturus eo diuertens feſtum Ludouicianum ibidem celebrare ſtatutum cum animo ac deliberatum habet.

* *Compiegne.*

Londino. VII. Id. Aug. Ex gratia regis, Gledhillio & Cunninghamio nuper defunctis, & quidem huic in praefectura Scotiae Inuerneſſana Wilhelmus Kennedius, illi in Terrae nouae Plaiſſanciana Henricus Copius, ſuccedent. III. Non. Aug. qui per aliquod tempus regis Sueciae apud nos legationem adminiſtrauit, Sparrius baro, cum omnibus ſuis, Holmam iter aggreſſus eſt. Eodem die typographus, reus quod libellum famoſum, cuius plus vice ſimplici mentio facta fuit, prelo ſuo ſubmiſerit, examen ſubiit ſecretarii publicis in rebus cauſamque ſuam tam bene dixit, vt libertate donaretur. Cuius generis ſcripta male feriatorum quotidie plura in publicum prouolant multisque ſcatens iniuriis heri rurſus mane direptum fuit adfixum foribus aedium, in quibus mercatores ſuos ſolent agere conuentus, ſperant tamen bene animati fore, vt tandem detegantur impii fraudatores ſuaeque proteruiae poenas promeritas luant. Cumbriae dux, princeps regius, litteras ad regem parentem petitorias exaraſſe dicitur, ſibi vt liceat conſcendere nauem claſſiculae, quae ad Belgas tendens rediturum in Angliam excipiet. Probato ab his, qui ſenatui rerum maritimarum a commiſſionibus ſunt, conſilio, aedificandi nauigia viginti tormentis bellicis & noua ratione remigibus inſtruenda, proxime Deptfordiae binis ita comparandis initium fiet. Scarsdalius comes nuper defunctus ad monumentum ſepulchrale in aede, quod Derbienſi ſitum eſt in prouincia, oppidi Suttonenſis ſibi ſtruendum mille libras Sterlingicas teſtamento legauit. De ſumptibus colligendis deliberatur & loco, quo exſtruendae ſunt aedes, in quibus alimenta infantibus expoſititiis praebeantur. Quidam, Reynoldus nomine, de patibulo heri ſuſpendebatur, ſuſpenſus more ſolito ſoluebatur, ſolutus non plane exſpiraſſe viſus eſt populo, qui eum ad dimidium lapidis a Tiburnenſi loco ſupplicii ſitum in pagum detulit, vtque fama fert, venae ſectione in integrum reſtituit. Oglethorpius, cui ſalutem debent Georgiani in

America,

America, hos cum vicinis conciliauit Hiſpanis, vt ſedem ſuam tuti inhabitare queant.

Haga Comitum. XIX. Kalend. Sept. Ordines Hollandiae in ſuo, quem craſtina luce renouabunt, conuentu, inter alia, vt fama fert, deliberabunt de arbitrio pacis, ab aulae Turcicae purpurato in ſubortis cum auguſta Ruſſorum disſidiis, per litteras nuper ſibi oblato, deque eodem cum ordinum foederati Belgii delegatis Vhlefeldius comes atque Goloſkinus legati egerunt. Rex magnae Britanniae curſorem ablegauit Conſtantinopolim cum reſponſoriis litteris ad eundem Turcicae aulae purpuratum, ſimulque cum mandatis ad Faulkenerium, ſuum ibidem legatum, quae ipſi in hoc transactionis negotio attendenda ſint. Conditiones auguſtae Ruſſorum, quarum ſit fides penes auctorem, ita ſe habere dicuntur: (1) Tanais Ruſſiae pareat; (2) Maneant in tutela Ruſſorum quicunque eam implorarunt Tartari; (3) Crimenſis Tartaria Ruſſiae ſit tributaria; (4) Liberam Rusſi in Ponto Euxino nauigationem exerceant; (5) Vtrumque & Rusſicum & Turcicum imperium nouis circumſcribatur terminis; (6) Pacis habeantur ſocii Ruſſi, quam Turci cum Perſis inire meditantur. Olyſſippone poſtquam aduolauit his diebus curſor cum nuntio belli ab Hiſpanis in America Luſitanis illati oppugnando Nouam Coloniam, Acunha, regis Luſitaniae legatus, hoc de argumento litteras ordinibus foederati Belgii tradidit. De eodem quoque cum delegatis reipublicae ordinum egit, qui res Anglorum, abſente legato, apud nos curat, Treuorius, vt & cum Hiſpaniarum regis legato, actorumque rationem per curſorem regi magnae Britanniae apud Hanoueranos degenti reddidit. Idibus Julii Vindobonae nouam imperatorem inter & Galliae regem ad finem perductam eſſe conuentionem & ſubſcriptione firmatam nulli dubitant, dubitant vero multi de eo, quod litterae ad familiares referunt, nihil amplius inter vtrumque, quid? inter omnes Europae reges & principes, ne Luſitanis quidem exceptis, difficultatis reliquum eſſe & omnia ita ordinata, vt pace in vniuerſum omnis Europa gaudeat.

Hafnia. III. Id. Aug. Tranquebaria ex Aſiae prouincia, Danorum colonia, ad nos III. Non. Oct. ſuperioris anni datis ex litteris quantum noſſe datur, a die dicto anni trigeſimi quarti ad eundem quinti, coetus chriſtianorum trecentis atque nouendecim recens conuerſis accreuit, vt in vniuerſum bis mille ducentis viginti & duobus abſoluatur, quorum Malabaricam ad vrbem octingenti ſeptuaginta & quatuor, ad viciniam mille octoginta & nouem, ad Luſitanorum gentem ducenti quinquaginta & nouem ſpectant, praeter catechumenos, quorum centum & octoginta numerantur. Scholas frequentant liberi centum quinquaginta & ſex, quorum maxima pars, nimirum centum viginti & nouem ſumptibus ſocietatis de

de propaganda fide aluntur, valedicentes etiam, ſi quod vitae genus ſibi eligunt, per integrum & plures menſes ſtipendia accipiunt, dictumque per annum eadem ſocietas quinquies mille ducentos octoginta & nouem imperiales ad propagationem euangelii impendit. E typographeo illius loci Malabarica lingua hiſtoriae eccleſiaſticae compendium, Germanica & Malabarica rudimenta Grammaticae; Belgica vero ſtatus miſſionis praeſens, prodierunt. Madraſiana pariter eccleſia per annum ſuperiorem octo & quinquaginta tyrones chriſtianae religionis collegit.

Vindobona. III. Id. Aug. Nudius tertius Johannes Palfius comes, ſummus caſtrorum praefectus, Felsbacum conceſſit cum Wenceslao Lichtenſteinio principe, qui heri natalem ſuum ibidem celebrauit, vnde vterque ad caſtra in Hungaria proficiſcentur. Curſores Vindobona Conſtantinopolim copioſius abeunt & redeunt, cumque tantum non quotidie de rebus Turcicis ſanctiori in ſenatu deliberatio fiat, breui cognitum erit Ruſſorum cum Turcis contentio transactione finienda an bello difficili decernenda veniat. Bini Venetiis poſtquam aduolarunt curſores, fama percrebuit, rempublicam caeſarianis octo vel nouem legionibus in Hungariam ex Italia iter facturis tranſitum negare, cauſam interferendo, quod annona & pabulum vix ſuis ſuppetat militibus. Coeterum comparat respublica Veneta claſſem duodecim nauium maiorum, quem in finem minus exploratum ac cognitum eſt, nec facile fidem merentur, qui contendunt, Liburnum eam curſum directuram eſſe, vt Hiſpanos Hetruria expellentibus caeſarianis auxilium ferat. Plettenbergius comes, futurus in aula pontificis legatus, iter Romam maturare iuſſus eſt. Ex relatione nouiſſimi curſoris, quem Kheuenhüllerus comes ad nos miſit, Galli e terris Mediolanenſibus tandem diſcedere inſtituunt, herique eum in finem, qui res ordinet militares, Keslerus conſilio bellico adſcriptus, iter in Italiam aggreſſus eſt. Rumor raucus factus eſt, qui in vulgus emanauerat, abitum parare Lotharingiae principem viduam, vtpote quae per aeſtatem in quodam praedio commoratura, quaedam ſaltem, quae moueri poterant, Lunae Villa deportanda curauit. Hiſpanorum adparatus belli qui fit Barcinone, aulam noſtram, quantum videtur, parum aut nihil ſolicitam reddit. Hodie mane Philippus princeps Haſſiae Darmſtadienſis, Mantuae olim praefectus, vitam cum morte commutauit. Mutauit eam quoque, vt relatum accepimus, anno ſuperiori & quidem nocte, quam excepit dies VIII. Id. Oct. Chinenſium imperator Yon-Te-Kim, qui anno ſeculi praeterlapſi octogeſimo ſecundo natus, anno huius ſeculi vigeſimo ſecundo patri ſucceſſerat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXV, PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↃIↃcc xxxvi.

Neapoli, pridie Kalend. Aug. Quae in hoſte etiam laudanda eſt , virtus exhibita in nupero bello a militiae Hungaricae equitibus, mouit Carolum Hiſpaniarum principem, vt eorum ad leges conſcribere decreuerit Albaniae incolas , ſperans fore , vt eodem ſub palliolo militari ingens quoque lateat fortitudo hancque morum conuenientia dataque ex praeda ſe locupletandi poteſtas producant. Coeterum facies rerum plane in contrarium mutata videtur, tantumque abeſt, vt, omnium quae fuit opinio, noſtris e terris in Hiſpaniam traiiciantur copiae , vt potius ad nos quaedam Barcinone veniant, malo accedente omine , quod Capuam inter & Auerſanum oppidum caſtra ponenda dicantur, quae quatuordecim capiant millia. VII. Kal. Aug. Stiglianus princeps vicarium egit Caroli ducis, ſuſceptorem quem ſui infantis erogauerat miles corporis cuſtodum e numero , nec inuitum , vtpote qui & ſacerdotem baptiſmi adminiſtratorem & puerperam viginti donauit aureis, quos Zechinos adpellamus. Pozzuolanum intrarunt portum quatuor Melitenſium naues actuariae ducentes Algeriorum nauem , quam expugnarunt, praedatoriam, quae, tormentis inſtructa ſeptuaginta , armatos ſexcentos capiebat.

Roma, pridie Non. Aug. Vltima ſuperioris hebdomadis feria, poſt ſolis occaſum, Rauenna venit curſor cum litteris Alberoni purpurati, quas ipſius apud nos res curans conſilio publicarum rerum tradidit, quantumque noſſe datur, Kheuenhüllerus comes dictum purpuratum fecit certiorem breui fore, vt exercitus caeſarianus, cui praeeſt , e ſedis Romanae finibus omnis diſcedat. Poſtero die, prima nimirum currentis hebdomadis feria , ex mandato pontificis, purpuratum publicis in rebus qui a ſecretis eſt, collegae Corſinus, Gen-

tilius

tilius & Paſſerius conuenerunt in colloquium de excogitando medio, quo omnium optime Hiſpanica & Neapolitana aula conciliari valeat, & die proxime ſequenti pontifex accerſendum curauit Chigium Montorium marchionem, conſeruatorum populi Romani ordine primum, vt ſuam quoque diceret ſententiam, quomodo offenſis, vt volunt haberi, aulis fieri ſatis poſſit aut debeat. Nudius tertius, ciues Velitrenſes qui vexillo ſuppeditato inſigniter in tumultu nupero iuuit ſartor ab eo tempore apud nos in carcere detentus, eo reductus fuit ad audiendam ſententiam, quam ei dicet, qui in puniendis ſontibus a commiſſionibus eſt Clarellius, cuius in inquirendo ſeueritas multis fugam ſuaſit male ſibi conſciis. Heri mane Vindobona accedens curſor confirmauit nuntium traditis Harrachio litteris de diſceſſu proxime inſtanti Germanorum e regione pontificis, quam ſuperioribus diebus Alberonus purpuratus fide non minori praedixerat. Pontificis, hodie qui eccleſiae praeeſt, ſtatua praeterlapſa hebdomade erecta fuit e marmore Carrarenſi ſtructa perita manu Cornubrini ſculptoris, qui ante annos iam aliquot ſpecimen artis ſuae egregium dedit fabricando ſtatuam Caroli magni equo inſidentis, iudice non vno comparandam merito cum ea, quae Conſtantinum magnum referens, auctore Berninio equite, in Vaticano conſpicitur. Diſcordiis nondum plane ſopitis cum Hiſpanis, nouae progerminare dicuntur cum Gallis, quorum legatum aiunt pariter abitum meditari minarique moleſtiam, quae priori non leuior foret.

Liburno. III. Non. Aug. Nudius quartus modico admodum cum comitatu vrbem noſtram ingreſſus Montemarius dux drama muſicum frequentauit, coenamque ſumſit apud Zenonem rei maritimae praefectum, hora noctis quinta vero Piſam receſſit, habito prius, ne ſolis vocatus deliciis adfuiſſe crederetur, colloquio cum praetore claſſiculae ſeptem nauium bellicarum Hiſpanicarum, quae portum noſtrum tenet. Fama, quae omnia in maius extollit, caſtra Germanorum ad fines Luccenſium ampliora fecit quam revera ſunt, vixque centum equites Hungarici eadem de nouo intrarunt. Corſica in inſula, quantum adparet, fortuna in altum extulit Theodorum regem nouum, vt lapſu grauiori rueret, ſi enim Genuenſi, in propria cauſa teſti, nauis praefecto fides habenda eſt, iterato ex praelio Corſi rebelles diſceſſerunt inferiores. Id vero tam certum quam quod certisſimum eſt diffidere inuicem noui regis adſeclas, quare Genuenſes, a commiſſionibus in hoc negotio quem habent, Riuarolae marchioni Baſtiae praefecto dedere mandata, vt paciſcendo cum male animatis lucrum ex diſcordia ipſorum faciat. Genuae, quae multorum haud profuit ſanitati, copia farinae magna publice cremata, maior

in

in mare vicinum proiecta fuit. Conſultationibus nouiſſime repetitis a Kheuenhüllero comite & Noallio mareſchallo, vtriusque & caeſariani & Gallici exercitus ducibus ſummis, nodus vnus alterue Gordius perhibetur ſolutus diſceſſusque e terris Mediolanenſibus peregrini militis proxime inſtare.

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Aug. Litterae ex Italia III. Kalend. & pridie Kalend. Aug. datae dubitare nos non ſinunt de felici conſiliorum euentu, quae Kheuenhüllerus atque Noallius VII. & IV. Kalend. Aug. apud Orienſes agitarunt, nullas vero referunt circumſtantias, de quibus etiam Lautrecus comes ſuis in litteris ſilet. Meram itaque coniecturam dixeris adfirmantium, quod Cremona hoc ipſo die vacua haberi queat facta, faciendaque ad XVIII. Kalend. Sept. Mediolanenſis prouincia; quod in acceſſu conſtituti ſint Germani, vt loca, quae Galli atque Pedemontani reliquerunt, occupent; quod noſtrae copiae breui domum facturae ſint iter, quod Noallius mareſchallus iam aggreſſus ſit. Meram quoque ſapit coniecturam, eodem tempore Philippoburgum & Kehlenſe munimentum tradendum Germanis Lotharingia nobis tradita, pacemque proximo menſe publicandam fore. E contrario non omni caret fundamento relatio de reſponſo regis Hiſpaniae tandem accepto, accepto minus & grato, cum de iure ſuo in Hetruriam cedere totus recuſet, ſique res ita ſe habet, ad oculum patet, Barcinone collectum iri exercitum non alium in finem, quam vt in ſupplementum copiarum ducis Montemarii illarumque quae e terris Neapolitanis in Hetruriam reuerti ſtatuunt, Liburnum traiiciantur, traiectas quoque eo iam eſſe viginti peditum legiones dimidiatas nonnulli adfirmant.

Ex eadem vrbe, eodem die. Semel iterumque facta eſt mentio praetenſionum, quibus regina Hiſpaniarum aulae Romanae moleſtiam creare ſuſtinet, gratum ſcilicet vt animum, filium principem in purpuratorum coetum lectum eſſe, teſtetur. Contendit illa, Benedictinos & Bernhardinos ex Hiſpania euocandos aut ad minimum ad certum numerum reducendos, eorumque reditus valde inſignes arbitrio regis permittendos eſſe. Contendit praeterea filio principi, regi hodie Neapolitano, poteſtatem concedendam, vt, quem velit, dignum purpura decernat & beneficia eccleſiaſtica regni ſui pro lubitu adminiſtret. Pridie Non. Aug. regi fidem iureiurando dedit ſecretarius publicis in rebus S. Florentinus comes, recens conſtitutus ordinum, qui regi ſunt, equeſtrium procurator & ſecretarius, qua in dignitate Chauuelino, ſummo ſigilli cuſtodi, ſucceſſit. Delegati ordinum Languedociae luce heſterna Compendii* colloquio regis gauiſi ſunt. Heri mane Borbonia princeps filiolum, gentis ſuae delicium, in lucem protulit nullumque duci Borbonio haeredem futurum adſerentium ſententiam

in-

infregit ſummo Condaeae domus cum gaudio, quod ſolemnibus multis publice declaratum fuit, herique poſt meridiem principes regio ſanguine creti vtriusque ſexus aulae optimates & reliqui gratulatum ad eum acceſſerunt. VIII. Id. Aug. mane Richelia princeps pariter filium eumque alterum enixa fuit.

* *Compiegne.*

Londino. IV. Id. Aug. Luce heſterna ex mandato reginae, cancellarius eques, praeſes ſenatus ſummi, Harringtonus eques & quidam alii Weſtmonaſterienſem ſe contulerunt in abbatiam regnique comitia ad XI. Kalend. Nov. prorogarunt. VIII. Id. Aug. hebdomadis huius feria ſecunda, textores quidam, natione & Angli & Hiberni in diuerſorio Schoreditchenſis tractus vrbis noſtrae vbi confluxerant, diſputatum fuit de praerogatiua & vtriusque nationis praeſtantia, Anglique querelas mouebant de vili pretio, quo adducti Hiberni praeſtare ſoleant operam ſibique lucrum faciendi occaſionem praeripiant, hi vero contumeliam, vel ideo quod veritatem ſaperet, aegre ferentes numero cum praeualerent, illos aedibus expulerunt. Expulſi aliorum opificum aucti viribus, aedes & has & alias, quae Hibernos capiebant, conabantur inuadere, inuaſiſſent quoque vi ſumma, niſi quatuor militum cohortes & vna turris Londinenſis praeſidiaria colluuiem diſſipaſſent. Poſtero die tumultus maiori Anglorum cum confluxu, nec non nudius tertius & heri repetitus fuit, in quo vtriusque partis quidam occiſi fuere plures vulnerati. Militum numerus auctus impedire haud potuit, quo minus plebs tumultuoſa cateruatim per vicos vrbis diſcurreret, nec erubeſceret ab opulentioribus paſſim ciuibus tributum nequitiae ſuae exigere. Captis vero aliquot ſceleris ſociis militumque manu validiori adhibita, tranquilla magis hodie facies ſecuritatem reſtitutam pollicetur. Eiusdem argumenti rixae Cantiana & Surriana in prouincia inter opificum operarios Anglicae & Hibernicae nationis, ſubnatae nunciantur, ſique per vigilantiam magiſtratus licuiſſet, Angli, impares numero Hibernos caede nefanda ſuſtuliſſent. Kenſingtoniae heri celebratis in conſiliis deliberatum fuit de praecauendis huiusmodi per regnum vniuerſum turbis, illisque ad finem perductis curſor ad regem in Germaniam abiit. Legionibus vbicunque conſtitutis in mandatis eſt, praeſto eſſe, ſi quem multitudo conſpirandi pruritum prodat.

Egra. XIX. Kalend. Sept. Schlackewerda laetum accepimus nuntium de filio nato Badae Badenſi principi III. Id. Aug. quodque recens natus infans poſtero ſtatim die ſacra baptiſmatis vnda adſperſus atque nominibus Ludouici, Mariae, Joſephi, Georgii, Wenceslai, Johannis Nepomuceni, Bernhardi, Hermanni atque Adami inſignitus fuerit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXV. A. P. C. N. — PARTIC. II. cIↃIↃcc xxxvI.

Mantua Carpetanorum, pridie Kal. Aug. Dulce bellum inexpertis, expertis vel leuiſſimum quid dulcius eſſe poteſt, quam grauiori ſe metu liberatum videre & periculo? Non poterit non magnae eſſe laetitiae Luſitanis in America bellum opinione citius finitum, dicitur enim rex, cognito, quod noſtrates naues aliquot Luſitanorum expugnauerint oppugnauerintque coloniam eorum, cui de Sacramento nomen eſt, dediſſe mandata, vt obſidionem protinus ſoluant & arma aduerſus hoſtem, quem ſibi elegerunt, in totum deponant. Haec dum geruntur in nouo orbe, ſpes quoque pacis in Europa adfulget, quam non plane dubiam iniiciunt ſolito frequentiores Vaugrenani marchionis Gallorum legati cum aulae noſtrae adminiſtro Patinho conſultationes, & numeroſi admodum curſores, quos ille geminos ternosue Lutetiam Pariſiorum per ſingulas hebdomades ablegare ſolet, ſuntque in ea opinione multi, conſilia de imperatore nobis conciliando gaudere optato ſucceſſu, forte etiam fore, vt vel primus e Gallia curſor, pacis negotium penitus confectum renunciet. Montiius comes, apud regem magnae Britanniae legatus, per dies iam aliquot in vrbe noſtra commoratur proximisque diebus in Angliam, vt ſuo rurſus fungatur officio, iter aggredietur.

Lutetia Pariſiorum, Idibus Aug. Fallunt & falluntur, qui terminum pacis publicandae nimis anguſtum ponunt & difficultates, quae obfuerunt, Orienſi in conuentu omnes eſſe ſolutas adfirmant. Quasdam ſoluerunt dicto in conuentu dux vterque ſummus, Noallius mareſchallus & Kheuenhüllerus comes, modus tamen ignoratur, nec ante patebit, quam miſſi ad nos & Vindobonam curſores eo redierint. Negari non poteſt, quod conueniat impera-

peratorem inter & regem Sardiniae de finibus conſtituendis huicque numero tribus & ſexaginta feudis conceſſis, indignante licet Genuenſi republica, quae ſuis nobili de gente natis ciuibus conceſſionem hanc incommodo ac detrimento fore praevidet. Negant vero & pernegant ſagaciores publicarumque rerum periti prius ex Italia reuocatum iri copias, quam Hiſpani ex Hetruria diſceſſerint, diſcedere qui nolunt ex prouincia, quam reuocata ex Hiſpania regnoque Neapolitano ſatis valida manu Carolo principi vindicare toti ſtudent. Sit fides quoque penes autorem, quo in vulgus emanauit rumor, Belislium veniſſe ad Treuirenſes, vt deducto noſtrae nationis praeſidio, vrbem electori Treuirenſi proxime reddat, mille & octingentis iam in vicinia conſtitutis eius militibus, qui ſedem vacuam ingrediantur, cui repugnat nuntius, quod praeſidium Philippoburgenſe per integrum trimeſtre annonam ſibi denuo comparauerit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Opinio ad nos venit, nouum Corſorum regem Theodorum, hominum ſe ſubduxiſſe oculis & manifeſto periculo, quod ſibi ex adſeclarum diſcordia imminere praeuidit. Cantimirus princeps, auguſtae Ruſſorum in aula Britannica legatus, ſuperiori hebdomade ad nos acceſſit breuique in Angliam rediturus eſt. Quem nuper in lucem protulit Borbonia dux filium, rex principis Condaei nomine inſigniendum ſtatuit. Nudius tertius cauſa coram iudice agitata fuit Bruyſiae, quae, patre Cortio Ferteo marchione nata vult videri, matre Bouteuillia, cuius ſexaginta & plures epiſtolas, plenas amoris materni, cauſarum patronus pro ipſa ſuo in ſcripto produxit. Accidit nudius tertius noctu, vt dux quidam iuuenis ad amaſiam per feneſtram tentaret aditum ſibi alia ratione denegatum, ſed minus feliciter, illa enim conterrita malae, vt putabat, notae hoſpite, excubitorum implorauit alta voce auxilium, qui incautum comprehenderunt, comprehenſum cuſtodiae tradiderunt, traditus vbi hoſpitii huiusmodi impatiens nomen profiteri coactus fuit.

Londino. XIX. Kalend. Sept. Plebs ſeditioſa, quas nuper Shoredithano & Spitleſieldiano vrbis noſtrae tractu dederat, turbas IV. Id. Aug. in Goodmansfieldano renouauit. Abſit hos dicere tenebrarum filios, qui lucis amantes magno clamore flagitarunt feneſtras luminibus fieri illuſtres, miniſque adiectis de aedibus negligentium deſtruendis & excuſſis ſecus agentium feneſtris effecerunt, vt, per quas incedebant plateas, & ſubita & optata luce gauderent. Subito itaque & optato pariter auxilio opus erat, quod praeſidiarii turris Londinenſis milites iique incendiarii praeſtiterunt, qui diſſiparunt colluuiem, comprehenſis nouem & in his ſex carcere dignis ex ſententia iudicum, qui eos poſtero die examinarunt. Sub veſperam proximam

mam quies ſeruata eſt publica iisdem militibus excubias agentibus, quorum in locum nudius tertius alii ſuccedebant. Coelo veſperaſcente heri Charing - Croſſano in tractu denuo mota fuit ſeditio, ſed breuis correpto auctore, qui carcerem in publicum detruſus eſt. Ab eo tempore, excubiis continuatis, male feriati acquieuerunt, quibus ſtimulum addidiſſe cum credantur non bene animati, Kenſingtoniae ſemel iterumque habitis conſiliis decretum fuit, milites diſponere per tractum, quem tumultuantes inhabitant, qui pro lubitu agendi facultatem habentes frenum immorigeris iniiciant, nec dubium eſt, quin rebus ita fluentibus rex opinione citius ad nos rediturus ſit.

Ex eadem vrbe. XVI. Kalend. Sept. Tandem quies vrbi eſt reddita, cuius in auctores, quos carceres publici capiunt, omni rigore animadvertendum aula imperauit. XIX. Kal. Sept. rapiebantur ad vincula hymnos qui decantarunt publice, plenos iniuriarum in leges latas nuper in comitiis & eas quidem, quas ſcelerati haud ita pridem igne cremandas iudicarunt. Morus typographus, qui eos typis mandaſſe praeſumitur, cuſtodiae traditus ſuam ita cauſam dixit, vt auctores detegendi ſpem haud dubiam iudicibus iniecerit. Southwelliae in mandatis eſſe perhibetur proficiſci ad Belgas, vt principi Arauſionenſi parturienti a miniſterio ſit. Superiori hebdomade, regis Luſitaniae legatus Kenſingtoniam conceſſit obitumque Franciſcae Joſephae, regis Luſitaniae ſororis germanae, reginae expoſuit, ſimul & aulae ſuae deſiderium exoptantis, vt claſſis noſtrae nationis, donec cum Hiſpanis in gratiam redire datum fuerit, portum Olyſſiponenſem teneat. Qui rebus apud nos praefuit Venetorum Imbertus luce heſterna reginae vltimum Kenſingtoniae dixit vale, cui qui ſucceſſor datus eſt Buſinellus litteras ſenatus, fidei publicae teſſeram, tradidit. Eduardus Trelawneus in locum defuncti Cunninghami, praeſes Jamaicae inſulae conſtitutus eſt. Regina manu artificis peritiſſimi Rysbracki imagines duodecim Angliae reginarum gypſo fieri curat, vt in palatio Kenſingtoniano exponantur.

Haga Comitum. XII. Kalend. Sept. Sua ordines comitatus Hollandiae indefeſſo ſtudio proſequuntur conſilia, vtque fama fert, ſolae hucusque res domeſticae bene ordinandae in deliberationem venerunt. Veniet autem praeſenti adhuc hebdomade in deliberationem a Turcis expetita pacis cura, quam vna cum imperatore & magnae Britanniae rege ordines reipublicae noſtrae omnium ex opinione ſuſcipient. De pacis, quam imperator cum foederatis regibus iniit, negotio conficiendo mirum in modum variant ſententiae, quantumque laeti ominis capitur ex eo, quod caeſarianae copiae ex Italia in Hungariam iter facere inſtituant, quodque aula Gallica curſorem

ſorem miſerit ad Noallium mareſchallum cum mandatis, vt Mediolanenſem vacuam reddat prouinciam; tantum teſtimonii in contrarium proferunt rerum harum quam maxime periti, qui de confectis tam feliciter tamque cito rebus omnibus nihil ſibi conſtare publice profitentur. Londino, diſiecta multitudine ad tumultum prona, lubrica nuntiatur tranquillitas, ſcintilla non vna ſub cineribus latitante, nuntiatur vero & hoc, dubiam valde reddi tranquillitatem publicam verendumque eſſe, ne Hiſpani eam bellum parantes denuo conturbent.

Petroburgo. IV. Non. Aug. Auguſta Ruſſorum, quae Petrohofii commoratur, eo inuitauit omnes exterorum principum legatos, excipiendos non ſolum commodis ad traiiciendum nauigiis, ſed hoſpitiis quoque, ſtructis hunc in finem proxime ad palatium aedibus, quique vrbem noſtram ingrediuntur curſores, iter eo ſine mora proſequi tenentur. VIII. Kalend. Aug. Perſicus legatus extra ordinem poſtrema vice auguſtae venit in conſpectum ſolitisque ſolemnibus litteras reſponſorias regi Perſarum nouo Nadyro tradendas accepit. Qua occaſione ſimul cum legato Perſarum ordinario in conuiuium lautisſime inſtructum adhibitus fuit perque hortos obambulando digniora notatu vterque luſtrauit, luſtratumque tertio poſt die, claſſem Coronopolim conceſſit. Horum vltimo loco nominatus per curſorem a rege Perſarum Nadyro his diebus certior eſt factus, id agi in finibus Turcorum, vt, his munita tenentibus caſtra praeliumque detrectantibus, Perſae Bagdadum arctiori quam antea obſidione ad deditionem extorqueant. Lucem conſpexit calculus, qui docet, in Tanais expugnatione nos iacturam feciſſe ſaltem occiſorum quadringentorum & octoginta, praeter ſeptingentos vulneratos & tria millia, quae morborum vehementia conſumſit. Aliae ad familiares referunt litterae, praefectum vrbis traditae Turcicum, in caſtra vbi venit Ruſſorum, horum tam exiguum numerum dixiſſe ſibi admirationi eſſe, quo tam probe munitum locum Laſcius, caſtrorum praefectus, auſus ſit aggredi. Nullus negauit paucitatem hoſtium ſibi ab exploratore in caſtra miſſo fuiſſe ſignificatam, cui tamen fidem non dederit, ratus, corruptum eum eſſe a Ruſſis ad ſuadendam cum manu omni praeſidiaria eruptionem, quae validiſſimo, vt putauit, ab exercitu Ruſſorum facile potuiſſet opprimi, ſibique culpa ab imperatore Turcico tribui, quod temere agendo vrbem ſuae tutelae traditam perdiderit.

Serueſta, Kalendis Aug. Nudius tertius diem egimus feſtum eumque natalem principis noſtri, cui vota ſoluit Johannes Hoxa, Carponenſis Hungarus, ſtylo ſoluto, idem qui, ſuperiori anno, annos aetatis ſingulos peculiari chronodiſticho complexus, laudes ipſius cecinit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVI. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. VII. Id. Aug. Non omnes ſtillant, quas cernis in aere, nubes, quaeque noſtro in horizonte velut e longinquo conſpiciendam ſe praebuit belli tempeſtas, opinione citius ſine periculo diſiecta vento ſecundo videtur. Nam ex quo tempore curſor ex Hiſpania aduolauit, laetum accepimus nuntium, nec legiones octo dimidiatas Hiſpanorum iterum Liburnum traiectum iri, nec binis eorum legionibus equitum iter in Hetruriam faciendi neceſſitatem imponi, manifeſto indicio, pacis quam belli praeualere conſilia. Moles lapidea portus noſtri * ſedula manu reſtituitur & amplior, quantum fieri poteſt, redditur, quo plures numero naues capiat. Viris ordinis equeſtris, quos barones adpellamus, ſignificatum eſt, nulli amplius morentur ſuis de praediis pendere de centenis viginti ſcutatos ſummamque adimplere doni gratuiti, quod imperatori antea ſine effectu & poſthac Carolo principi promiſſum fuit.

* *Molo.*

Roma. III. Id. Aug. Prima currentis hebdomadis feria, in aedibus Dauiae purpurati, iterato agitata ſunt conſilia, praeſentibus collegis Imperiali, Orighio, Firrauio, Riuiera atque Corſino vt &, a ſecretis qui eſt, Leuizano, de diſcordiis, quae nobis cum aula Gallica propullulare videntur. Concluſum pontifici expoſuit coram pluribus Firrauius purpuratus, idemque vt reſciret ad Imperialem purpuratum & paulo poſt ad Albanum eiusdem ordinis virum, curiae fiſci praeſidem, legatus Gallicae nationis, ſe contulit. Id minus ſuum ad palatum cum iudicaret, poſtero die mane, vltimum vt dicat vale, equitem Georgianum, Ottobonum & Giudicium purpuratos inuiſendos duxit & hora, quae nobis eſt vigeſima tertia eiusdem diei, Tuſculum * conceſſit. In eo cum eſſet, vt carpentum conſcen-

ſcenderet, de familia ſua quendam miſit Corſinus purpuratus rogatum, vel leuiſſimam faciat moram audiatque prius ſibi ab expeditionibus domeſticis, ** in via iam conſtitutum, ſed renuit ille atque indignabundus diſceſſit. Nudius tertius e conſilio publicarum rerum vbi litteras accepit, Tuſculo Lutetiam Pariſiorum ablegauit curſorem, a quo tempore eum intra vrbis noſtrae moenia ſibi viſum eſſe quidam contendunt. Heri Harrachius comes, pontificem in colloquio fecit certiorem, imperatorem, cuius legatum agit, decreuiſſe ex reditibus Parmienſis & Placentinae prouinciae refundere, quicquid ditionis ſedis Romanae incolae caeſarianis ſuppeditauerint.

* *Fraſcati.* ** *Cammer-Meiſter.*

Liburno. IV. Id. Aug. Multum pecuniae noſtris mercatoribus ſoluendum eſt ex litteris cambialibus, cui vero & cuius nomine, non ſatis liquet, interim in ea multi ſunt opinione negotium hoc Neuhofenio baroni, Corſorum hodie regi, lucro fore. Ex nouiſſimis inſulanorum litteris habemus, eum valida cum manu Calanzanam aggreſſum eſſe, quem locum pariter ſub ſuam poteſtatem redigere totus laborat. Fabiani, Corſorum rebellium principis, globo plumbeo nuper traiecti dignitatem frater germanus nactus eſt, qui ex ſacerdote miles publice dicitur ſuorum in coetu haec effudiſſe verba: Memoria fratris mei ſemper erit in benedictione, isque omnium in memoria futurus, cui glorioſum non poteſt non eſſe pro patria mori. Hunc referunt accepto vulnere adhuc per biduum in viuis ſcripſiſſe ad Paolum, nullus dubitet ſe mortem ſine animi moerore obire, monito adiecto, vt, luctum ex hoc ſuo obitu haud capiens, firmum teneat propoſitum non negligendi patriae ſalutem, pro qua fortiter pugnare non intermittat. Opinio etiam ad nos venit, Genuenſes repetitis e conflictibus cum Corſis rebellibus inferiores diſceſſiſſe, quibus etiam fortuna aduerſatur apud Tunetanos, quorum principis noui ex mandato mercatores natione Genuenſes intra dies quatuordecim ſolum vertere vrbemque relinquere tenentur.

Mediolano. XVIII. Kalend. Sept. Si vel maxime premantur ſilentio concluſa in conuentu, quem ſummi vtriusque exercitus duces, Kheuenhüllerus comes atque Noallius mareſchallus nouiſſime habuerunt, conſtat tamen, praeuia deliberatione tributum nouem myriadum, quod Galli abiturientes exigendum ſtatuerunt, vſque adeo imminutum eſſe, vt ſolutione contenti eſſe velint vnius ſaltem myriadis atque octingentorum millium aeris Gallici, & quidem termino ſolutionis conſtituto trium menſium, ſponſore imperatore & deprecatore, vt variae iam factae ſolutionis haberetur ratio. Paſſerinus comes Placentia Laudem Pompeii * profectus eſt, vt cum Noallio mareſchallo agat de feudorum Langharum ceſſione, qua fruetur rex Sardiniae, cui de tradendis pro-

prouinciis negotium dilatum eſt, donec inter paciſcentes de finibus conueniat. Traunius, ſummus militum dux, proxime adfuturus in Longobardia, exercitui praeerit caeſariano in locum Kheuenhülleri comitis, qui Vindobonam rediturus collatum ſibi locum in conſiliis bellicis aulicis praeſidis vicarii occupabit. Rex Galliae Noallio mareſchallo dediſſe dicitur mandata, vt quacunque occaſione facilem ſummo caeſarianorum imperatori militari ſe praebeat, tamque certum quam quod certiſſimum eſſe, quod Galli hoc ipſo adhuc menſe patrios ad lares aggrediantur iter, de quo eo minus dubitandum, quo magis manifeſtum, regis Sardiniae poſtulatis nihil deeſſe, qui etiam Sarrauallenſe, quod flagitauit, caſtellum conſequatur. * *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum. XVI. Kal. Sept. Omnium in ore eſt Hiſpanorum, Barcinone qui fit, belli adparatus, petique dicunt alii Italiam pro vindicanda Carolo principi filio Hetruria; alii Luſitanos; cum quibus concordiae reſtauratio lubrico nitatur fundamento; alii Genuenſes, quos laceſſendi Hiſpanorum regi cauſa non vna ſit illisque Corſicam eripiendi; alii denique Algerios, quorum vrbem expugnare ſedemque piraticam euertere idem ſtatutum cum animo ac deliberatum habeat. Proſtat regis V. Kalend. Sept. quod lucem conſpexit, mandatum, quo Gallicae naues prohibentur ferre Corſis auxilium, denegatum ipſis iam XV. Kalend. Sept. anni trigeſimi primi edicto de non ſupportandis rebus bellicis aut aliis, quae Genuenſibus damno eſſe queant. Gemina legitur adiecta clauſula; altera, vt noſtrae nationis naues ex neceſſitate commerciorum inſtituendorum Baſtienſem, Aiaccium, Caluenſem & S. Bonifacii, nec alium in praeſenti totius inſulae portum ingrediantur; altera, vt nulla Corſorum nauigia, praeterquam inſtructa Genuenſium litteris fidem teſtantibus, Gallorum in portu quocunque admittantur.

Vindobona. VIII. Kalend. Sept. Imperator ſummi caſtrorum praefecti vicarium inque Morauia exercitus ducem ſupremum, Ludouicum Zinzendorffium ſanctiori adſcripſit conſilio, quam ille dignitatem heri, fidem vbi dederat iureiurando, ſuſcepit. Iuſta hodie ſoluimus Franciſcae Joſephae, quam rex Luſitaniae ſororem germanam agnouit, principi regiae, gratiaeque imperatoris, cuius ſumptibus magnificum ſtructum erat monumentum funebre, interpretem quis egerit, ex ſequentibus patebit:

INSCRIPTIONES

FRANCISCAE. JOSEPHAE,
LVSITANIAE. INFANTI,
SACRO. IVSSV. FACTAE;
QVVM
AVGVSTA. PIETAS. AVSTRIACA
IN
LAVRETANA. BASILICA. PALATINA
EXSEQVIARVM. SOLLEMNIA
OBIRET,
D. XXV. AVG. cIↃ IↃCCXXXVI.

C. PLI-

C. PLINIVS. CAECILIVS. SECVNDVS
L. VII. EP. XIX.

Doleo maximam foeminam eripi oculis ciuitatis, neſcio, an aliquid ſimile viſuris. Quae caſtitas illius? quae ſanctitas? quanta grauitas? quanta conſtantia?] - - - quam iucunda, quam comis, quam denique (quod paucis datum) non minus amabilis, quam veneranda.

INSCRIPTIO I.

D. O. M.
SEMP. Q. MEM.
PIENTISSIMAE
FRANCISCAE. JOSEPHAE
SERENISS. AC. POTENTISS.
JOANNIS V.
PORTVGALLIAE. ET. ALGARBIORVM. REGIS
CARISSIMAE. DESIDERATISSIMAEQ.
SORORIS
SANCTISSIMAE. ATQVE. OPTIMAE
CONSOBRINAE
IMP. CAES. AVG.
CAROLVS VI.
PRO. TANTAE. NECESSITVDINIS
VINCVLO
ORNATISSIMA. PARENTATIONE
SVFFRAGATVR.

INSCRIPTIO II.

SPIRANT. ADHVC. MANES
ACERBI. FVNERIS. REGII
VBI. A. MAGNA. ET. RECENTI
ÆGRITVDINE
VIX. RESPIRANS. CONSANGVINEA
DOMVS. AVSTRIACA
INFANDO. DOLORE. ITERVM
ADFICITVR
AD. CRVDVM. FVMANTIS. BVSTI
CINEREM
FEMINÆ. PRISCA. MATRONAR.
VIRTVTE
INTER. HEROIDAS. CLARÆ
INTER. HOMINES. DIVINÆ
INTER. FELICES. BEATÆ
QVÆ. ANNO. MESSIÆ. MDCXCIX.
III. KAL. FEB.
EX
PETRO. II. ET. MARIA. SOPHIA
PALATINA
PORTVGALLENSIVM. REGIBVS
EDITA
ACCEPTA. NATALITIA. DECORA
CONDECORAVIT
REGALES. ET. ELECTORALES. PVRPVRAS. ILLVSTRAVIT
RAROQVE. EXEMPLO. MONSTRAVIT
QVOD. CHRISTIANOS. DISCIPLINA
MAGISTROS. VIRTVTIS.
DOCTRINA
HEROES. ET. HEROINAS. GLORIA
CETEROS. MORTALES. FATORVM
NECESSITAS
VIX. AC. NE. VIX. QVIDEM
DOCVIT
ID. PROPE. GENERI. HVMANO
NATVRA. DATVM
VT. QVA. IN. FAMILIA. LAVS
ALIQVA. FLORVERIT
HANC. FERE, QVI. EIVS. SVNT
STIRPIS
TOTIS. SENSIBVS. PERSEQVANTVR.

Quae reſtant, proxime dabuntur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVI.
A. P. C. N.

PARTIC. II.
cIↄIↄcc xxxvi.

Liburno, Idibus Aug. Promittas facito, quid enim promittere laedit? Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt. Quod Naſonis conſilium ſequutus Theodorus Neuhofenius baro diuitem ſe gerendo pollicitis regis quidem meruit nomen, attamen expertus indignationem ſuorum nullus negabit, quod omnino promittere laedat quodque omne promiſſum cadat in debitum. Principes enim Corſorum rebellium in conuentum, quem nuper celebrarunt, ipſum quoque inuitarunt Theodorum eumque memorem eſſe iuſſerunt promiſſorum, cum rex ſalutaretur, auxiliorum, minis adiectis, promiſſis ſi non ſteterit a primo in inſulam aduentu factis, ſibi tribuat, ſi ſolum vertere cogatur relicta re tormentaria & numerata, quam ſecum attulit, pecunia, cumque iactura dignitatis regiae, quam ſub conditione, fidem datam vt ſeruaret, nec abſolutam cbtinuerit. Imo fama Genuae percrebuit ſtatutum eum cum animo ac deliberatum habere ad Ripperdam ducem, cum quo familiariſſime olim vixit, abire, ſpesque alit Genuenſes fore, vt naues, quas respublica Corſico in littore habet, iter maritimum facientem forte excipiant. Nondum vero res ipſius plane deſperatas eſſe coniiciunt alii ex litterarum commercio, quod ille conſtanter in Cataloniam exercet, fierique poſſe, vt ante terminum gratiae conſtitutum auxilia conſequatur. Quicquid ſit, ſi quoque regno cederet Theodorus, nec tamen ad obſequium redire parant Corſi, diffidentes inuicem ratione regis ſui, non habito reſpectu imperii Genuenſium rurſus agnoſcendi, quod toti & vnanimes faſtidiunt.

Lutetia Pariſiorum. XIII. Kalend. Sept. Noua ex Italia faciunt quidem mentionem conſiliorum, nullam vero quid in his a ſummis vtriusque exercitus ducibus Noallio ma-

reſchallo atque Kheuenhüllero comite concluſum confectumque fuerit. In eo conſpirant coniecturis dediti omnes, non prius Italiam relicturas eſſe copias noſtras, quam rex Sardiniae ex pacto fruatur noua acceſſione, nec tollit moram, quod ad manus eſt diploma caeſareum de terris Langharum, cum de Saraual- lenſi & Briſello caſtello mota lis nondum compoſita ſit. Genuenſes verentur, nec immerito, ne rex Sardiniae iure ſuo nouo vtens Finarium, & nomine marchionis Caretti Sauonem repetat, per ſuum itaque Auguſtae Taurinorum legatum regi ſuadere conantur, propoſito hoc de ſuo deſiſtat. Nouo rex noſter mandato omnibus etiam principibus regio ſanguine cretis interdixit venatione in ſaltibus regiis, praebuitque occaſionem Trimouillius dux, qui ſpretis omnium monitis ferarum copiam minuendo delicias regi praeripuit. Conſignatae iam fuere litterae, quibus dictus modo dux in Baſtilliae carcerem detrudendus fuiſſet, vixque praeualuit deprecantium auctoritas, interea maximum ille regis odium ſibi contraxit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Nono puerperii Borboniae ducis praeterlapſo, ſub veſperam ſolemnes in aedibus Condeanis inſtitutae ſunt epulae. In medio horti lampadibus egregie illuſtrati omnium ad ſe oculos trahebat ignis ludicrus ſub forma templi, variis quod emblematibus exornatum erat, & quidem in fronte exhibebat conſpiciendum infantem a Minerua oblatum Victoriae, ſub inſignibus Condeae gentis, cum lemmate: *Condeus eſt, Mars erit.* Trecenti & plures diuerſis in locis numerabantur hoſpites nullique non accedenti deliciae patebant. Latuit in legione incendiariorum Borbonia per annos quatuor foemina virum ſimulans, quae cum veſtitu militari virtutem adſumſit eamque in nupero bello egregiam exhibuit, teſtantibus litteris, quae dimittendis ab exercitu ſolent dari, dimiſſa igitur aliquam regis gratiam ſibi expetendam duxit. Alia virili habitu induta petiit a rege locum in choro muſico, ſexuque quem diſſimulauerat cognito, facti rationem allegauit, quod mulier auſa non ſit libellum ſupplicem regi offerre, qui decem ei dandos curauit aureos Ludouicianos, quibus donata ex aula diſceſſit.

Haga Comitum. X. Kalend. Sept. Londino nuntiatur, tranquillitate publica, quam plebs tumultuoſa turbauerat, reſtituta, id agi in aulae conſiliis, vt modus excogitetur, quo huius generis malum impoſterum auertatur frenumque iniiciatur multitudini ad ſeditionem pronae, inprimis vero arctioribus circumſcribendi perhibentur limitibus noua, quae per ſingulas hebdomades publicantur populoque haud raro indignationis capiendae occaſionem ſuggerunt. Diſcrepantibus inuicem quam maxime de futuris coniicientium ſententiis de pacis publicatione proroganda an minus, fama percrebuit, curſorem ex Hiſpania Lutetiam

teciam veniſſe Pariſiorum, referentem pacis ſtudium, quo ductus rex Hiſpanorum imperauerit filum abrumpere in bello terra marique adparando totusque de Hetruria imperatorem inter & Galliarum regem ſtatuta adprobauerit. Quis itaque non videt pacem, quam poſcimus omnes, inſtare, ſi res ita ſe habet habeatque ſe ita an minus, proxime Gallorum teſtabuntur litterae. Amſtelodami mercaturam exercentes natione Perſae, qui primi omnium reſciuerant e patria, Thamaſum Kulichamum regios ſumſiſſe honores nomenque, litteras ſibi redditas eſſe adfirmant, quae pacem Perſarum cum Turcis aperte doceant.

Vindobona. XI. Kalend. Sept. Relatum e Croatia accepimus, Turcos interrupto labore, quem in munitionibus augendo Wihicio propugnaculo poſuerunt, operarios omnes, omnes ad arma tractandos vocaſſe ad ripam Danubii ſpeculatum quos motus caeſariani faciant. Fuenclara comes, regis Hiſpaniarum apud Venetos hodie legatus, per litteras, vt aiunt, imperauit aedes ſibi conducendas in ſuburbanis, non ſine indicio certo fore, vt imperator legationis per ipſum Hiſpanicae adminiſtrationem agnoſcat. Tres legionum ex numero quae Hungariam petent, ex Italia in Tiroliam peruenerunt, qui vero in Longobardia praefuit exercitui dux ſummus, Khevenhüllerus comes, quam primum a Galliis prouincia Mediolanenſis nobis fuerit tradita, Tergeſtum * atque Fanum S. Viti Flomonienſis ** concedet rebusque ibi bene ordinatis ad nos reuertetur.

* *Trieſte.* ** *Fiume.*

Lipſia. VII. Id. Sept. Conditiones, quibus Tanaim per dies quadraginta & duos obſeſſam XII. Kal. Jul. ſt. v. in deditionem Ruſſi acceperunt, ex relatione Laſcii, ſummi caſtrorum praefecti, ita ſe habent:

1) Praeſidio vrbis militari vniuerſo a ſummis ducibus ad militem quemcunque gregarium, vt & ciuibus cuiuscunque conditionis natione Turcis liber pateat diſceſſus, ſine tamen, qui quandoque concedi ſolet, honore militari, Ruſſis Atſchukum vſque tutelam praeſtantibus.

2) Egresſis vrbe militibus Turcicis reddenda ſunt arma, ex locis autem, in quibus res bellicae adſeruantur, nihil auferendum.

3) Turcorum erit rem tormentariam & bellicam omnem, horrea publica & armorum & annonae militaris cum omni adparatu, turres & cuniculos cum puluere pyrio intra & extra vrbis moenia victoribus indicare fide ſumma & tradere.

4) Obſides Turci dabunt eosque tres, ſi praefectum vrbis ſummum excipias, principes, non prius dimittendos, quam praeſidio dati diſcedentibus milites Ruſſi Ruſſorumque nauigia in vrbem redierint.

5) Captiui omnes ſiue Rusſi ſiue alio quocunque nomine veniant, etiam Calmucci & ita dicti Nekraſowzeni, nullo excepto, Ruſſorum ad caſtra reſtituantur.

6) Praefectus vrbis Muſtapha quique ſub ipſo militarunt milites, duces & gregarii, iureiurando, quod Alcoranum oſculando validum fore teſtentur, publice profiteantur atque ſpondeant, ſe per integrum annum nolle aduerſus imperium Ruſſicum eiusque exercitum & ciues arma ſumere.

7) Armeniis, Graecis & reliquis cuiuscunque nationis & profeſſionis in vrbe chriſtianis, cum omnibus bonis & mercibus, quae ipſis ſunt remanendi poteſtas datur.

His ita in bello geſtis adpoſitum iri haud alienum putabit lector, quae reſtant de monumento funebri, quod Vindobonae in honorem Franciſcae Joſephae Luſitanorum principis regiae erectum nuper tradere coepimus:

INSCRIPTIO III.

HVC. ADES. ET. AVSCVLTA
VIATOR
NEMO. OPPORTVNIVS. LOQVITVR
QVAM. MVTVS. HIC. LAPIS
NEC. VTILIVS. MONET
QVAM. EX. HOC. MONVMENTO
RES. IPSA. VOCIFERATVR
QVID. SVMVS. HOMVNCIONES
QVID. MAGNVM. SPERAMVS
QVID. VANVM. SPIRAMVS
SI. REGIA. DENSANTVR. FVNERA
ET. IMAGO. REGIÆ. NOBILITATIS
SAPIENTIÆ. GRATIARVM
TAM. LEVI. AC. BREVI. MOMENTO
EVANESCIT
HABENT. SVOS. DIES. NON
TANTVM. HOMINES
SED. IPSA. ETIAM. MAVSOLEA
ET. INANIA. HONORIS
NON. EFFVGIVNT. MORTALITATEM
LACRVMÆ. NOBIS. DEERVNT
ANTE. QVAM. CAVSSÆ. DOLENDI.

INSCRIPTIO. IV.

SIC. FEMINA. PRINCEPS. CAROLO
CÆSARE. PROPINQVO
ET. AVIS. ATAVISQ. HEROIBVS
DIGNISSIMA
INTER. MORTALES. NIHIL. MORTALE. SPIRANS
IAM. COELI. IN. TERRIS. CONSCIA
IN. AMBIGVO. RELIQVIT
VTRVM. CARIOR. DEO
AN. CLARIOR. HOMINIBVS. FVERIT
O. BEATA! O. FELIX! O. SANCTA
ANIMA!
QVÆ. ANNO. PACIFICO. MDCCXXXVI
EID. QVINCTIL.
RELIGIOSISSIMA. LVCE. DOMINICA
QVA. EQVITES. ROM. AB. ÆDE
HONORIS
AD. CAPITOLIVM. TRANSIBANT
A. LIBITINÆ. TEMPLO
AD. COLLES. ÆTERNOS. FELICITER
EGRESSA
A. MODO. SECVRA. TRANQVILLITATE
TRANQVILLA. JVCVNDITATE
JVCVNDA
FELICITATE. FELICI. ÆTERNITATE
FRVITVR. ILICET
ET. IMITARE. EXEMPLVM
QVÆ. VERA. EST. DEFVNCTE
CONSECRATIO.

Jo. Car. Nob. a Newenſtein,
S. R. I. Eq.
Caeſ. Aul. Poet. Laur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVII, A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↃIↃcc xxxvi.

Baſtia. VI. Id. Aug. Rebus in humanis fortuna volubilis errat, inque bello potiſſimum adeo inconſtans, vt victus cadat ex improuiſo qui modo victor erat. Victor erat miles noſter ſemel iterumque aduerſus Corſos rebelles, blandiente fortuna dum captum venit, ſed nuper Balagnano in tractu tribus diſtinctis in locis ſe aduerſum nobis Mars praebuit, parumque abſuit, quin nauis reipublicae actuaria ad littus inſulae Roſſae naufragium pateretur. Euaſit illa tempeſtatis periculo vix ac ne vix quidem, e contrario in manus hoſtium inciderunt duae aliae naues, quarum vna aerarium bellicum, nempe menſium quinque ſtipendia militaria, altera trecenta ſclopeta, quinquaginta puluere nitrato repleta vaſa variamque rei bellicae ſupellectilem capiebat. Fatum hoc ſiniſtrum vbi ad aures peruenit Riuolae, qui Genuenſibus in inſula a commiſſionibus primariis eſt, protinus mandata dedit, vt in conflictibus his qui copiis praefuerunt, ad ius vocati cauſam dicant verendumque merito, ne capitis poenam ſontes ſubeant. Duces expeditionis infauſtae fuerunt Marchellus, tribunus militaris, nec non Muratus, legionum inſtructor, qui primi omnium e pugna diſcedentes nauem in actuariam confugerunt, tuti intra muros ligneos ab hoſte, non vero a iudice, fortunae neglectae vindice, vix enim ad littus noſtrum adpulſa naue, cuſtodiae traditi ſunt, publicato edicto, ne conſanguinei occiſorum veſtes ad luctum componant, quinque annorum poena damnationis ad remos adiecta, atque ne de rebus his tam infeliciter geſtis ciues miſcere ſermones audeant. Ex opinione, quae ad nos venit, Theodorus rex, vt ſalutari cupit, cum duce Caſtinetta comite & quinque armatorum millibus Nebbianam petere ſtatuit prouinciam, iterato vt eam ſub ſuam

redi

redigat poteſtatem, quae haud ita pridem ad obſequium rediit armisque reipublicae ſumptibus inſtructa fuit. Terminos ingreſſus ad Lautum publicato mandato populum hortatus eſt de tradendis ſibi bis mille ſclopetis, a noſtratibus quae acceperunt, ſin minus ſibi tribuant, ſi funeſta clade omnes adficiantur. Pars incolarum, vt fama fert, vrbem noſtram petet aſylum, altera vim vi repellere ſecum conſtituit hosque virtutis & fidei amantes inprimis obſides dati compellunt.

Neapoli. XIX. Kalend. Sept. In eo cum eſſent naues iam ſuperiori hebdomade, noſtrum aeque ac Caietanum tenentes portum, vt quatuor peditum millia Liburnum traiiciant, moram iniecit nouum aulae noſtrae edictum, quo remanendi facultas datur nec legiones adeundi ducibus, ſuo ſatis officio defuncturis, ſi ad iter paratos ſe exhibeant ad nutum, quem Montemarius, dux Hiſpanici exercitus in Hetruria, dederit. Interim in militibus conſcribendis ſedula conſumitur opera, inprimis legione noua Albanenſium, qui, ſuis regulis, ſua fortitudine, milites armaturae Hungaricae imitandos habebunt. Magna omnes tenet exſpectatio cognoſcendi quid vates ceci nerit S. Eſteuanus comes, publice profeſſus fore, vt VIII. Kalend. Sept. res magni momenti, regnum noſtrum concernens, cognita atque perſpecta fiat. Rumor in vulgus emanauit, noſtrum & Siciliae cum Mediolanenſibus commercium interdicendum fore, quam primum terras horum caeſariani occupauerint, quae res, ſi ita euenerit, varias parit coniecturas. VIII. Kalend. Aug. apud Panormitanos in Sicilia, inter tormentorum tonitrua, Caroli principi Hiſpaniarum ſtatua poſita fuit.

Roma. XV. Kalend. Sept. Ante octiduum Antonius Courtius, qui Gallis ab expeditionibus religioſis eſt apud Chinenſes & Japonenſes, noſtram ingreſſus eſt vrbem & purpuratis, ſocietati de propaganda fide adſcriptis, litteras tradidit, quae docent, epiſcopum, quem ſocietas a commiſſionibus illis in terris eſſe iuſſit, Barnabitam cogitaſſe de ritibus nonnullis a Gallorum eo miſſis procuratoribus qui ordinati fuere, abrogandis, verendumque eſſe, ne nouitas pariat ſchiſma; pro quo auertendo papa delegauit iudices procuratores, quibus ad hunc vsque diem, abſente Gallorum legato, conventus ſuos ordiri haud datum fuit. Purpuratus curiae fiſci praeſes vbi reſciuit populum querelas fundere de pane, qui proſtat, nec bene coctο, nec boni ſaporis, rem diiudicandam commiſit viro, quem ipſe a commisſionibus habet, multum obloquente Bolognetto, annonae praefecto, qui litem hanc ſui fori eſſe contendit. Luce heſterna iterum confluxerunt purpurati, Annibal Albanus, Imperialis, Corradinus, Riviera, Spinola, Firrauius atque Corſinus aliique cleri optimates, delibe-

ratum

ratum de negotio, quod nobis in praeſenti cum aula Hiſpanica eſt atque Torreggianum conſtituerunt, qui calculum ducat ſumptuum, quos Hiſpani in tranſitu per ditionem fecerint. Poſt ſolis heri occaſum Tuſculo * in vrbem rediit Ottobonus purpuratus, quo conceſſerat, vt de diſſidiis cum aula Gallica nouiſſime ſubnatis tranſigeret.

* *Fraſcati.*

Mediolano. XI. Kalend. Sept. Poſtquam Kheuenhüllerus comes, ſummus exercitus caeſariani dux, a rege Sardiniae impetrauit litteras liberi commeatus pro Paſſerino, quem in tradendis dicto regi feudis Langharum imperator a commiſſionibus eſſe voluit, ſocium ille itineris operisque conficiendi ſumſit Pedemontanis ab expeditionibus qui eſt, delegatum regis Sardiniae, quibus duumviris praeſidio eſt manus militum quinquaginta, Germanorum ex parte, ex parte Pedemontanorum, manumque admouebunt operi, quam primum Cremona atque Pizzighitonium caeſarianis traditum fuerit. Nouarienſis atque Dertonenſis prouinciae non prius Sardiniae regi tradendae dicuntur, quam ipſam metropolim Ticinumque * imperator ſuo praeſidio muniuerit, munire autem, omnium ex opinione, intra hebdomades tres poterit. Haec dum ſcribimus, fama percrebuit, hodie Cremonam vacuam reddendi initium fore, poſtquam rediit, qui a Noallio mareſchallo ad regem Sardiniae miſſus tranſitum Gallorum per fines Pedemontii procurauit.

* *Pauia.*

Lutetia Pariſiorum. IX. Kal. Sept. Litterae laude Pompeia * ad nos Idibus Aug. datae referunt, Noallium mareſchallum per curſorem aulae noſtrae accepiſſe mandatum, vt, nihil ſi habeat rex Sardiniae quod excipiat, ſine vlteriori mora Cremonenſem atque Mediolanenſem prouinciam Germanis tradat, ſpes itaque eſt fore, vt XV. vel XVI. Kalend. Sept. iuſſa effectui dare incipiat, cum ſibi in omnibus factum eſſe ſatis rex modo dictus declarauerit. Iisdem ex litteris cognouimus, Noallium mareſchallum, regiae voluntatis explendae cupidum, Sorbettum inuitaſſe ad colloquium Kheuenhüllerum comitem, ſummum Germanorum imperatorem militarem, vt, quae reſtant de euacuando Mediolano dubia, adunatis conſiliis ſoluant. Quia ſeptem & viginti peditum legiones dimidiatae nec non equitum legiones integrae ſex caeſariani exercitus ex Italia in Hungariam iter aggreſſae ſunt, coniecturis dediti occaſionem nacti ſunt ſpargendi in vulgus fore, vt noſtrae nationis militum remaneat portio in terris Mediolanenſibus, ne praeſidio minus valido inſtructas Hiſpani in Hetruria viribus aucti inuadere moliantur. Rumor toties qui raucus factus eſt herique denuo omnium in ore eſſe coepit, noua Vindobonae transactione compoſitum eſſe quicquid publicandae paci hactenus impedimento fuit, non meretur fidem

apud

apud omnes, nec immerito, cum vel ſolus eam reddat dubiam belli adparatus, qui fit Barcinone, quem continuari adfirmant alii, alii negant. Id certum eſt, nos inter & Hiſpanos conſultationes magni ponderis fieri, Ferdinando Treuigno, Hiſpaniarum regis legato, Compendii * * nullum facile diem praetermittente, quo noſtrae aulae adminiſtros non conuenerit, miſſis quoque ſolito frequentius Mantuam Carpetanorum curſoribus & inde remisſis.

* *Lodi.* ** *Compiegne.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Monte Deſiderii * Piccardiae ex oppido nuntiatur poſt hominum memoriam quam maxime horrida tempeſtas, quae XIX. Kalend. Sept. hora ferme tertia pomeridiana euenit, grandine mixta, cuius magnitudo nuces aequauit tectaque perfregit aedium, nec non imbre adeo vehementi, vt, aquarum fluxu inhibito, vix ſuperiores aedium partes ad vitae conſeruationem ciuibus profuerint. Ad tertium ab oppido lapidem fruges contritae ferarumque tanta periit ſuffocatione aquarum multitudo, vt pluribus plauſtris altero poſt die in deportandis his opus fuerit. E contrario Prouincia nimio ſolis ardore exuritur tota maximo cum damno incolarum, quos febres corripiunt. Ex concluſo curiae ſupremae, carnificis manu igni traditus eſt libellus famoſus, meris ſcatens iniuriis, qui inſcribitur: *Epiſtolica ad archiepiſcopum Pariſienſem adhortatio altera.* Occaſione pugnae priuatae Melitenſium ordinis magiſtri per Galliam vicarii ** cum Conflantio marchione vbique locorum per vrbem adfixa leguntur monitoria de vitandis huius generis certaminibus, quae viri, vt tecto nomine vocantur, non infimae conditionis iniecerunt; quorum lis agitur in foro, ſed ſine, vt multi praedicunt, effectu, cum teſtes idonei deficiant.

* *Mondidier.* * * *Gros - Prior.*

Vindobona. IV. Kalend. Sept. Luce heſterna natalem auguſtae celebrauit aula multis ſolemnibus, hac vice vel ideo maioribus & dignis notatu, quod archiducem, quae Lotharingiae nupſit duci, vterum ferre, omnibus palam factum fuerit. Hora ante meridiem vndecima audita, imperator, imperatrix & archidux filia carpentis vehebantur ad ſacra in aede vrbis Auguſtiniana, grauida vero princeps Lotharingica, Auſtriae archidux, lectica holoſerico auroque ornata ferebatur, diesque feſtus tandem epulis magnificis & dramate muſico conſumebatur. Nudius tertius lectiſſima legio pedeſtris Würtembergica in tranſitu arcis imperatorem habuit ſpectatorem, quae triginta & pluribus impoſita nauigiis heri Albam Graecam * traducta fuit, vnde terreſtri itinere progredietur in Tranſyluaniam ad fines Wallachiae Turcicae, quo cum concedant plures & pedeſtres & equeſtres legiones, coniectura imminentis belli haud parum ſuffulcitur.

* *Belgrad.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVII. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. VI. Kal. Sept. Solent homines, quod concupiſcunt, ſpei inconſiderate dare, quotiescunque igitur ex Italia nobis redduntur litterae, ſpes nos alit, quae optamus, nuntiatum iri; euacuationem nimirum locorum, quae ex pacto imperatori debentur, vt tandem pacis publicatio ſolemnis eueniat: ſed fruſtra, tantumque non ſingulis in litteris noua exceptio, nouum allegatur obſtaculum, cur ea, quae optamus, quae ſperamus, non contingant. Culpa omnis in praeſenti tribuitur regi Sardiniae ſolicitanti praeſentiam exercitus noſtri, donec ab imperatore ſibi promiſſis factum ſatis fuerit, ſique fuerit, facile poterunt Hiſpani cauſam vlterioris morae excogitare praeter inueteratam Montemarii ducis ſummi, quod diſceſſum rex nondum imperauerit, ſicque ſpes remota manet, quam proximam eſſe iudicauimus. Nudius tertius, diem, quo nomen regis in faſtis legitur, quibus ſolet fieri, ſolemnibus feſtum egimus, pridie veſperi in horto regio inſtitutis concentibus muſicis. Enim vero filum abrumpebat coeli inclementia, quam imbrisque violentiam euitare cum cuperet multitudo, praecipiti fuga multum damni datum eſt, quod ex veſtium corruptione atque rerum pretioſarum iactura non pauci ſenſerunt. Regi, qui hodie feſtum nominale Compendii celebrauit, animus fuit hodie petendi Chantillianam arcem ibique commorandi ad Kalendas Sept. quibus ad Fanum S. Dionyſii ſacra feralia Ludouico decimo quarto fieri ſolita ibidem frequentare ſecum conſtituit.

* *Compiegne.*

Londino. V. Kalend. Sept. Nudius tertius eaque prima huius hebdomadis feria, veſtes in aula noſtra reſumtae ſunt, quae cum compoſitis ad luctum teſtandum ex obitu

Fran-

Franciſcae Joſephae, Luſitaniae principis, mutatae fuerant. Carolus Wagerus eques his diebus male ſe habere coepit, morboque nudius quartus ingraueſcente, regina eodem die ter miſit nuntium, ex quo, quomodo valeret, reſciret. E contrario Granthamus comes, eorum qui reginae a cubiculo ſunt ordine primus, aquas medicatas Scarboroughianas cum ſucceſſu adhibuit breuique priſtinae ſanitati redditus ad nos reuertetur. Lutetiam Pariſiorum veniſſe conſtat cum omnibus ſuis Eſſexium comitem, qui per aliquod tempus in aula regis Sardiniae legatus vixit multorumque ex opinione defuncto nuper in Barbados inſula Houio comiti, praeſes illius prouinciae ſuccedet. Antonius Azeuedus, regis Luſitaniae legatus, remanere iuſſus eſt, donec aduentarit Olyſſippone, qui munere ipſius defungatur. Dicta illius regni ex metropoli relatum accepimus, vtramque & Hiſpanicam & Luſitanicam aulam adprobaſſe conditiones reſtituendae concordiae, delegatis, qui a commiſſionibus ſint conficiantque negotium Pace Auguſta * ſubſcribendo pactum, cuius ſecuritatem Galliae magnaeque Britanniae reges & foederati Belgii ordines praeſtabunt. Die, quo pax ſubſcriptione firmabitur, rex Luſitanorum ſtatutum cum animo ac deliberatum habet omnes e carceribus publicis dimittere captiuos quaeque portum tenet Olyſſipponenſem claſſis Britannica proti nus vela ventis dabit.

* *Badaioz.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Rex Americanorum, qui viciniam in Georgia noſtram inhabitant, Tomachochus, cognito Oglethorpii ex Europa reditu, laetus ſalutauit aduentantem in naue, qua aduectus fuerat. Mellis eum atque lactis plenis vaſculis donauit, quo indicari dixit ſe nihil magis in votis habere, quam vt praedicaretur euangelium, quod mellis lactisque inſtar ſe habeat; idem vero cum auro ſit praeſtantius, cur aurum non obtulerit magis gratum & acceptum, dubio procul paupertas curtaque regiae dignitatis ſupellex eum excuſatum dabit. Linguae, qua gens illa vtitur, addiſcendae operam nauat ſedulam Weſtleius, natione Anglus, auctore & ſuaſore eodem rege Tomochacho, quia animos ſuae gentis ſibi facilius conciliare poſſit quam per interpretem, ſi ſua lingua euangelii nuntium illa audiret. XVII. Kalend. Sept. ad Fanum S. Alphagi in collegio Zionis ampliſſimo funere elatus fuit Samuel Wrigt, vir diuitiis multis adfluens, qui liberalitatis ſuae memoriam ſingulari ratione conſeruare ſtuduit. Teſtamento enim legauit ſex ſacerdotibus, quos Non-Conformiſtas adpellamus, integritate vitae praeſtantibus, quorum facultates ducentas non excedunt libras Sterlingicas, eiusdem aeris ſummam, ex qua ſinguli centum accipiant; totidem aliis, qui Diſſidentes vulgo audiunt, liberalitate in ſuos collegas conſpicuis, quibus aeque tenues facultates ſunt aut vix quadraginta librarum ſtipendia quotannis fruuntur; quadraginta, vt loqui-

quimur, familiis, vario aduerſae fortunae caſu ad incitas redactis, vt ſingulis centum librae ſuppetant; quadraginta viduis quinquageſimum aetatis annum quae viuendo attigerunt nec vltra quinquaginta polliclent libras, quarum ſingulae quinquaginta accipient; quadraginta puellis ab honeſtis ſed pauperibus parentibus in lucem editis, quae haereditate vix centum librarum gaudent, vt ſingulis centum nnmerentur librae; viginti pueris eiusdem notae, quorum cuique ad opificium tractandum quinquaginta deſtinauit libras; ſocietati, cui morum emendatio curae eſt libras Sterlingicas quingentas; alteri, quae propagationem euangelii ſibi curandam ſumſit in terris remotiſſimis, itidem quingentas; noſocomio, cui de Chriſto nomen eſt, mille, totidemque reliquis, quibus Thomas, Bethlehemum atque Bartholomaeus nomen dederunt; ergaſtulo Bishopſgatenſi mille, incarceratis paſſim & quidem Ludgatanis libras quingentas, Fleetenſibus quadringentas, Marshalſea-Southwarckianis trecentas, Whitechapelanis trecentas; quae in vniuerſum nouendecim millium atque ſeptingentarum librarum Sterlingicarum ſummam conficiunt.

E terris Helueticis. IV. Kalend. Sept. Liburnenſes ſuis in litteris cladem non vnam Genuenſium Corſica in inſula his fere circumſtantiis referunt; VII. Kalend. Aug. Tilienſi in agro prouinciae Balagnae manus conſeruerunt Genuenſes cum Corſis rebellibus, ſed Marte aduerſo, triginta enim caeſis captisque quinque fugam dederunt. Captiuorum in numero fuit ſignifer, qui caſtris Corſorum relictis, fraude vbi horum centurionem Orſouechium Paolettum interfecerat, ad exercitum confugerat Genuenſium inque eo pari dignitate ornatus militauit, quem victor Theodorus, cum quatuor reliquis fatorum ſociis captiuis, globis plumbeis traiiciendum curauit. IV. Kal. Sept. bis mille tam Genuenſes quam Corſi, qui in fide manſerunt, tribus diſtinctis in locis Balagnani tractus Corſos rebelles aggreſſi ſunt & quidem ad Algaiolam, in agro vicino atque ad inſulam rubram, vt ſinum hunc locumque maritimum ſub ſuam redigerent poteſtatem. Ad hunc locum Genuenſium noningenti milites ad regulas artis exercitati minus fortiter pugnarunt aduerſus Corſos octingentos, quibus ſe maſcule opponentibus, illi terga dederunt tanta celeritate fugae, vt naves, quibus acceſſerant, nimio onere grauatae ſubſidere inciperent, longeque plurimi vel occiſi, vel capti, vel vulnerati fuerint, & Marchellus dux pariter captiuorum numerum auxerit. Paulo ante conflictum dictam ad inſulam rubram adpulſa navis Theodoro adportauit tormenta quatuor bellica, quae globos octo pondo emittunt, ſexaginta minora ſiue manuaria & quingenta maiora ſclopeta & vaſa triginta puluere nitrato repleta, cuius exonerationem impediturae naues Genuenſium binae imbre Corſorum tormentario tam vehementi exceptae fuere, vt non ſine iactura rebusque infectis eo, vnde

de venerant, recedere cogerentur.

Brunſuico, *Kalendis Sept.* Tertia currentis ad finem hebdomadis feria, natalem auguſtae multis ſolemnibus celebrauimus. Ante meridiem gratulantium audiebantur vota ſumptoque prandio dramate muſico Narciſſus exhibebatur quodque ad coenam ſupererat temporis ludis choreisque conſumebatur. Coena ſumpta, in munimentis exterioribus ignis ſuccendebatur ludicrus, hortum referens aggeribus alueisque diſtinctum, ita vt in gradu ſupremo omnium nomen auguſtae conſpiciendum ſe praeberet litteris initialibus decuſſatim ductis, ſuper baſi, cum lemmate: *Soepe hilaris redeat tam ſacri nominis ortus.* Arcus dextrum ad latus aquilam, imperii Romani inſigne, ad ſiniſtrum, Guelphorum equum ſiſtebat, cum verbis illam: *Haec Joue digna fuit;* hunc: *Brunonum candida proles.* In tertia huius ſpectaculi ſcena offerebant ſe naues duae, quaelibet tribus firmata malis, & diſtincta coloribus velorum, aulae tam caeſareae quam Brunſuicenſi ſolitis, nec otioſae, per ignes enim in aquis ſuccenſos ad locum vbi peruenerant, quem principes occupauerant, tormentis excuſſis ſalutantium ritus obſeruabant.

Vindobona, *Kalendis Sept.* Buda* accepimus, ſummum caſtrorum praefectum, Johannem Palfium comitem, aduentaſſe atque in oppido ad alteram Danubii ripam Peſtenſi vbi pernoctauit, poſtero ſtatim die, cum comitatu plurium belli ducum, naue conſcenſa, in caſtra ſe contuliſſe. E caſtris primariis in agro Futtaccenſi nuntiatur, Harruckero, annonae militaris praefecto ſummo, in mandatis eſſe, tantum conferre pabuli, quantum ſeptuaginta equorum millia requirunt. Qui munitionibus ditionis caeſareae oppidorum praeeſt, Wutgenauius, ſummus dux militum, reficienda curat noſtrae vrbis munimenta, quae inſuper nouis quibusdam augenda dicuntur, quibus ordinatis deſignatisque ipſe cum architectis militaribus nonnullis in Hungariam profectus eſt. Belmontius dux in ſpe eſt conſequendi vel, vt alii volunt, iam conſecutus eſt ex gratia imperatoris, Eugenianam legionem, inſignia aurei velleris & inſulam, quam Danubius in Hungaria format Eugeniumque Sabaudiae ducem olim dominum habuit. Huius haereditatem quae adiit Victoria Sueſſionenſis princeps, ſoror defuncti germana, in eo occupata eſt, vt plus licitantibus aedes villasque quae fratri fuere, vendat, vtque fama eſt, aere omni collecto, vel in Sabaudiam reuertetur, vel in vrbis noſtrae collegio ſacrarum virginum, quod reliquum eſt vitae, tranſiget.

* *Ofen.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. IV. Non. Sept. D. JOHANNES FLORENS RIVINVS, P. P. Diſputationes VIII. Reſpondentium *ad Pandect. L. X -- XVII. ductu Compendii Ludouiciani* indicauit programmate, in quo *dotem tribus modis olim conſtituendi rationem* expoſuit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVIII. A. P. C. N. | PARTIC. I. cIↃ IↃCC XXXVI.

Neapoli, XII. Kalend. Sept. Malus cum malo facile colliqueſcit, ſi voluptate, quidni etiam perfidia, cuius, quod in prouerbio eſt, adſerti manifeſtum in vrbe noſtra exemplum habuimus. Bini ſub finem ſuperioris hebdomadis milites legionis Santabuoneae, ad turrim, cui de Carmine nomen eſt, excubitores, ſuam perfidi ſtationem deſeruerunt hominumque ſe oculis ſubtraxerunt profugi, profugos ad perſequendum miſſi cum ordinum ſtructore * praeter ſpem omnem atque opinionem eandem inflarunt tibiam fideique datae prorſus immemores non redierunt; nec redierunt, quod mireris, octoginta alii perſequentium perſecutores, ſolo excepto centurionis vicario, duce eorum & teſte, quod in Aprutii ** montana loca, haec mala cum mala colliquefacta turba confugerit. Res ea mali exempli fuit militantibus in legione ducis Alviti, quorum numero quatuordecim XVII. Kalend. Sept. aufugerunt eiusdem notae ſocios ſubſequuti, vt pluribus in idem facinus quaſi coniurantibus, legio illa inſigniter decreuerit. Laetum incerti argumenti nuntium, quem praedixit nuper S. Eſtevanus dux laeto, non minus nec minus certo & cognito auxit effato alius aulae noſtrae princeps, vtriusque vero qui volunt videri interpretes, coniiciunt fore, vt ad praedictum diem VIII. Kalend. Sept. non pax modo firmata ſed ſponſalia quoque Caroli principis Hiſpaniarum populo exponantur. Sueſſae *** epiſcopus, qui iurisdictionem aulae noſtrae turbare auſus exilio mulctandus fuit, iuſſus regno exire, vix precibus multis obtinuit, vt extra vrbis, cui epiſcopus praeeſt, moenia, ſibi ſubſiſtere, donec lis componatur, liceat. Monteleonius dux exul, non modo reſtitutus eſt in patriam, ſed tanta etiam apud Carolum principem coepit valere gratia, vt Vaprienſem ditio-

tionem cum iure monetas cudendi conſequutus ſit eiusque coniux inter omnes ſponſae ipſius aliquando a miniſterio futuras primum locum teneat. Ex edicto nuperrime publicato ordinis mendicantium monachi lucrum amittunt omne, quod ex ſedula tabaci cultura largiſſimum habuerunt.

* *Sergeante.* ** *Abruzzo.* *** *Seſſa.*

Romae. VIII. Kal. Sept. Prima currentis hebdomadis feria, Guadagnius purpuratus primum fundamenti poſuit lapidem, quo ſuperſtruenda eſt aedes noua ad columnam Traiani nouique operis memoriam ciſtula, nummos aureos & argenteos capiente, quam muro circumdedit, poſteritati tradidit. Feria tertia, Fonſeca ſacerdos, rerum Luſitaniae procurator, diu multumque colloquutus eſt cum Corſino pauloque poſt cum Paſſerio purpuratis, quo vero de argumento, non liquet. Quorum nuper mentionem fecimus, Gallis qui ab expeditionibus religioſis ſunt in prouinciis Cacciacina & Tunteina, Japoniam inter & Chinam ſitis, in eo occupati, vt congregationi de propaganda fide adſcriptos purpuratos inſtruant de controuerſia, in his ſalutandis procuratorem miſſionis religioſae comitem habent, quo facilius in conuentu res expediatur, quam legatus Galliae regis, Tuſculi* qui adhuc commoratur, per virum ſibi in legatione a ſecretis, dictis modo purpuratis de meliori commendauit. Heri mane in conuentu ad hunc actum delegatorum deliberatum fuit de concordia cum Hiſpanis reſtituenda, ſed ſine ſucceſſu, quem ipſa impedit Hiſpaniae regina ſummopere vrgens, vt Acquauiuae purpurato, legato Hiſpanorum a multitudine grauiter offenſo fiat ſatis quocunque modo, quem nondum definiuit. Omnium in ore eſt Turconus, qui heri mane cum pontifice, remotis arbitris, per integram horam pauloque poſt cum Corſino purpurato quam diutiſſime collocutus, ſuis quoque neſciis, quibus per litteras relictas vltimum dixit vale, ſolus cum vnico miniſtro, incertum omnibus iter citato curſu aggreſſus eſt. Hodie rumor in vulgus emanauit, certum ipſi aulae noſtrae negotium conficiendum eſſe traditum, cumque Harrachius comes, imperatoris legatus, in eo luce hodierna eſſet, vt curſorem Vindobonam ablegaret, moram ab ipſo vnius vel alterius horae petiit ordo, penes quem publicarum rerum adminiſtratio eſt.

* *Fraſcati.*

Liburno. IX. Kalend. Sept. Poſt aduentum curſoris ex Hiſpania, Montemarius dux ſummus exercitus, rerum maritimarum praefectum ducemque copiarum pedeſtrium heri Piſam ad colloquium inuitauit, ab eoque tempore fama percrebuit breui fore, vt Piſano & vicinis in agris conſtituti Hiſpani naues conſcendant. Germani e ditione, in qua ſubſtiterunt, Luccenſi propius acceſſerunt ad vrbem Piſam triaque

Hi-

Hiſpanorum millia in conſpectu habent. Haec dum ſcribimus, ſpargitur in vulgus id agi, vt dicta Germanorum manus Genuenſibus in Corſica inſula auxilio veniat & ſine omni mora Vioreggiano in portu nauibus imponatur. Quibus etiam auxiliis quam maxime opus eſſe videtur reipublicae, cuius res valde adflictae narrantur, quodque de nouo Genuenſes e conflictu cum Corſis rebellibus inferiores diſceſſerint, qua vero cum clade quibusque circumſtantiis, non liquet. Baſtiae quoque praefectus ibique a commisſionibus primariis Riuarola Genuam ſcripſiſſe perhibetur, res ſuas adeo deſperatas eſſe, vt, celeri deſtitutus ope, vrbem hoſtibus tradere cogatur. Accidit apud Liburnenſes haud ita pridem, vt mulier chriſtiana, quae recutiti cuiusdam infantem habuit lactandum, vbi eum in agone conſtitutum vidit, ſacra baptiſmatis vnda adſperſerit, parentibus, quid factum ſit, ignorantibus; magiſtratus itaque vrbanus, re cognita, recens baptizatum parentum infidelium curae ſubduxit curauitque, vt chriſtianae religionis principiis imbuatur.

Lutetia Pariſiorum. III. Kalend. Sept. Noua ex Italia, quae ſpem pacis concernunt, mirum in modum variant. Litterae Laude Pompeia noua* XII. Kalend. Sept. ad nos datae referunt, Noallium mareſchallum eo minus dubium haerere in euacuandis Cremona & reliquis locis, quo magis certum ſit ex propria confeſſione regis Sardiniae, ei ex pacto factum eſſe ſatis. Enim vero contrarium ex ore ipſius ſe hauſiſſe contendunt alii, quod non prius tradenda ſint caeſarianis loca, quam conſequutus fuerit regiones ſibi adſignatas & inprimis litteras imperatoris de feudis Langharum, quas tamen ad hunc vſque diem nullas accepit, quasque accepit ex autographo deſcriptas non adprobauit. Nec adhuc, vt falſo nuper relatum fuit, IV. Kal. Aug. a Noallio mareſchallo in aulam noſtram miſſus in Italiam remiſſus eſt curſor, remittendus etiam quando ſit quoue cum nuntio, penitus ignoratur. Reditus itaque exercitus noſtri ex Italia quam longisſime diſtat, praeualetque eorum opinio, qui quindecim noſtrae militiae millia in terris Mediolanenſibus relinquenda contendunt, donec Hiſpani Hetruriam vacuam fecerint, facere quam non intendunt.

* *Lodi.*

Londino, pridie Kalend. Sept. Nudius tertius regina in aedes Whitehalenſes Roberti Walpolii ſe contulit ſpectatum egregiae artis imaginum adparatum, quem ſibi ille nuper admodum multis ſumptibus comparauit. Heri cum regina Hamerſmithum peteret carpento vecta, in tranſitu ad aedes Caroli Wageri equitis ſubſtitit &, quomodo aeger ille ſe habeat, ſolicita reſciuit. Multorum ex coniecturis Wilhelmus princeps Haſſiae Caſſellanus cum rege noſtro e Germania ad nos aduentabit. Sortitio publica pro leuandis ſum-

ſumptibus pontis, quo Tameſis fluvius iungendus eſt, vix locum habebit. VII. Kalend. Sept. Robertus Nixonius, idem qui, durantibus anno ſuperioris ſeculi octogeſimo octauo turbis domeſticis, beneficium amittere maluit, quam Wilhelmo tertio regi fidem iureiurando dare, traditus eſt cuſtodiae per binos famulos publicos, de quo ſuſpicio eſt, quod ſatyrae nuper foribus aedium, quas mercatores frequentant, adfixae auctor ſit forte & ſceleris apud Weſtmonaſterienſes patrati, cum, Anna regnante, ſuis conuenticulis pariter carcerem meruerit. Poſtero die cauſam dixit coram Neocaſtellano duce inque carcerem Neugatenſem detruſus fuit, nec dubium eſt, quin rigore legum omni adhibito cauſa eius pertractanda ſit, quem loquitur etiam comprehenſio aliquot typographorum, qui eiusdem ſceleris conſcii habentur. Ante dies non ita multos in praedio Petri equitis, multitudo ad ſeditionem prona operam in horti ambulacris alueisque purgandis ponentes inuaſerunt, quos Hibernos eſſe crediderunt, quibus vim vi repellentibus, vtrinque occiſi alii, alii vulnerati fuere.

Vindobona, Nonis Sept. Si quid famae libet credere, nullis enim circumſtantiis fide dignis relatum accepimus, Turci in extremis Hungariae finibus hoſtes ſe exhibere non dubitarunt. E caſtris in agro Futtackiano innotuit, illorum praefectum totiusque exercitus ducem Palfium comitem in mandatis habere res ita ordinare, vt, repetitum altera vice imperatoris ad mandatum copias in aciem educere valeat. Summi caſtrorum praefecti vicarius, Wenceslaus Lichtenſteinius princeps ſeptem in Tranſyluania legionibus praeerit, inque vniuerſum tantus ſit belli adparatus, quantus requiritur, ſi ante brumam Marti litare animus eſſet. Qui nauticae rei praeſunt, praeteritis diebus, praemiſſo ponte non vno nauali, binas naues maiores anchoris inſtructas in Hungariam miſerunt, quo etiam concedent legiones, altera Caroli Lotharingiae ducis pedeſtris, quae nudius tertius ex Italia ad nos peruenit, altera cataphractorum equitum Immanuelis Luſitaniae principis, quae Belgio ex Auſtriaco proximis diebus in exſpectatione eſt. Praeterea Ratisbonenſi in agro quinque Bauarorum millia caſtra ponent, vt quam primum imperatori, ſtipendia qui ſuppeditabit ipſis militaria, viſum fuerit, nauibus in Hungariam transferantur. Lersnero, ſummo rei tormentariae praefecto, poteſtas data dicitur mercede conducendi a diuerſis imperii Romani principibus decem vel duodecim millia, quem in finem magni valoris litteras iam cambiales accepit. Rebus ita fluentibus, rumorem raucum factum eſſe merito dixeris de pacis ſtudio Turcorum, quo ducti conditiones cum Ruſſis paciſcendi, interpretibus Dallmanno, qui res imperatoris Conſtantinopoli curat ordinumque foederati Belgii legato, tantum non quoad ſingula capita adprobauerint.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXVIII. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIɔ Iɔcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Sept. Nuntio, qui ſemel iterumque nos feſellit, vix fidem habemus, ſi tandem vera diuque ſatis optata & ſperata loquitur. Loquuntur omnes idem inque eo conſpirant litterae, IX. Kalend. Sept. Laude Pompeia noua * ad nos datae, fore certo certius, vt altero poſt ſcriptum hunc nuntium die, Cremonenſis prouincia caeſarianis tradatur, rege ipſo Sardiniae adprobante, vt terminus praeoccupetur, qui ad III. Kalend. Sept. definitus fuerat. His reuera ita ſe habentibus, vt omni careant dubio, dubium tamen hunc facere nuntium quidam ſuſtinent increduli, cauſam interferentes, quod curſor, cum decretoria regis noſtri ſententia de non amplius prorogando exercitus noſtri ex Italia diſceſſu, nondum abierit. Enim vero vt tempora diſtinguenda ſunt, ita & loca, meritoque praeſens concordabit ſcriptura, fieri enim omnino poteſt, vt traditis, quae ditionem Cremonenſem conficiunt, locis, in terris adhuc Mediolanenſibus noſtrae ſubſiſtant copiae, in quo neminem habebunt contradicentem, ſi vel maxime cauſa huius morae ignoretur hocque ſub praetextu Hiſpani quoque Heturiam non relicturi videantur. Nec obſtat, quod ea, quae relata ſunt de ſtrepitu armorum Barcinone prorſus ceſſante, dubiae ſint fidei, copiis ibidem collectis, nauibus ad traiiciendum paratis annonaque militari & bellico adparatu onuſtis, quia nexum cum his, quae in Longobardia & huius prouincia Cremonenſi aguntur, tam arctum non habent, vt vno negato alterum adfirmari nequeat.

* *Lodi.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Curiae prouinciali Britanniae adſcripti ter a rege admoniti tandem ad acta retulerunt publica regium mandatum, quo numerus virorum eque-

ſtrium

ſtrium in comitiis prouinciae ſolemnibus ad decimam ferme partem reſtringitur. Pomum Eridis hoc ipſo proiectum iri nemo non putauit, non deficientibus in hoc ordine priſtinae libertatis amantibus, qui tamen criſtam erigere non audent, reuocantes ſibi in memoriam triſte ſpectaculum, quod, regnante Ludouico decimo quinto, immorigeri praebuerunt, quorum alii capite plexi, alii ſolum vertere coacti fuerunt. Mantua Carpetanorum accepimus diſcordiarum cum imperatore finem adpropinquare Montiiumque comitem frequenter admodum Fanum S. Ildephonſi petere, nec conſtare, quando ille in aula regis magnae Britanniae iterum legationem adminiſtraturus, Londinum proficiſci ſecum conſtituerit. Noſtram vero in aulam veniet legatus Minaſius marchio, ſummi ducis militum vicarius, quique in praeſenti rebus Hiſpanorum apud nos praeeſt Treuignus patrios ad lares reuertetur, in curia fiſci iuſſus eſſe a ſecretis, ex qua illi dignitate quotannis mille & duodecim aurei valoris Hiſpanici redeunt. Miſſiſippenſi Americae in prouincia noſtrates infelici Marte aduerſus Indos pugnarunt atque incauti inſidias incidentes ſexaginta ſuorum amiſerunt. Luce heſterna Eſcarius marchio Fitziameſiam duxit vxorem, quae defunctum Bercovicenſem ducem, regni Galliae mareſchallum, patrem habuit. Patrem habere quae voluit Ferrandum, praeſidem curiae ſupremae, Vignia, ſtetit cauſa ſua, perorante eam Cochino, cauſarum patrono, cui in ſimili caſu tam beato eſſe haud licuit. Nempe Bruyſia ſalutari voluit filia Bouteuilliae, quam illa priori ex matrimonio cum Corteo Ferreo marchione in lucem protulerit, cuius tamen voti compos fieri quo minus potuerit, impedimento fuit contractus, quem mater cum marito inierat initumque litteris conſignauerat de filiabus nomine alio adpellandis excludendisque haereditate, vt eam filii ſoli conſequantur.

Londino, Nonis Sept. Regina iubente geminum palatium, ad Jacobiticum alterum, alterum Richmondianae arci contiguum, vtrumque valde magnificum exſtruetur. Ipſis Kalendis Sept. die nimirum natali ducis Arauſionenſis ad reginam regiamque gentem vniuerſam viri vtriusque ordinis equeſtris & maioris & minoris gratulatum acceſſerunt. Ad carceres rapti ſunt his diebus bini, qui peregrinae militiae conſcriptores ſe exhibuerunt, & poſtremo ſuperioris hebdomadis die miles legionis praetoriae omnium primae, auctor & primipilus nuperi tumultus; quem iudex delegatus Philippus cauſam ſuam minus bene dicentem Neugatenſem in carcerem detrudendum duxit. Quo etiam die, matrimonium primi eorum ex ordine, qui duci Arauſionenſi a ſanctioribus cubiculi ſunt, Groueſteinii benedictione ſacerdotali ratum perfectumque habitum fuit cum Schützii,

Schützii, aerarii regis priuati praefecti, filia natu maxima, quae ipſi cum dote quinque & viginti aeris Sterlingici millium venit. Gibraltaria nuntiatur, quod Muleius Abdallahus, rex Marochanus, cuius dignitatis iacturam ipſi crudelitas pepererat, fratrem Muleium Aly, regni aemulum, in praelio vicerit victorque Mequineſiam ingreſſus ſit. Feccenſes, Saleenſes pluriumque ciuitatium delegati regem ſalutatum venerunt. Belgarum vero legatus, cui in mandatis eſt regi offerre ordinum reipublicae ſuae dona, Gibraltariae adhuc per aliquod tempus cenſuit commorandum ibique ſpeculabitur, quae fortunae, in ſcena tam inſigniter mutata, conſtantia futura ſit. Pridie Kalend. Sept. Montiius comes per litteras familiam, quam apud nos alit, Hanoueram abire ſeque adfuturum praeſtolari iuſſit. Carolus Wagerus, eques, ſenatui rerum maritimarum a commiſſionibus primariis, cuius ſanitas reginae tantopere curae eſt, paulo melius ſe habere coepit atque medicorum ex ſententia vitae periculum ſuperauit.

Ex eadem vrbe. VII. Id. Sept. Rex Clarckium praeſidis Eboracenſis in America prouinciae vicarium dixit. Nudius quartus, Groueſteinius, aulae ducis Arauſionenſis princeps cum noua nupta ſua reginae regiaeque gentis in conſpectum venit magnaque cum beneuolentiae ſignificatione exceptus fuit. Nauium Liburnicarum, quae regi ſunt, vna Caletum * curſum dirigere tenetur, quam ad nos rediturus conſcendet Kingſtonius dux, qui per aliquot annos peregrinas terras luſtrauit. Ex iudicum, quibus de pace conſeruanda vulgo nomen eſt ,!, mandato valde multi comprehenſi ſunt, de quibus ſuſpicio eſt, quod tumultum nuperum vel ciere vel adiuuare auſi fuerint. Miſſus eſt ad Keenium, noſtrum in Hiſpania legatum, curſor, cum monitoriis, nullus intermittat vrgere litteras liberi commeatus, quibus inſtructa nauis ſocietatis noſtrae mercatoriae quotannis mercibus onuſta ad littus Mexicanum iter ſolet facere. Intra trimeſtre proximum, noſtro ex regno, ſumptibus Luſitaniae regis conquiſitae res bellicae Olyſſiponem transmiſſae ſunt, quae pretium ducentorum aeris Sterlingici millium conficiunt. Plurimorum ex opinione, incarceratis ex cauſa ſceleris in abbatia Weſtmonaſterienſi perpetrati, ante reditum regis e Germania ſententia non dicetur. Nauibus impoſiti ſunt Bilbaum transportandi minoris ſtaturae equi, quibus Montiius comes, Hiſpaniae principem purpuratum donabit, vt his Toletum, cuius archiepiſcopus audit, ſolemni cum pompa ingreſſurus vtatur. Proxima hebdomade naues conſcendent tyrones, qui in ſupplementum praeſidii Gibraltarienſis noſtri regni in prouinciis conſcripti ſunt.

* *Calais.*

Vindobonae. VI. Id. Sept. Rebus ita fluentibus, vt Mars ſedem ſibi ele-

legiſſe videatur in Hungaria, mittuntur eo ad bellum neceſſaria quae ſunt, hisque oneratae aliquot naues illuc abierunt, quas quidam quoque rei tormentariae praefecti conſcenderunt. Horum praefectus ſummus Fiſcherus in mandatis habet accuratam procurare conſignationem annonae reique militaris variae in locis Hungariae munitis, vt ſine mora defectus, ſi quem forte offendat, ſuppleri queat. Dicitur quoque dux Lotharingiae ſtatutum cum animo ac deliberatum habere cum Carolo fratre ſuo germano ſe conferre in Hungarica caeſarianorum caſtra inque his tempus aliquod conſumere. Albae Graecae * nauium ſtructura felici gaudet ſucceſſu & indefeſſo ſtudio continuatur, nec minori profunditas Danubii exploratur, cognitum vt fiat, quo vſque, ſi neceſſitas requirat, nauibus progredi detur. Maximo omnium ſtudio autem Angli Belgaeque arbitrium pacis Ruſſos inter & Turcos curae cordique ſibi eſſe ſinunt, ne quid forte detrimenti ſuis in commerciis patiantur. Kheuenhüllerus comes, ſummus dux exercitus noſtri in Italia, per curſorem, qui his diebus aduentauit, aulam noſtram fecit certiorem, quod Galli & Pedemontani in euacuandis terris Mediolanenſibus ex legibus pacti rite procedant, iuncto per Gallos Adduano flumine, vt tranſitum noſtratibus faciliorem reddant. Nulli amplius, vt fama fert, in Italia conſtituendi ſunt vrbium praefecti peculiares, ſed vbique locorum dignitate prior militiae dux praeſidio praeerit.

* *Belgrad.*

Lipſia. VIII. Kalend. Oct. In gratiam poeſeos cultorum, cum ſibi in nouis noſtris locum ſemper vindicauerint elegantiora poemata, in praeſenti nobis adponere liceat, quo donum autographi cuiusdam Morhoſiani, ſibi a Viſchero, qui Placcium de anonymis & pſeudonymis olim procurauit, oblatum excepit Krüſicke, poeta, quo hodie Hamburgum ſuperbit:

Salue *charta* breuis, grauiorum *linea* rerum,
Pagina MORHOFI nobilitata *manu!*
Quis iubar & *vocum* nexus, *Venerumque* triumphi?
Quae *maieſtatis* gratia tota patet.
AVGVSTVM quondam recitabat Muſa *Maronis*,
Hic *Vatum Princeps* Caeſare digna canit.
Salue docta *manus* MORHOFI, *littera* ſalue!
VISCHERI facili ſuppeditata *manu.*
Quae nobis *nullo* vel *falſo nomine* notos,
Ex PLACCI ſchedis, priſtina cura dedit.
Nunc tenebris *chartas* & iniquis eripit vmbris,
Ac *fontis* pandit cura renata decus.
Attrahit Aonio dotes dimittit & *hamo*
VISCHERVS, Muſae gloria prima meae.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIX. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. V. Kalend. Sept. Scelera non habent conſilium, ſed impetu plerumque peraguntur, ſola, ſi quae commoda ſe obtulerit, occaſione, potiſſimum vero ſucceſſus improborum plures ad idem facinus ducit, ſtimulat, impellit. Res mali exempli fuit eſtque adhuc fuga, quam nuper commemorauimus, militum ſtationem ſuam deſerentium & iterata vice ad hos perſequendum miſſorum, quam fortuna audaces iuuante inuitati capiunt tam copioſi, vt in legionibus nonnullis ducenti & plures profugi deficiant. Imo legionem nouam Albanienſium ad normam militiae Hungaricae conſcribendam qui habuit, centurionis vicarius, terreſtri an maritimo, quod ignoratur, itinere abiit, exceſſit, euaſit, erupit, atque aerarii militaris nec non tyronum, quos ipſe collegerat, haud leuem portionem ſecum ſumſit, perfidiaeque fecit viaticum, quod fidei praemium & ſtipendium ſuis eſſe debuit. In mandatis eſt Auerſanis ad quintum circa oppidi ſui moenia lapidem maturare meſſem, vt locus pateat, in quo exercitus vniuerſus luſtretur. Luſtrato hoc, nauibus, quae ad manus iam ſunt, imponendi dicuntur Hiſpani, ſolique Italicae & Helueticae nationis milites apud nos remanebunt. Interim ſolito frequentiores Mantuam Carpetanorum & Hetruriam petunt atque inde redeunt curſores, vtque fama percrebuit, hanc omni modo tueri iuſſus eſt Montemarius dux, cuius in exercitus ſupplementum plures copiae Liburnum traiicientur.

Roma, Kalendis Sept. Pontifex ex lucro ſortitionis publicae nuper abſolutae, ampliando portui Anconitano, ſtructurae, quae coepta eſt Lateranenſi, ducendis apud Rauennates alueis nec non noſocomio cuidam latius extendendo, & quidem ſingulis quatuor ſcutatorum adſignavit

vit millia. Prima currentis hebdomadis feria, in aedibus Corſini purpurati, collegae Aldrouandus, Paſſerius & Gentilis, denuo de diſcordiis, quae aulae noſtrae cum rege Hiſpaniarum ſunt, deliberatum conuenerunt. Feria tertia, die nimirum natali auguſtae, Giudicius purpuratus, de S. Cruce princeps atque Bracianus dux, vt & alii optimatum, qui a partibus ſtant aulae caeſareae, Harrachium comitem, imperatoris legatum, ſalutarunt & munere gratulantium defuncti ſunt. Eodem die Lutetia Pariſiorum ad nos rediit curſor, quem de ſubortis nos inter & Gallos diſſidiis eo miſerat S. Aignanus dux, illius nationis legatus, iterque ſuum vbi Tuſculum * proſequutus fuerat, breui poſt litteras ille Corſino purpurato tradendas curauit, quibus hic lectis ad pontificem ſe contulit legatique nuntius cum reſponſoriis eo vnde venerat, conceſſit, cuius vero argumenti fuerint litterae quisque curſoris e Gallia nuntius, minus exploratum ac cognitum eſt. Tertio poſt die, qui in hoc negotio a commiſſionibus eſſe dicitur, Ottobonus purpuratus, habito cum pontifice colloquio, cum itineris & conſiliorum ſocio Corſino purpurato ſub veſperam petiit villam in agro vicino, quo etiam venit legatus Galliarum regis ſuasque triumviri conſultationes per multum temporis protraxerunt. Beneuentani conqueruntur ſuis in litteris ſibi ne quid ſupportetur annonae, edictum Neapoli publicatum eſſe.

* *Fraſcati.*

Florentia, Kalendis Sept. Curſor heri aduentauit Laude Pompeia noua, * qui nuntiauit, Noallium mareſchallum proxime in Galliam abiturum eſſe. Liburnenſem intrauit portum nauis duodecim capiens Turcos a Genuenſibus ad remos damnatos, quos libertate donauerat & litteris inſtruxerat liberi commeatus Theodorus, indignantibus Genuenſibus, qui eos per conſulem ſiue praefectum ſuae gentis repetendos duxerunt. Adprobauit petitum magnus dux Hetruriae, cumque reſciret Hiſpanicae militiae apud Liburnenſes ducem nolle eos tradi, Montemario duci exercitus ſummo rem expoſuit, quodque Hiſpanis ſibi competentem turbare iurisdictionem non liceat. Hic turmas, quas ad fines Parmenſes conſtituerat, reuocavit ſuntque in itinere conſtituti caeſariani, vt eandem ſedem occupent.

* *Lodi.*

Liburno, pridie Kalend. Sept. Noviſſimae Corſica ex inſula litterae referunt irruptionem, quam Corſi rebelles IV. Id. Aug. tentarunt cum duobus millibus in Calenzanam provinciam, ſed fortuna valde aduerſa, excepti ab his qui in fide manſerunt incolis tanta fortitudine, vt tandem hora illius diei tertia & vigeſima terga dare coacti fuerint cladeinque ſenſiſſent maiorem, niſi noctis tenebrae perſequentium impetum infregiſſent. Multi rebellium in hoc conflictu fuere vulnerati, decem interfecti, in his principum fa-

ctio-

ctionis duo, Paulus Franciſcus Salicetus atque Johannes Stephanus Zilia, quorum corpora cladis ſocii ſecum deportarunt, deportata in aede S. Reparatae terrae mandarunt, cum ex aduerſo Calenzani fide in rempublicam & virtute inſignes vnum ſaltem occiſum tresque vulneribus adfectos numerarint. Iisdem teſtibus litteris, Theodorus Campolorum confugit, reliqui vero ex ordine ſeditioſorum primi ſuas petiere domos, diſſipata hac ratione tantum non omni colluuie, vt vel ſoli adhuc Caporioni, audacisſimi omnium agmen ducant. Quae XIII. Kalend. Sept. ad nos inde datae ſunt litterae mentionem quoque faciunt pugnae, quam diffidentes inuicem rebelles commiſerunt, in qua, haud ita pridem Roma redux Ogliaſtronus, ex ſacerdote miles ſuorumque primipilus occubuit. Barcinonenſes in ſuis ad nos litteris de traiectione militum aut expeditione quacunque noua prorſus ſilent.

Venetiis, VI. Id. Sept. Sub finem ſuperioris & initium praeſentis hebdomadis duodecim multis diuitiis onuſtae naues ex oriente ad nos redierunt. Vaſa colligit Franciſcus Venierius eques, futurus apud regem Galliarum legatus, ſucceſſor datus Alexandro Zeno, cuius terminus adminiſtrandae legationis praeterfluxit. In vicinia, quae belli ſedes fuit, Mars ſcenam ſuam inſigniter mutavit: Parma pacata tam diu ſperata & optata gaudet quiete, leuata onere militari, poſtquam maxima caeſarianae militiae portio in terras Mediolanenſes diſceſſit occupatum loca illisque praeſidiis futura, quae Galli & Pedemontani vacua fecerunt. Fecerunt vacua & aduentantibus imperatoris copiis tradiderunt Cremonenſis ditionis loca inque reliquis euacuandis occupati ſunt tam ſeduli, vt IV. Id. Sept. nulli amplius foederatorum regum milites ad vtramque Ticini * fluminis ripam conſpiciendi perhibeantur.

* *Teſino.*

Lutetia Pariſiorum. VII. Id. Sept. Omnium in ore quae fuit ſed dubiae fidei euacuatio locorum, quae bello durante victricibus armis occupauimus in Italia, tandem VIII. Kalend. Sept. initium ſumſit noſtraeque copiae iter in patriam aggreſſae ſunt, quae Cremonenſem ditionem caeſarianis tradiderunt, tradenda iisdem eodem nexu & continua ſerie an ſit Mediolanenſis prouincia, vt nuntiatur, tempus docebit. Sunt tamen in ea opinione multi, fore, vt manus valida noſtrorum militum, ſi non in Mediolanenſi ditione certe in Hetruria ſubſiſtat, quae traditionem Lotharingiae confirmet & iura defendat Caroli Hiſpaniarnm principis, contendentis bona magni ducis Hetruriae, quae moueri poſſunt & viginti myriades imperialium conficiunt, ſibi competere, ſique fides habenda eſt quorundam coniecturae, tria Germaniae a nobis occupata caſtella ſecuritatis cauſa per aliquod tempus noſtra in poteſtate remanebunt. Valde errarunt, qui Cantimirio princi-

pi,

pi, auguſtae Ruſſorum apud magnae Britanniae regem legato, neſcio quid arcani negotii in aula noſtra conficiendi, traditum eſſe, ſparſerunt in vulgus, cum ille priuatus apud nos vixerit, nec aulam, nec aulae administros frequentauerit, oculisque laborans maiorem in artis ophthalmicae peritiam Gendroni noſtri, quam Tayloris Angli fiduciam poſuerit. Nouum archiepiſcopi vrbis breuiarium ſuos adhuc habet aduerſarios inque his nouus criticus tertias ei epiſtolas oppoſuit. Nudius quartus, Venetorum legatus, Zenus poſtrema omnium vice regem ſalutauit, qui vale vltimum ſibi dicentem, more conſueto, equitem creauit. Regis ex mandato, ducum quisque ſuam tenetur legionem petere, inque luſtratione exercitus, qualibet de cohorte & quidem peditum triginta, equitum quinque & viginti milites dimittendi perhibentur. Villarius dux veſtitum ſuae, quam numeroſam alit, familiae valde pretioſum comparat, ſeque ad iter accingit, Mantuam Carpetanorum ſuſcipere quod parat, redditurus in manus regis Hiſpaniarum inſignia ordinis, cui de aureo vellere nomen eſt, quibus parens eius, regni Galliae mareſchallus, dum viueret, ornatus inceſſit.

Vindobona, pridie Id. Sept. Praeteritis diebus, in aedibus cancellarii aulae ſupremi, Galliarum regis legato Theilio praeſente, ſanctiora bis habita fuere conſilia de rebus potiſſimum Italicis, argumentum delibe-rationis ſuppeditante Hiſpaniarum regina, quae optime nouit noua ponere obſtacula, ne pacto inito fiat ſatis, in promptu vt cauſa ſit, cur nullum imperator admittat, qui Hiſpanicam legationem noſtra in aula adminiſtret. E caſtris Futtaccenſibus in Hungaria nuntiatur morborum vehementia, quae hominibus aeque ac pecudi pernicioſa adſcribitur inundationibus huius anni copioſis & grauibus & corruptis inde gramine & frugibus. Fama itaque fert, caſtra mutanda fore quam primum Conſtantinopolim miſſus curſor redierit, belli interea adparatus ſtrenue fit, hisque diebus nauibus eo transmiſſa ſunt tegumenta militaria valde multa linteique inſignis copia, vt ſanorum non minus ac aegrorum cura ſolers haberi queat. Opinio his diebus ad nos venit, Turcos ex improuiſo in turmam noſtrae militiae quinquaginta aut ſexaginta armatis conſtantem feciſſe irruptionem, nihilque tale metuentem internecioni dediſſe; verum ſilentibus de hac clade litteris nouiſſimis, e contrario tranquillum ad fines Turcicos ſtatum exponentibus, rumor raucus factus eſt meritoque plane falſus deprehenditur. Budae * celebratum eſt IV. Non. Sept. iubileum in memoriam ereptae Turcis ante hos annos quinquaginta vrbis, vrbe vero in noſtra eodem die ſolemnia egimus annua, ob liberatam a Turcis vrbem, quam anno ſuperioris ſeculi octogeſimo tertio obſederant.

* *Ofen.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XXXIX. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Sept. Ex Africa ſemper aliquid noui olim, hodie ex Hiſpania, idque dum agitur in praeſenti, vt imperatori & imperio in Germania & Italia ex pacto nouo tradantur loca & prouinciae, nuntiatur ex Hiſpania, nouum quid moliri reginam ſuoque nouitatis ſtudio effeciſſe apud regem, quo minus otio torpeſcat otiumque regni faſces deponendo adfectet, vt expeditio noua, quaecunque illa ſit, cum copiis Barcinone collectis & in Hetruria reſiduis decerneretur. Si res ita ſe habet, Hetruria ad minimum onere militari ſe ſubleuatum iri gaudebit, vtque nouiſſimae ex Italia teſtantur litterae, Kheuenhüllerus comes, ſummus in Italia exercitus caeſariani dux, legionis ſuae tribuni vicarium ad Montemarium ducem miſit cum litteris, quibus imperator de iure cedit in vtramque Siciliam, idemque Montemarius dux cum in manibus habeat eiusdem generis litteras regis Hiſpaniae, non dubium eſt, quin, his inuicem traditis, Hiſpani proxime Hetruriam relicturi ſint. Noſtrum eumque in vniuerſum omnem exercitum ex Italia in patriam parare reditum in eo conſpirant omnes litterae rumoremque refutant de remanſuris in terra Mediolanenſi vel alia quadam vicina prouincia quindecim millibus. Luce heſterna Cirera, natione Hiſpanus, ordinis Minimorum praefectus ſupremus, pridie carpentis regiis aduectus, Verſaliae regis in conſpectum venit. Ordines Arteſiae VIII. Id. Oct. comitia ſua prouincialia auſpicabuntur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Coniecturis dediti nouum fingendi campum ingrediuntur ſibique & aliis perſuadere conantur, adunandum fore Hiſpanorum exercitum Barcinone collectum quemque Neapolis & Hetruria capiunt, vertendaque arma in Turcos, vel in Barbaros,

quod

quod aliis dubia aeque fide placet. Quicquid ſit, pacem tamen in republica chriſtiana proxime inſtare nulli negant, quae quam primum publicata fuerit, decreuit magiſtratus noſter vrbanus duodecim colligere myriades ex ſortibus conſtitutis, quae cum vita creditoris ceſſare ſolent, * quibus ille ſumptibus vrbem nouis paſſim locorum ſtructis aedibus exornabit. Torellus Caracciola princeps, qui Caroli Hiſpaniarum ducis in aula noſtra legationem adminiſtrat, ſuis in aedibus, lampadibus egregie illuſtratis VIII. Id. Sept. vtriusque ſexus optimates ad coenam adhibuit opipare inſtructam animosque praeſentium recreauit concentibus muſicis, in quibus advena nuper ex Anglia Farinellus natione Italus ſuam in cantando peritiam exhibuit. Richelio duci licuit per breue admodum tempus eſſe tam fortunato, vt trecentorum millium imperialium ex ludo quaeſtum fecerit, inque his qui iacturam faciendo ſymbolum ſuum contulerunt, fuere inter alios fortunae nouercae filii duces Trimouillius atque Luxemburgius, quorum ille ſeptem aureorum, quibus de Ludouico nomen eſt, millia, hic non minorem ſummam perdidit. Pugnae infelicis, quam noſtrates cum Indis Miſſiſippenſi in prouincia commiſerunt, conſignatio proſtat, quae manus conſerentium virtutem per horas quatuor exprimit, inprimis militiae ducum, quorum plures occubuerunt. Qua victoria elati hoſtes ne quid amplius molerantur, dedit rex mandata Breſtiam, vt ſexcenti milites, quam ocyſſime conſcendant naues preſſisque aduerſus Natcheſios, vt ea Indorum natio audit, auxilio veniant terminosque tueantur.

* *Leib-Renthen.*

Londino. III. Id. Sept. Prima currentis hebdomadis feria legatos exterorum principum aulaeque noſtrae procerum longe plurimos inuitauerat conuiuii magnifici hoſpites Antonius Azeuedus regis Luſitaniae legatus, teſtes ſolemnium, quibus reginae Luſitanicae celebrauit natalem, qui tertio ante die, nimirum VII. Id. Sept. in faſtis occurrit. Catalogus nauium, quibus in praeſenti regnum noſtrum munitum eſt, numerum definit centum viginti & quatuor maiorum ordinisque quinti & ſexti quinque & quinquaginta nec non incendiariarum triginta, in vniuerſum ducentarum & nouem, quarum pretium myriades binas librarum Sterlingicarum ducenta nonaginta & vnum millia trecentas triginta & ſeptem conficit. Poſt hominum memoriam tam valida non fuit militia noſtrae nationis naualis tamque bene ordinata, ſiue diſciplinae obſeruationem, ſiue ſtipendiorum ſolutionem & reliqua reſpicias. Inſigni quoque in flore eſt mercatorum res maritima, inque aedibus ſocietatis ad Indos orientales mercaturam inſtituentis tam copioſi confluxerunt nauticam operam praeſtare geſtientes in naue, quae Bombaium mittenda venit, vt reliquae omnes naues, ſi ad manus

manus eſſent, intra dies quatuordecim abunde inſtrui poſſent. Multorum teritur manibus ſcriptum ad Kilmoranum epiſcopum directum, quo varii generis morborum ex malis reſtituti valde multi enumerantur, qui lacus Dauanenſis prope Dublinum in Hibernia aquas adhibuerunt. His diebus terrae mandavimus ciuem, qui ex vino ſublimato inſignes collegerat diuitias ſuoque in teſtamento per tres dioeceſes pauperum rationem habuit habuitque non minorem viuus, nam, quod mireris, quinque millia & quod excurrit funus eius comitabantur, vltimo cum honore vt adficerent, quem benefactorem agnouerunt.

Vindobonae. XVII. Kalend. Oct. Heſterna luce ſemeſtria ſua celebrauit ſolemnia, qui ſub auſpiciis floret Amaliae Wilhelminae, imperatricis viduae, ordo equeſtris, cui de cruce ſtellata nomen eſt, inque eum lectae ſunt:

1) Eliſabetha Eleonora Vrſelia eaque natalibus Salmenſis princeps.

2) Thereſia Arco comes, nata marchio Arcizzonia;

3) Chriſtina Eliſabetha Romeria baro, eiusdem dignitatis e gente Schmetzingenia;

4) Maria Magdalena Mancinia, nata Beruzzia;

5) Antonia Scherdlia & Burtenbachia baro, nata comes Rechbergia;

6) Johanna Potztatzkia baro, nata comes Zierothina.

7) Catharina Spilingbergia natiuitate Nordiſia comes;

8) Anna Maria Andraſia baro, nata comes Bedenia;

9) Eleonora Thumbia baro, nata comes Nothaſſtia & Wernbergia;

10) Charlotta Frentzia natalibus Bylandia baro;

11) Maria Carolina Zacobla Badenſis & natalibus Reinachia baro;

12) Sabina Sophia Soardia comes, natiuitate Kackelbergia & Landauia;

13) Johanna Renata Falaizia baro, ortu Stöſſelia;

14) Lucretia Legnania marchio, nata comes Antaldia;

15) Maria Iſabella Barbo & natiuitate Auerſpergia comes;

16) Joſepha Strakha, ortu vero Trauthmansdorffia comes;

17) Franciſca Sacrati natalibus Criſpolti marchio;

18) Maria Anna Hocheneckia baro, nata comes Polheimb & Wartenburg;

19) Thereſia Herberſteinia ſed natiuitate Schaumburgia comes;

20) Maria Charlotta Loewenſteinia Wertheimenſis princeps, nata dux Holſatiae Sleſuicenſis;

21) Antonia Neuhauſia comes, ortu Hhrabſchitzkinia.

E contrario per proxime praeterlapſum ſemeſtre aeſtiuum, a V. Non. Maj. ad XVIII. Kalend. Oct. eum & omnem humanum ordinem vitamque reliquerunt:

1) Franciſca Luſitaniae princeps regia, Olyſſippone;

2) Auguſta

2) Auguſta Malzania baro natalibus Proeckia, Jaurini; *

3) Imperia Bongiouannia marchio, nata comes Carandinia, Romae;

4) Maria Antonia Saurauia eaque natiuitate comes Breuneria, Laubaci;

5) Anna Maria Vhlefeldia natiuitate autem Sintzendorffia comes, quae archiducis Auſtriae Eliſabethae in Belgio aulae praefuit, Bruxellis;

6) Thereſia Porztatzkia baro, nata comes Wagenſpergia Huſtepetſchiae.

* *Raab.*

Lipſia. IV. Kalend. Oct. Vindobona relatum accepimus aduolaſſe ex Italia curſorem cum nuntio, quod IV. Id. Sept. vrbem & caſtellum Mediolanenſium, diſcedentibus regum foederatorum militibus, caeſariani ſuo firmarint praeſidio. Saxoniae dux Salfeldenſis in venatione, quam inſtituerat, ſolemni ceruum offendit globoque traiecit plumbeo, cuius cornua ſex & quadraginta extremitatibus praedita ferae longaevitatem declararunt. Pommersfeldenſi in villa pridie Kalend. Sept. matrimonium Schoenbornii comitis cum Plettenbergica comite natu minori ratum perfectumque declaratum fuit benedictione ſacerdotali, quam princeps & epiſcopus Bambergenſis & Herbipolitanus * peregit. E Franconia nuntiatur obitus Chriſtiani Caroli Friderici IV. Non. Sept. praematura morte extincti, qui ex liberis Philippi Henrici comitis Hohenlohae Ingelfingenſis ſolus adhuc ſuperſtes fuerat. Wimaria quoque luget obitum vnici principis tenerrima aetate Idibus Sept. defuncti Caroli Auguſti Eugenii, vtpote qui ſuperioris anni Kalendis Oct. lucem conſpexerat. Dictis Idibus Sept. Petroburgo Hamburgum venit Dehnius comes, Daniae regis per aliquod tempus in aula auguſtae Ruſſorum legatus, iterque ſine mora Hafniam proſecutus fuit. Quem ille ſucceſſorem nactus eſt in adminiſtranda legatione, Backhoffius, regi Daniae a conſiliis apud Tychopolitanos * * regiminis, Hamburgum pariter ingreſſus, iter, quantum poterit, Petroburgum maturabit. Ex hoc, quod vltimo loco nominauimus, oppido VI. Kalend. Sept. datae litterae graue admodum incendium non negant, negant vero tot numero in cineres redactas eſſe aedes, quot fama tulit, quae omnia in maius extollit, idque certum eſſe adfirmant, quod in horreis mercatoriis atque tabernis, potiſſimum periculo expoſitis, centenorum millium, Ruſſici valoris imperialium damnum datum fuerit.

* *Würtzburg.* ** *Glückſtadt.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XIII. Kalend. Oct. Diſſ. Jur. *de competentiae beneficio aduocatis competente*, praeſide D. ABRAHAMO KAESTNERO propoſuit ERDMANNVS BENIAMIN SCHWITZKE, Lubena-Luſatus. Litteris Richterianis. pl. 2.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XL. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄIↄcc XXXVI.

Neapoli, pridie Non. Sept. Quandoque, ſi parturiunt montes, ne quidem naſcitur ridiculus mus, quique aureos montes polliceri ſuſtinuerunt aulae optimates optimatumque princeps, breui fore dicentes, vt noui quid & laetus quam maxime nuntius aures ciuium permulceat, fumum vendidiſſe deprehenduntur, die enim definito nihil prorſus noui innotuit, nec optimos dixeris vates, qui non bene cecinerunt. Ipſis Kalendis Sept. nauis qua leuioribus inſtructa velis * vtuntur Veneti, noſtrum intrauit portum, aedificata Venetiis ſumptibus Caroli Hiſpaniarum principis, vel, vt alii contendunt, eidem ab Hetruriae magno duce dono miſſa, capiens binas ſtatuas, quae artifices noſtrae aetatis peritiſſimos loquuntur. Auerſano in agro, quae fieri debuiſſent quam ocyſſime caſtra, XVII. Kalend. Oct. demum locabuntur, militiae ducibus interea in eo occupatis, vt, qui inſigniter decreuit, legionis quisque ſuae numerum ſuppleat. Heluetícae nationis militum turma, ad perſequendum caſtra deſerentes ablegata, nonniſi tribus comprehenſis re infecta rediit nec plures conſequi datum fuit, profugis Aprutium verſus longius digreſſis nec ſine damno, quod ſuo in itinere paſſim incolis intulerunt. Hodie poſt meridiem Capuanae ditionis raptus eſt quidam ad vincula litteras ſecum habens inſcriptas Charnio comiti, ſed deſtinatas de fide ſuſpectis, quorum euoluere nomina hucusque non licuit. Turchianae principi, Ambroſii Caraccioli coniugi, interdictum eſt conuenticulis, nec ſuis in aedibus conuocandis nec alibi frequentandis, comminatione adiecta, vt, morem ſi non geſſerit, intra octiduum vrbe & regno vniuerſo careat.

* *Peote.*

Roma. VI. Id. Sept. Quod aulae noſtrae

noſtrae diſcordiis cum Luſitanorum rege adflictum fuit, vulnus recruduit & eo quidem tempore, quo coiuiſſe nec male tractatum credebatur. Conſtantinopoli aduentauit vicarius pontificis, Donius, retulitque querelas de loci illius ſacerdotibus, qui diui Auguſtini regulam profitentur, adeo deditis otio, vt, de propagandae religionis chriſtianae ſtudio rite exercendo admoniti, hebdomade etiam magna neglexerint ad populum de ſuggeſtu ſacro concionem recitare, recitare quam vicarius ipſe coactus fuerit. Delegauit itaque pontifex iudices purpuratos Barberinum, Annibalem Albanum, Imperialem, Corſinum, Petram, Caraffam, Spinolam & Gentilem, qui delictum ſoliciti perpendant. Superiori quoque hebdomade cauſa Gallorum in Cochinchina religionem propagantium in conuentu purpuratorum quorundam ſub incudem vocata fuit. Prima currentis hebdomadis feria de controuerſia nobis cum Gallica aula nuper ſuborta deliberarunt, in aedibus Corſini purpurati, collegae Firrauius, Gentilis & Paſſerius, ſucceſſu autem minus optato, quantumque conſtat, res ea grauioribus opinione laborat difficultatibus. Nudius quartus, finita congregatione S. Officii, quam diutiſſime colloquendo Ottobonus & Annibal Albanus purpurati, protectores Galliae & Poloniae, omnium oculos ad ſe traxerunt.

Ex eadem vrbe, eodem die. Gervaſius atque Cicerius abbates, his diebus ex iudicum ſententia capitis damnati, luce heſterna deprecatores apud pontificem nacti ſunt adſcriptos ſocietati, cui de Johanne decollato vulgo nomen eſt, quorum principes ſupplices pontifici exhibuere litteras, qui etiam precibus eorum locum dedit reosque capitis abſoluit clementia ſua confirmans ius antiquum, quo dicta ſocietas gaudet. Eodem die ſedecim numero ſeditionis apud Velitrenſes nuperae auctores & principes noſtrae vrbis in vincula publica delati ſunt, qui petulantiae ſuae poenas dabunt. Carcerem quoque meruit incola Burgi Pii, inventor theſauri in aedibus ſuis, conſtantis ſtatuis binis valde pretioſis aurique cuſi inſigni admodum copia, miſſis eo, qui terram vlterius auctoritate publica foderent, a quo tempore tres adhuc delicti conſcios cuſtodiae traditos eſſe cognouimus.

Liburno, VII. Id. Sept. Ex mandato magni ducis Hetruriae, Turci duodecim Genuenſium captiui, quos e Corſica haud ita pridem aduexit nauis, ex hac deducti ſunt in locum captiuis deſtinatum, adſeruandi donec Genuenſibus reſtituantur, nauticam operam praeſtantibus pariter incarceratis, qui profugos exceperunt ſcelerisque & perfidiae adiutores ſe exhibuerunt. Hiſpani multum farinae Piſa adportandum curarunt vt & panis bis cocti nec egent aeris, vtpote qui denuo triginta acceperunt millia nummorum, quos aureos ſolidos Hiſpanici valoris adpellamus.* Ad euitanda tempeſtatis

peſtatis pericula, ſeptem eorum naves bellicae tutiorem portum Speccianum petent, reliquae, quibus milites traiici ſolent, ad manus ſunt ſatis copioſae, nec tamen de diſceſſu eorum, qui nobis praeſidio, aut ſi mauis dicere, oneri fuerunt, certi quid conſtat. Conſtat autem certo ita ſe habere, quod Barcinone nullus amplius fiat belli adparatus & annona ſaltem conquiratur, quae tribus ſufficiat equitum millibus, ſi forte his alio traiiciendis opus ſit. Noviſſimae Corſica ex inſula Kalendis Sept. ad nos datae referunt litterae, Theodorum baronem Verdae in tractu Aleriano commorari odiumque ſuae factionis in Genuenſes, horum captiuis duodecim de patibulo ſuſpenſis, expleuiſſe, qui infelici commiſſo praelio ad inſulam Roſſam manus inciderant. Coeterum Corſi rebelles iterato dicuntur egiſſe conventum inque eo decreuiſſe promiſſa Theodori auxilia per menſem adhuc Octobrem praeſtolari, quo praeterlapſo gratiae termino, Theodorum dignitate ſua & auctoritate privandum fore. Gemina naue adpulſa ad littus Baſtienſe duces militiae Hiſpanicae, qui in vrbe ſunt vel transfugos vel inter Corſos captiuitatem ſubierunt, ſuae nationis milites repetunt. De Theodoro tandem & hoc nuntiatur, quod panem bis coctum valde multum* comparet perque loca maritima ſexcentos diſpoſuerit armatos, qui de turribus, Genuenſium nauigia igne ſclopetorum a littore arceant.

* Doppien.

E terris Helueticis. XVI. Kalend. Oct. Galli ſuam in diſceſſu e terris Mediolanenſibus tarditatem in praeſenti multa compenſant alacritate, laudique ducitur Noallio, regni Galliae mareſchallo, quod Laudem Pompeiam Nouam* relinquens ciuibus remiſerit ſeptem & viginti francorum millia, quae iure ſtricto exigenda adhuc habuiſſet. Mediolanum ingreſſus ſacellum diui Caroli Borromaei frequentauit atque ſalutatus a magiſtratu vrbano & ordine equeſtri, iter in Galliam per limites Pedemontanos proſequutus eſt. Litteris, quibus imperator feuda Langharum in beneficium concedit, regi Sardiniae traditis, eodem adhuc die caeſariani intrarunt Mediolanenſe caſtellum, poſterisque diebus, militis peregrini poſt diſceſſum, legiones peditum ſeptem atque equitum quatuor loca cis Ticinum fluuium reliqua occuparunt. In Petrino Mediolanenſium coenobio hoſpitium paratur in aduentum Kheuenhülleri comitis, ſummi caeſarianae militiae ducis, cumque plures quotidie ad extremos Parmenſium limites qui Hetruriam ſpectant, ſui exercitus milites contrahat, non dubium eſt, quin Hiſpani proxime ex Hetruria diſcedentes paciſcentium concluſis colophonem impoſituri ſint.

* Lodi.

Lutetia Pariſiorum. XVIII. Kalend. Oct. Villarius dux ſuperiori hebdomade Mantuam Carpetanorum profectus eſt redditurus regi Hiſpaniarum inſignia ordinis aurei velleris,

quibus

quibus ornatus mareſchallus regni, parens eius, inceſſit, ſimul & occupaturus locum in ordine Hiſpaniae procerum, qui cooperto coram rege adparent capite, multorumque ex opinione ipſe paternae dignitatis haeres a rege dicti ordinis inſignibus ornabitur. Cantimirus princeps, qui legationem auguſtae Ruſſorum apud regem magnae Britanniae adminiſtrat, vrbe noſtra relicta & medicorum ſchola, Londinum iter aggreſſus eſt. Tardifus, caſtrorum praefectus, anno aetatis octogeſimo quarto naturae debitum ſoluit. Accidit praeterita hebdomade, vt terram fodientes in aede Auguſtinorum, & eo quidem loco, quo condendus erat eiusdem ordinis ſacerdos defunctus, inciderent in corpus foeminae honoratioris ante annos ſexaginta ſepulchro illatum, quod ſarcophagum aperientes cum aliqua ex parte laederent, ſanguis profluxiſſe traditur, plebe itaque in miracula prono, praefectus ordinis templique ſepulchrum protinus reſtituendum iuſſit, coniectis in chartam, quae digna notatu euenerant.

Londino. XVIII. Kalend. Oct. Carolus Wagerus eques melius ſe habere coepit, ita vt ad dimidium horae per hortum obambulando vires ſuas tentare potuerit. Nudius quartus, die nimirum III. Id. Sept. quo triſtis rediit in mentem recordatio tredecim millium vrbis noſtrae aedium incendio conſumptarum anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſexto, praefectus vrbis ſummus, cum omnibus, quos ordinis ſui habet collegas, annuo pro more ad ſacra in aedem Paulinam ſe contulit. Hamiltonus Brandonus dux Spenceri cum filia contraxit ſponſalia, quam, praeter formae pulchritudinem, quinque & ſeptuaginta aeris Sterlingici millium dos opima commendat. Montiius comes, proxime ad nos ex Hiſpania legatus rediturus, ſuos per curſorem remanere iuſſit nec iter, vt primum ipſi conſultum viſum fuerat, Hanoueram facere. Nudius tertius, typographus quidam ſociorum artis ſuae numerum in carceribus auxit, de quo ſuſpicio eſt, quod libellos famoſos, quorum plus vice ſimplici mentio facta fuit, prelo ſubmiſerit. Olyſſippone nunciatur caedes nefanda Hayſii, noſtrae nationis conſulis ſiue praefecti vicarii manu Luſitani cuiusdam, quem ſua in familia aluit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XI. Kalend. Oct. Diſſ. Jur. *Receptam L. XV. in fin. de Vſufr. Lectionem: Proprietatis Dominus ne quidem conſentiente fructuario ſeruitutem imponere poteſt; ab aliarum emendatione nec non vulgari explicatione & nota abſurditatis vindicatam*, praeſide D. JOHANNE GODOFREDO BAVERO, propoſuit CAROLVS AVGVSTVS NAEVIVS, Dreſdenſis. Litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 6.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XL. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Conſtantinopoli. IV. Id. Aug. Si religione inter ſe diſſidentium & armis dimicantium animos eadem facilitate conciliare datur, maximam omnium merito palmam gloriae adfectare dixeris ſummum hodie ſacrorum praeſulem, * qui pro ingenii ſui modulo coniecit in chartam, qua ratione ſecta Muhamedis & Aly queat conciliari odiumque tolli, quo Perſas Turcosque per tot ſecula invicem in cauſa religionis flagraſſe in propatulo eſt.** Legatus Perſarum, quem centum & plures comitantur aulaque noſtra omni honoris cultu proſequitur & quam largiſſime ſuſtentat, a Kulichamo tum demum ablegatus eſt, vbi, ſumpto regis titulo, legatum Turcicum aduentaſſe cognouerat. Ruſſorum quidam captiui, quos Tartarorum princeps ad nos miſit, per vrbis vicos primarios in triumphum ducti ſunt. Imperator, quem caſtra, quae ſiunt in Hungaria, reddunt valde ſolicitum, interprete vrbis praefecto, vices gerente abſentis purpuratorum aulae principis, imperatoris Romani apud nos legato Dallmanno ſignificauit, caueat ſibi, ne finibus excedat, idemque forte Venetorum legato nuntiabitur.

* *Muffti.*

* * *Diſſenſum hunc religionis inveteratum ſi cui placet noſſe, euolvat is Aug. Pfeifferi Diſſertationem, quae in eius Faſc. Diſpp. quinta eſt: de Aliſhiis & Sunnitis ſiue Perſarum & Turcarum in religione diſſidiis.*

Mantua Carpetanorum, pridie Non. Sept. Leuiter aegrotarunt rex & regina ad Fanum S. Ildephonſi commorantes, redditam vero ſibi ſanitatem venatione inſtituta publice declararunt. Montiius comes, legatus ad regem magnae Britanniae, iter Londinum proximis diebus aggredietur, e contrario dicti aeque regis ac ordinum foederati Belgii apud nos legati multae admiſſionis eſſe de-

pre-

prehenduntur. Vaugrenanius marchio, regis Galliae qui legationem adminiſtrat, frequenter admodum Patinhum, aulae noſtrae optimatem, in colloquium conuenit, nondum autem e Gallia rediit curſor, quem ille cum conditionibus nouae pacis & concordiae nos inter & imperatorem, Verſaliam ablegauit. Ladronus creatus eſt Gaditanus praefectus, qua ex ſparta ipſi quotannis multum aeris redit. Aeſtu ſolis paululum ceſſante, iter incipiunt facere legiones quaedam, vt praeſidia vrbium more ſolito permutentur. Quidam, a rebus qui fuit in aula ſolicitandis eorum nomine, qui Americanis in oris degunt, praepoſtera ratione imitando genus ſcribendi, quo Patinhus vtitur, ſuſpendium meruit.

Lutetia Pariſiorum. XVII. Kalend. Oct. Cladem, quam noſtrates Miſſiſippenſi Americae in prouincia paſſi ſunt, circumſtantiis ſequentibus enarrant litterae pridie Kalend. Maj. currentis anni ad nos datae: Praeſes illius prouinciae, Bienuillius, ſtatutum habens cum animo ac deliberatum exſtirpare Indos Cicachaſios vulgo dictos, auſos ſuperiori anno Gallos haud leui damno adficere, digreſſus Aurelio nouo progreſſusque per Mouillanam ditionem hoſticum petiit, omnibus ſtipatus nationibus, quae inferiorem prouinciam incolunt. Eodem tempore ad Illiniorum praefectum, Artaguettum, dederat mandata, vt collectis quibuscunque poſſit & Europæis & Americanis ſubiectis ad Kalendas Apr. eo pariter concederet. Artaguettus, maturato itinere, ante Bienuillium, quo tendebat, peruenit, nec eum praeſtolandum ratus Chicachaſios aggrediebatur, nimium confiſus Illiniorum fortitudine, fortius loquentium quam pugnantium, vix enim primum ſuſtinentes impetum, terga dederunt. Reliqua tam Gallorum quam Indorum manus centum & quinquaginta armatis conſtans aduerſus hoſtium octingentos haud diu ſtetit in acie, qua infeliciter commiſſa, ipſe Artaguettus cum omnibus belli ducibus atque octo & quadraginta fortiſſime dimicans occubuit. Quo cognito, iter nihilominus proſequendum duxit Bienuillius, trecentisque, Gallorum ex menſurandi ratione, milliaribus ſuperatis, offendit hoſtem paratum elatumque victoria & latitantem locis munitis, quae expugnare haud potuit. Solet haec natio ſingulari prorſus modo ſua munire caſtra aut potius latibula, triplici nimirum ſerie foraminum ſclopeta excutientibus inſeruientium in linea deſcendente ita, vt infimum terrae proximum ſit. Clauduntur ea ianuis & quidem protinus ictu facto, ne veſtigium, vnde hic euenerit, aliquod ſuperſit. Tuguria ſtruunt nexu continuo, vt ſuppetias ferendi pateat occaſio, nulla vero hoſti eadem aliter expugnandi quam obſidione, vel ideo difficili, quod tormenta ad manus non ſint nec eſſe poſſint in itinere tam longinquo, nec ſufficiant tela noui inuenti, quibus igni

igni dare tuguria nec fruſtra quandoque tentauimus. Captiuorum in numero eſt Senalius, ſacerdos ſocietatis Jeſu, paſtor caſtrenſis, quem dubio procul martyrium manet graviſſimum pro more gentis, quæ ſuos ſolet captiuos cruciatibus aliquot hebdomadum conficere et enecare.

Ex eadem vrbe. XV. Kalend. Oct. Quo certius eſt noſtros aeque ac Pedemontanos milites excedere terris Mediolanenſibus, quas caeſariani occupant, eo maiorem omnibus movet admirationem cunctatio Hiſpanorum, qui de Hetruria relinquenda nondum cogitare videntur, accedente & hoc, quod Barcinonem ex omnibus regni partibus & naues & his neceſſaria quaecunque ſunt, ſtudioſe conferantur. Idem, quod noſtra ſuperioribus annis, fatum experitur curia ſuprema Britanniae, cui adſcriptos in nonnullos ſuae ſententiae aduerſantes, rex grauiter animaduertit, praeſides tres ſolum vertere iuſſit, conſiliarium vero vnum Nemauſenſi * in caſtello carcerem ſubire, copiis in Britanniam pluribus miſſis, ne in comitiis provincialibus ordines congregati iique ad certum numerum redacti, ex libertatis ſtudio motus ciere ſuſtineant. Aubignio comiti, Treuirenſi hodie praefecto, rex tradidit directionem totius pedeſtris exercitus, quam qui habuit Meſmeſius Dauignanus marchio Guiſiae praefecturam obtinuit. Noallius, regni Galliae mareſchallus, ex Italia, vbi exercitui praefuit, ad VIII. vel VII. Kalend. Oct. in exſpectatione eſt. Pontarlo Burgundiae comitatus ex oppido nunciatur graue incendium, quod III. Kalend. Sept. hora poſt meridiem prima audita in turre aedis S. Benignae ſubortum dictam non modo aedem, ſed, praeter aedificia quadringenta, etiam conſumſit Auguſtinianam cum noſocomio, cuius alumni ferme omnes in cineres abierunt. Tantum abeſt, vt, ex effato Fleurii purpurati nupero, rex faſtidiat Italorum in cantando peritiam, quam potius admiratus Farinellum capſula herbae Nicotianae aurea, cui inſculpta regis imago multis adamantibus collucebat, donauit. Ex remotisſima Sueciae prouincia, Lapponia relatum accepimus, quod Maupertuiſius eiusque itineris comites duo & triginta ad radicem montis Kaſcae tribus aliis altiſſimis cincti hoſpitium ſumſerint ſatis commodum, incolis victum quemcunque habent, largiter ſuppeditantibus. Locus, in quo commorantur, obſeruationibus futuris valde aptus habetur, ſitus ſub gradu ſexageſimo tertio, ſi duo aut tria addas momenta, de eo vnice conqueruntur noui aduenae, quod muſcas pellendi cauſa vix fumi ſatis excitare valeant.

* *Niſmes.*

Haga Comitum. VII. Kalend. Oct. Fama fert, ordines reipublicae noſtrae de noua cogitare exercitus diminutione, non minori illa, quae nuper euenit, ſed eo demum tempore, quo pax publicata fuerit.

Ducis

Ducis Holſatiae qui rebus apud nos praeeſt, Hadrianus, litteras exhibuit Steenbergenio, qui per hebdomadem ſuperiorem conuentus ordinum praeſidem egit, quibus ille ſolicitat deprecationem auxiliumque, vt, in pace condenda ſui juris habeatur ratio, quod ſibi in Sleſuicenſem ducatum eſſe contendit. Cauſa itineris, quod in Galliam ſuſcepit regis Luſitaniae apud nos legatus, Ludouicus Acunha, allegatur interceptio litterarum Hiſpanicarum ad Gaditanum praefectum in terris Luſitanicis, quam aegre admodum fert regina Hiſpaniarum dubioque procul nouam conſultationibus paciſcentium moram iniiciet, licet omnem adhibeant operam Galliae, Angliaeque regum & ordinum foederati Belgii legati, vt idem quoque obſtaculum remoueant. Rex Luſitaniae eo perduci non potuit, vt ſoli Galliarum regi committeret opus reſtituendae concordiae ad exemplum Hiſpanorum regis, excluſis Anglis Belgisque, probe perſpiciens, quantum debeat foederato magnae Britanniae regi, qui per hyemem, ſuam Olyſſipponenſi in portu remanere iuſſit claſſem nauesque mittere in Americam, quae ſub ſpecie reddendi mare tutum a praedonibus, re ipſa Luſitanis aduerſus Hiſpanos inſultantes auxilia praeſtent. Kalkoenus, noſtrae reipublicae in aula Turcica legatus, ſuis in litteris retulit, in eo cum eſſet curſor vt abiret, Conſtantinopoli circumſonaſſe auribus fragorem tormentorum, inque vulgus ſparſum fuiſſe rumorem, laetitiae populo ſignificandae cauſa id fieri, cognito, quod Ruſſi Crimenſi Tartaria vel inuiti exceſſerint. Idem ſuis in litteris ſpem pacis Turcos inter & Perſas omni carere dubio adfirmat intra dies non ita multos adimplendam, legatoque Perſico eum exhiberi honoris cultum, quo regem Kulichamum, ſi ipſe adeſſet, dignum iudicarent. Aliorum ad familiares teſtantur litterae, nationum Europaearum centum & plures architectos militares bellique duces, pace per Germaniam & Italiam conſtituta, Conſtantinopolim veniſſe, multorum ex coniecturis, vt caſtra ſequantur Turcica, ſi pax cum augusta Ruſſorum, ſine armis obtineri nequeat. Londinenſes in ſuis ad nos litteris tantum non omnes in eo conſpirant, quod Nixonus, ſacerdos factionis Jacobiticae nuper incarceratus, auctor ſit diuulgati apud Weſtmonaſterienſes libelli famoſi, quae etiam cauſa ſit, cur durioribus conſtrictus compedibus pondo quinquaginta, ad regis reditum in vinculis adſeruetur.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. X. Kal. Oct. Diſſ. Primam, *de Potionibus mortiferis, ad illuſtrandos varios S. Scripturae Locos, inprimis Marc. XVI. 18.* exhibuit eruditorum examini M. JOHANNES JACOBVS BOSIVS, Reſpondente JOHANNE DIETERICO HICKMANNO, Oſnabrug. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 7½.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLI. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. III. Id. Sept. Eſt vindicta bonum vita iucundius ipſa multis, quibus gloriae nihil, parum humanitatis eſt; e contrario, vindictam non ſumere, quam in manibus habuit, optimum vindictae genus nec ſine laude iudicauit Caſtropignanus dux & nuperrime exercuit. Cuius qui de familia quosdam male tractauerant Salernitanus atque Palus duces in carcerem coniecti non prius dimittendi erant, quam offenſo feciſſent ſatis ad modum, quem ipſe determinauerit, quo nihil determinante ſuoque cedente de iure, illi libertate donati fuere. Nonis Sept. noctu ſenio confectus dux Cirifalcus naturae debitum ſoluit. Regium per omnes regni prouincias edictum fuit publicatum, publicabiturque proximis diebus in vrbe noſtra, quo ciues & incolae in vniuerſum omnes iubentur certum in locum conferre quodcunque ſclopetorum poſſident genus nec vllum retinere, vt hac ratione caedium violentarum frequentia imminuatur. Curſoribus valde multis, vel accedentibus, vel recedentibus, & conſiliis ſanctioribus tantum non quotidie conuocatis, cuncta tamen, quae ſtatum praeſentem concernunt, ſummo premuntur ſilentio. Interim ex curſoris, qui heri ex Hiſpania ad nos acceſſit, ore hauſimus, regem Hiſpaniarum pactionem cum imperatore tandem ſubſcribendo firmaſſe, datis inſuper mandatis ad Montemarium, ſummum exercitus ſui ducem, vt Hetruriam relinquat copiasque XV. Kal. Oct. nauibus imponat. Quo pacis nuntio audito, magiſtratus noſter aulae exhibuit libellum ſupplicem, quo triginta & vnius immunitatum, quibus vrbs noſtra gaudet, confirmationem expetiit, ſed hucusque reſponſum non tulit.

Roma. XVII. Kal. Oct. Corſinus purpuratus legatusque Gallorum S. Aignanus dux in componenda, quae nobis cum horum aula ſubnata fuit, lite, omnem mouent lapidem,

quem in finem Carolina in villa plus vice ſimplici conſultationes inſtituerunt, ſuaque legatus manu exarauit prima huius feria ad Corſinum purpuratum litteras, quibus ei ad conditiones pacis & concordiae reſpondit. Feria tertia in aedibus purpurati Firrauii, collegae Petra, Imperialis, Corradinus, Gentilis & Corſinus, ſub incudem vocarunt querelas Graecorum aduerſus Melitenſes, ſibi ecclesiae Romanae ſub iectis ab his mari damnum inferri varium, hoc ſub praetextu, quod merces habeant, quae infidelium ſint, quid vero concluſum fuerit, non liquet. Pretium monetarum, quae in quotidiano vſu occurrunt, augendum dicitur ad praecauendum, ne huiusmodi aes cuſum ad exteros tranſportetur, quod interno valore caret. Furtum furto detectum iri raro accidit, accidit tamen nuperrime apud nos, vt palam fieret Carolo Hiſpaniarum principi olim rapaci manu ſublatos eſſe binos ex adamantibus confectos globulos induſii, cum eos ex haereditate eius qui furtum commiſerat, eodem modo auferre alter ſtuderet, iudicis itaque ex ſententia per curſorem res furtiua domino ſuo Neapolim transmiſſa fuit. En! nouum, quod vulgus captat miraculum hisque fere circumſtantiis euenit: Virgo collegii S. Luciae Ginnaſiae cancro mammarum laborans precibus multis erogaverat ſibi a Strozzia principe particulam lintei, quo corpus texit olim defuncta coniux equitis Georgiani, nec ſine ſucceſſu, ſenſit enim remedium eſſe dolorum aegra protinusque conualuit. Maritus defunctae, eques Georgianus, haec, quae reſcivit, in chartam coniicienda curauit tradiditque per virum ſibi a ſecretis & procuratorem purpuratis, qui congregationi de ritibus nomen habenti adſcripti ſunt.

Liburno, XVIII. Kalend. Oct. Portum intrauit noſtrum nauis Belgica, cuius praefectus enarrat, ad Gaditanum fretum ſe vidiſſe Hiſpanorum militiam capientes naues quinque & quadraginta vnamque actuariam, lambentes littus maris mediterranei vicinum Hiſpaniae; Anglicae vero heri adpulſae nauis praefectus addidit & hoc, quod dictam claſſiculam Oranum verſus curſum direxiſſe obſeruauerit. Continentur, vt aiunt, his nauibus legiones tres, Reginae, Hiſpaniae & Hiberniae nominibus inſignitae, deſtinatae permutando Oranenſi praeſidio, quod ad nos veniet in locum quinque legionum dimidiatarum militiae praetorianae, quae in Hiſpaniam reuertentur. Nam de diſceſſu huius nationis militum, qui Hetruriam tenent, altum ſilentium eſt, naues ſeptem bellicae eorum, noſtro relicto Speccianum abierunt in portum, quo tutae lateant a coeli inclementia, nec Anglicae, quae ad milites traiiciendos conductae ſunt naues, ſi vel maxime poſſeſſores vrgeant, dimittuntur, quarum cum ſint numero triginta & tres, per ſingulos menſes ſex Hiſpanis impen-

impendenda ſunt millia nummorum, quibus octonarius numerus nomen dedit. Dux Montemarius, cui, qua ſede ſedet, commoda ſatis eſſe videtur ſedes apud Piſanos, tempus varias excogitando delitias terit. Germani in ditione Luccenſi, imbre continuo defatigati apud ruricolas ſumſerunt hoſpitia, binaque adhuc millia praeſtolantur. Ex relatione praefecti heri adpulſae nauis, apud Smirnenſes Anglicae nationis conſul ſiue praefectus, cuſtodiae tradendos curauit nauticam operam praeſtantes nauigii, quo Theodorus Neuhofenius baro in Corſicam inſulam delatus fuit, quorum princeps Dickius male ſibi conſcius fatum praeoccupauit.

Lutetia Pariſiorum. XI. Kal. Oct. Rex Sardiniae vbi voti ſui compos factus nouo ex pacto tenet prouincias, noſtrae copiae Ticino * quoque & Viglebano ** diſceſſerunt inque vniuerſum omnes in reditu ad nos conſtitutae ſunt, dimidiam ſi detrahas partem, quae in Italia vel morborum vehementia defecit, vel caſtra deſeruit. Si fides habenda eſt coniecturis, maluiſſet imperator Noallii mareſchalli in Italia praeſentiam, arbitrum vt egiſſet in transactionibus Kheuenhülleri comitis cum Montemario duce, nec deſunt, qui ſibi conſtare autumant, dicto mareſchallo, ad negotium certum conficiendum, in mandatis eſſe Vindobonam proficiſci. Qui aulam frequentant noua in vulgus ſparſerunt futura ſponſalia, alia Delphini cum principe Hiſpanica, alia cum natu maiore Gallica Caroli principis Hiſpaniae, vt gemino domus Borbonica vinculo amicitiae arctius conſtringatur. Olyſſippone nuntiatur, ad vnum ab vrbe lapidem, praedonum, vt volunt videri, manus incidiſſe curſorem, quem cum litteris magni momenti nationis ibidem noſtrae praeſul ad nos ablegauerat. Noſtris in aula Luſitanica qui rebus praeeſt, querelas de faſciculo litterarum intercepto ad regem detulit, noſtrique aeque ac Hiſpaniae regis offenſam res ea peperit.

* *Pauia.* ** *Vigeuanaſco.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Archiepiſcopus vrbis noſtrae, nactus aduerſarios quam plurimos breuiarii ſui noui, huius agnoſcendi vel non libertatem per litteras publicas omnibus concedere ſtatutum dicitur cum animo ac deliberatum habere. Nec hoc cenſoribus placet conſilium, palinodiam fore contendentibus atque hoc ipſo futurum eſſe, vt diſſidentes inuicem factiones non tam concilientur, quam ad motus maiores incitentur. Mercator noſtrae vrbis multis diuitiis adfluens, Samuel Bernardus Moulino medico, nocte dieque per omne tempus, quo nuper aegrotauit, praeſenti praemium laboris ſoluit mille ducentos & quinquaginta aureos Ludouicianos, quibus ſi addas, quos praenumerando acceperat, quinquaginta, ſumma emergit aeris noſtri millium triginta & vnius & ducentorum, quam per bimeſtre ſpatium conſecutus eſt. Gratias ille Bernardo egiſſe dicitur

ſtylo,

ſtylo, quo orientales populi vtuntur: Generoſum eius animum ab aliorum hominum largitionibus haud ſecus ac ſolem a terra longius diſtare. Ad haec ille: Virum, inquit, ſingularis eruditionis atque experientiae decet omnino ſingulare tanti laboris praemium, quod haeredibus meis poſt mortem committendum non eſſe cenſui. Collegae Moulini, qui, vt figulus figulum odit, ſubirati, quod Galenus huic ſoli tantas dederit opes, famam ipſius arrodere geſtiunt, eumque, auri cupidum atque tenacem valde, in ſua gratiarum actione in haec quoque erupiſſe dicunt verba: Maiorem ego capio delectationem ex auro argentoque meo cuſtodiendo inſpiciendoque, prae haeredibus meis, qui eam aliquando ex dilapidatione capient.

Edino, Idibus Sept. Robbius, paſtor Kilſythanus, in ruderibus aedium agri Barhillani nuper reperit altare Marti deo olim dicatum, cum inſcriptione, cuius vix verba noſſe datum fuit: DEO. MARTI. CAMILLO. C. Ad latus altaris alterum cultrum, cuius in ſacrificiis vſus fuit, ad alterum cacabum ſine anſis offendit. Focus altaris ſatis diſtincte cognoſci poteſt, vt & extremitatum elegantia. Robbius inſigni hoc antiquitatis monumento donauit academiam Gloſcuanam, quae huiusmodi cimeliis abundat. Quantum colligere licet, altare hoc fieri fecit Camillus, imperante Antonino Pio ab anno poſt Chriſtum natum ſeculi ſecundi trigeſimo octauo ad ſexageſimum tertium praefectus Romanorum caſtelli, quo deſtructo Barhillana arx eodem loco fuit condita. *

* *Nemo facile inficias ire poterit Angliam ſcatere Romanae antiquitatis monumentis longe pluribus, teſte vel ſolo, magnae in patriae hiſtoria eruenda induſtriae viro, Thoma Hearnio, qui Diſſertationes curioſas, a celeberrimis antiquariis de ſelectis antiquitatum Anglicarum capitibus conſcriptas ſtudioſe collegit in vnum faſciculum, qui prodiit A. 1720. Oxon. 8. Anglice; conf. Act. Erud. Lipſ. Supplem. T. VIII. p. 325. Nec minori eſt fide Wilh. Baxterus, cuius Gloſſarium antiquitatum Britannicarum ſiue Syllabus Etymologicus Antiquitatum veteris Britanniae atque Hiberniae temporibus Romanorum A. 1719. Lond. 8. editus recenſetur in Ephemer. Britann. Tom. XIII. pag. 266.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, V. Kalend. Oct. Juſiurandum ſecundum diſciplinam Hebraeorum, eruditorum examini ſubmiſerunt M. CHRISTOPHORVS GOTTHELFF STEMLERVS & CHRISTIANVS NICOLAVS BERMANNVS, Schoendorff. Variſcus. Litteris Saalqechianis. pl. 8.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLI. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Sala. XVI. Kalend. Sept. Imperium, quod amiſit, quo minus ſeveritate diuturnum reddi expertus fuit Muleius Abdallahus, eo magis, quod recuperauit, clementia ciuiumque firmare beneuolentia ſtudet. Clementiam eius multis praedicant verbis ab vrbis noſtrae mercatoribus delegati, quos ille benigne excepit ſuaeque fecit tutelae certiores reque ipſa comprobauit, datis ad praedatum exeuntes mandatis, vt ab inuadendis nauibus noſtris toti abſtineant. Abſtinere tamen ad hunc vſque diem recuſant Belgae, quorum periculo expoſita nauis noſtra ſuperioribus diebus aegre admodum euaſit centum & pluribus tormentorum ictibus adpetita. Tanto itaque auidius praeſtolamur nationis illius legatum ad Muleium Abdallahum, Lynslagerum, praetorem naualem, qui Gibraltariae rerum apud nos euentum ſpeculatur.

Olyſſippone. VI. Kalend. Sept. Expedienda publicis in rebus cum per aliquot annos accreuerint nimium, placuit regi tres conſtituere, qui iunctis manibus negotia pertractent. Pertractabunt itaque, primus a ſecretis qui erit, res mere domeſticas, ſecundus maritimas, regias & transmarinas, in quantum regis vel regni commodum atque aerarium concernunt; tertius denique bellicas cumque exteris transactiones, cuius erit cum regum & principum legatis inire conſultationes, niſi rex in his viros extra ordinem a commiſſionibus eſſe iuſſerit. Qui Gallicae nationis conſulem ſiue praefectum agit, Montagnacus eques, de intercepto, quem ad Roideuillium comitem, Pacis Auguſtae * praefectum Hiſpanum ablegauerat, curſore, ſuas ad regem detulit querelas, quas hic indignabundus audiuit atque Ariagae comiti, praefecto Eſtremoſiae, cuius in agro ſcelus commiſſum narratur, im-

imperauit omne ſtudium atque induſtriam adhibeat in detegendis qui tantum facinus auſi ſint.

* *Badaioz.*

Mantua Carpetanorum. III. Id. Sept. Commoratur adhuc ad Fanum S. Ildephonſi aula noſtra, nec eam reuocare valuit aliquot dierum frigus, quod bruma grauius haud profert. Ex Italia aeque ac Gallia plures aduolarunt per breue tempus curſores, ſed ſummo nuntius eorum ſilentio premitur. Interim tam certum quam quod certiſſimum eſt, finem diſcordiarum cum aula Romana quam longisſime abeſſe vt & cum Luſitanica, perdurante nihilominus ad terminos publica tranquillitate, quique eos tuentur vtriusque nationis milites aeſtiua ſumſerunt. Montiius comes Hanoueram non proficiſcetur ſed recta via Londinum, vt legati munere defungatur apud regem magnae Britanniae, quam primum e terris haereditariis in Angliam reuerſus fuerit.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Kalend. Oct. Copiis noſtris ex Italia ad nos in itinere conſtitutis, ſummi aliquot duces militum, in his Lautrecus comes vrbem noſtram intrarunt. Ad ſingulas horas in exſpectatione eſt Noallius, regni Galliae mareſchallus, nec, vt fama tulit, arbitrum aget in rebus Hetruriae, quam ſibi tradendam iterum iterumque vrgent caeſariani, Hiſpani vero negant & pernegant. Dictus mareſchallus in tranſitu, ad patrios lares iter faciens, Auguſtae Taurinorum a rege Sardiniae magno honoris cultu exceptus fuit deque eo & duces & milites gregarii totius, cui praefuit, exercitus, bene admodum ſentiunt; valet praeterea noſtra in aula plurimum auctoritate & gratia, dignus vt perhibeatur connubio principis cuiusdam regio ſanguine cretae, Lotharingicam tamen alii ſponſam ei tribuunt. Conſtans quoque permanet rumor de ſponſalibus Caroli Hiſpaniarum principis cum noſtra principe regia natu maiori, atque, de quibus ferme nulli dubitant, Delphini cum Hiſpanica. Maria Thereſia Lotharingiae princeps vidua, multorum ex opinione Lunae Villae cum dominio ſupremo ad ſextum vſque lapidem, habebit ſedem, Stanislaus autem Commerciana in arce, quae multis ſumptibus exornatur. Delphinus princeps maiori indies incipit flagrare rerum bellicarum cupiditate, herique ſpectatum ſe contulit profectus militares legionis Helveticae Beſenwaldianae nec non expugnationem munimenti terrei, quod in gratiam Martis candidati exſtructum fuerat.

Ex eadem vrbe, eodem die. Molletus, qui apud Verſalienſes ſuſcepit opus replendae terrarum mole piſcinae, ſua oſcitantia operam praeſtantium ſibi contraxit odium parumque abfuit ante hos dies quatuor, quin a ſeditioſis obrutus lapidibus negligentiae poenas dediſſet, milites enim aegre ferunt, ſibi mercedem

cedem detrahi per dies, quibus opus inuiti facere nequeunt ſolisque ſtipendiis militaribus vitam ſuſtentare coguntur. Venetorum legatus, praemiſſa coniuge, quam XII. Kalend. Oct. Fontem Bellaqueum vſque comitabatur, Venierium equitem, ſibi ſucceſſorem datum, praeſtolatur, cuius poſt aduentum ipſe quoque diſcedet. Magnonus, in legatione Belgica a ſecretis, qui abſente Hoeio, ordinum foederati Belgii legato, res ſuae nationis adminiſtrauit, nudius tertius vitam cum morte commutauit. Quo etiam die, Eſtreeſio mareſchallo a ſacris domeſticis qui fuit, gutture ſibi nouacula ſucciſo, fatum praeoccupauit. Ticinum * XVIII. Kalend. Oct. caeſarianis traditum eſſe nuntiatur regemque Sardiniae accepiſſe imperatoris litteras, quibus feudorum Langharum dominus conſtituitur. Iure hoc ſuo vtens Cairum conuocauit, qui beneficiis Langharum in terris gaudent, cumque Genuenſes neminem miſerint, qui Caraſium, Bardinettum & Tezzium noui domini agnoſcerent beneficium, delegati ad hunc actum regii in contumaciam aduerſus eos ſententiam dixerunt, dubioque procul locorum facient horum iacturam, nec eos iuuabunt litterae ad imperatorem, quibus docent ea ſibi iure abſoluto competere.

* *Pauia.*

Londino. VII. Kalend. Oct. Finchius, vt aiunt, Holmiam, Thomasque Palhamus Neapolim proficiſcentur regisque noſtri legationem adminiſtrabunt. His diebus varioli incidendo Walpolii equitis filio prouocati ſunt. Cauendishius, ſummi vigiliarum claſſis praefecti vicarius, regem e terris Hanoueranis itinere maritimo reducet. Coeptum eſt colligi pecuniam in ſumptus, quibus Tameſis fluuius Lambethum inter & Weſtmonaſterium ponte iungendus fuiſſet, cumque vix centena aeris Sterlingici millia conficiat, ante adhuc comitia, ſuum cuique conferenti reſtituendum dicitur. In recenti omnium memoria eſt, Porteoum centurionem Edinenſium in plebem tumultuoſam ſclopeta excutiendo poenam capitis ex ſententia iudicum ſubeundam habuiſſe, differendam vero ex reginae mandato, donec rex e Germania reuerſus fuerit. Mandato hoc XIII. Kalend. Oct. Edini publicato, plebs irata atque ad ſeditionem prona confluxit magna multitudine, portas occupauit vrbis, ne quod militare ingrediatur praeſidium, carcerem, igne foribus admoto, perrupit, candidatum ſupplicii protraxit, protractum de ſigno, quod opificum aedes diſtinguit, ſine mora ſuſpendit, ſuſpenſique dein corpus mortuum eo proiecerunt loco, quo miſer ſclopetum in plebem emiſerat. Warwicenſis prouinciae in praediis ſuis diem obierunt, Wilhelmus Flemingius, eques baro, in linea deſcente oriundus e ſanguine Michaelis Flemingii, proxima coniuncti agnatione cum primo Flandriae comite, quem Wilhelmus Conqueſtor Britanniam

niam ingreſſus expeditionis ſocium habuit; vt & Adolphus Oughtonus, eques baro, turmarum ductor, qui & legionis pedeſtris praetorianae tribunitiam poteſtatem tenuit.

Lipſia. IV. Id. Oct. E terris Rhenanis nihil noui nec de euacuandis a milite peregrino Treuirenſium locis, cum Galli haud obſcure ſubindicent ſibi non prius diſcedendi animum eſſe, quam exactiones ſub finem belli definitas acceperint. Aichſtadii, epiſcopus illius vrbis Franciſcus Ludouicus XV. Kalend. Oct. naturae debitum ſoluit, qui oriundus e gente Schenckiorum cognomine Caſtellorum III. Non. Jul. anni vigeſimi quinti epiſcopus electus fuerat. Nonis Oct. Hubertoburgi rex Poloniarum diem natalem multis celebrauit ſolemnibus, praeter pontificis oratorem, auguſtae Ruſſorum Sueciaeque & Daniae regum legatis praeſentibus. Feſtum hunc merito diem poſteritati tradidit nouus ordo militaris, quo rex memoriam Henrici ſancti imperatoris * renouauit. Inſignia huius ordinis ſunt ſtella rubra octo partibus radians, cuius in medio ab vno latere conſpiciuntur imago Henrici imperatoris inque extremitatibus radiorum litterae: A. III. R. horumque in ſpatio intermedio aquila alba, quae inſignia ordinis Polonici refert; ab altero latere, leguntur in medio verba: PIETATE ET VIRTVTE BELLICA; radiosque ſtellae extremos exornant enſes, quibus Saxonum gens ſuis in inſignibus vtitur. Quod equeſtre cimelium pectore dependet ligamento coccinei coloris, quem ad extremitatem vtriusque lateris filamenta argentea infringunt oculosque ſpectatorum ad ſe trahunt. Equites, quorum princeps totiusque ordinis caput rex ipſe erit, hac vice omnium prima electi ſunt: Regius princeps haeres; Palatinus Ruſſiae, Czartoryskius princeps; enſifer regni Poloniae Lubomirskius princeps; eiusdem nominis princeps ſummi militum ducis vicarius; Mauritius comes Saxoniae; Rutowskius, ſummi militiae ducis vicarius; Sulkowskius comes, regi a ſanctioribus conſiliis; ſummique vigiliarum praefecti vicarius Diesbachius baro.

* *Solicitus de nexu ordinis noui cum Henrico ſecundo cognomine ſancto, imperatore, conferat geminam huius vitam, quarum altera ab incerto auctore conſcripta proſtat in Henr. Caniſii Lection. antiqu. T. VI. N. XVI. ſiue Edit. nouiſſ. T. III. P. II. p. 23. altera per Adelboldum Epiſcopum Traiectinum in Leibnitzii Script. Brunſuic. T. I. p. 430.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. IV. Non. Oct. Diſp. Jur. *de Amneſtia ſiue Lege Obliuionis,* publico eruditorum examini ſubmiſit WOLF EHRENREICH AVGVSTVS A KLÜX, Eques Luſatus, Reſpondente CHRISTIANO GÜNTHERO HASSE, Penic. Miſn. Litteris Breitkopfianis. pl. $7\frac{1}{2}$.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLII. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↃIↃCC XXXVI.

Neapoli. XIV. Kalend. Oct. Vitam miſcet omnem dolor & gaudium, illo itaque poſito, quem ſplendor purpurae obfuſcatus pepererat, hoc capit merito Coſcia purpuratus Romamque parans reditum ſupellectilem variam conquirit nec non veſtitum, quo ornati incedent ſeptem & viginti, tamque numeroſa, quam alere ſtatuit, familia ſtipatus haud obſcure ſubindicat, tandem quod poſt nubila Phoebus ſuperatisque adflictae cauſae ſuae difficultatibus, maiori, quam hactenus, in celebritate viuere & pro dignitate, quam tenet, perſonae in publicum prodire velit. Nudius quartus mane Vlloa praeſes conſilii bellici, fidem iureiurando dato, in aede S. Jacobi Hiſpanicae nationis exegit a praefectis militum cuiuscunque ordinis, qui, indulgente Hiſpaniarum rege, noſtris in terris remanebunt, quorum in numero Charnius quoque comes continetur. Fabricius Pignatellus qui Monteleonum ducem fratrem germanum agnoſcit, in praedio, quod ipſi in Calabria eſt & quo nuper metu poenae confugerat, diem ſupremum obiit. Nudius tertius ex Hiſpania aduentauit curſor, cuius nuntius latet omnes rumorque raucus factus eſt, qui nuperrime in vulgus emanauerat fore, vt Hiſpani Hetruriam breui relinquant pacisque publicandae moram tollant. *Lauria* dux ſponte ceſſit dignitate praeſidis regii ſenatus, nactus ſucceſſorem Vincentium Hippolitum ea conditione, vt dimidio ſalarii ſexies mille aureorum fruatur.

Roma. X. Kalend. Oct. Die, quo hebdomadem cultu diuino auſpicati fuimus, ante huius primordia, ſocietas religioſa, cui de miſericordia nomen eſt, iure ſuo antiquo vtens obambulationem inſtituit progreſſaque in carcerem publicum capitis abſolutos abbates Geruaſium atque Cicerium, rubris cinctos veſtibus, ge-

rentes

rentes in capite ſertum ex oliuae ramis contextum & in manu cereum ſuccenſum, eduxit, eductos deduxit multis ſolemnibus in aedem, quae Johannis decollati nomen habet. Sacris, quae Miſſae vocantur, peractis, in conclaui, quod oratorium vulgo audit, clauſis foribus, eosdem praefectus, cuius ſubſunt imperio, grauiter reprehendit, litteras, quibus vita donata ipſis declaratur, tradidit, tandemque ante dimiſſionem ſumſere prandium. Quidam, natione Hiſpanus, ex conceſſione purpurati, curiae fiſci praeſidis, in monte agri Nurſiani * Sibyllino theſaurum quaerens inuenit venam argenti optimi, cuius particulam fundi domino miſit, qui ei poteſtatem dedit ſuis ſumptibus terram vlterius fodiendi fruendique lucro, donec in venae meditullium penetrauerit, datis inſuper ad fiſci praefectos apud Maceratenſes & Montaltanos mandatis, vt ſuo ex ordine aliquos mittant, quibus opus hoc curae ſit.

* *Nocera.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Feria praeſentis hebdomadis ſecunda, Nuneſius, curiae pontificis ſupremae e natione Hiſpanica adſcriptus, hodie degens Neapoli, ſuarum apud nos rerum procuratorem per litteras admonuit de conductione aedium continuanda, non ſine manifeſto indicio, finem diſcordiarum cum aula Hiſpanica adpropinquare. Imo multorum ex opinione Acquauiua purpuratus, Neapoli relicta, Caprarolam aut Marinum, nec non Belluga purpuratus cum Nuneſio ſupra commemorato eiusque collega Peralta, Tuſculum * venient, vt in vicinia conſtituti transactionem maturare valeant. Feria tertia, regis Galliae legatus S. Aignanus Tuſculo Carolinam in villam conceſſit vt & vrbe ex noſtra Corſinus purpuratus, habitoque per duas horas colloquio in eam omnes induxerunt opinionem, argumentum deliberationis fuiſſe nouum nuntium, quem ille ſua ex aula acceperat. Idem cum ſua palatii Bonelliani palatia denuo exornanda curet, in his quoque cum Galliae rege diſcordiis felicem inſtare exitum, eumque proxime ad nos rediturum eſſe docet. Odeſchalchus purpuratus, infirma tentatus valetudine archiepiſcopatum Mediolanenſem Stampae tradidiſſe perhibetur. Oliuierius purpuratus Piſaurum ** abiit, abire autem qui voluit in vrbem, cui epiſcopus praeeſt, Aldrouandus purpuratus, ex mandato pontificis mutauit animum, vtpote qui in aula & Hiſpanica & Neapolitana multum valet gratia & auctoritate, vt in transactione ipſius praeſentia haud parum prodeſſe videatur.

* *Fraſcati.* ** *Peſaro.*

Liburno. XI. Kalend. Oct. Montus marchio Florentinus, militiae caeſarianae centurio, vltima ſuperioris hebdomadis feria, e Longobardia Piſam venit cum litteris ad Montemarium, ſummum exercitus Hiſpanici ducem, ſecum habens, vt fama fert, documentum litterarium, quo imperator vtriusque, quam Carolus Hiſpa-

Hiſpaniarum princeps tenet tenebitque ex pacto, Siciliae iuribus nuntium mittit. Poſt aduentum quoque curſoris Vindobonenſis ad dictum ducem, protinus ille Piſam ad ſe vocauit Campiglium, ſummum militum ducem, rerum apud nos maritimarum procuratorem & praeſidii noſtri Hiſpanici praefectum, ab eoque tempore in mandatis eſt panem bis coctum comparare in vſum claſſiculae, quae Speccianum tenet portum. Florentiae in exſpectatione eſt Khevenhüllerus comes, ſummus Germanorum exercitus dux, ad ordinandas res cum Montemario principe, quae Hiſpanorum diſceſſum concernunt. Ad caſtra caeſarianorum bis mille, totidem in ditionem Luccenſem iter faciunt e terris Parmenſibus, quae in vniuerſum ſex millibus conſtans manus Hetruriae impoſterum praeſidio erit. Ex agro Aulano hodie redierunt copiae, cumque reliquis in vrbe noſtra conſtitutis naues proxime conſcendent, quae ad manus ſunt. Omnium quoque diſceſſum Hiſpanorum praedicunt plurimi, quam primum viatico inſtructi fuerint, defectus enim pecuniae princeps morae cauſa allegatur, quam cum praeſtolentur ex Hiſpania, Montemarius dux publico apud Piſanos edicto eos hortatus eſt, vt debiti ſui rationem reddant, quicunque Hiſpanos ſuo in aere eſſe contendunt.

Genua. X. Kalend. Oct. Si quid famae libet credere ad claſſiculam Hiſpanorum Specciano conſtitutam in portu accedunt quinque aliae, quem vero in finem minus exploratum ac cognitum eſt. Nudius tertius ſoluit de littore noſtro nauis Anglorum bellica, cuius praefecto traditi ſunt quinque nauticam operam praeſtantes nauis Dickianae, qua Theodorus Neuhofenius baro Corſicam in inſulam traiecit, vt Londini, quam meruerunt, poena adficiantur. Eodem cum rege, vt ſalutari cupit, coniunctus cognatione quidam eques Weſtphalus Villae Francae nauem conſcendit inſulamque dictam petiit. Quos ille libertate donauerat, Turcos noſtri iuris captiuos, cum ipſa horum naue, ex mandato magni ducis Hetruriae noſtratibus reſtitutos eſſe, Liburno relatum accepimus.

Mediolano. VI. Kalend. Oct. Praeterlapſae hebdomadis feria penultima Ticinum * Germani in ſuam receperunt poteſtatem. Praeſentis vero hebdomadis ſecunda feria Khevenhüllerus comes noſtram ingreſſus vrbem in palatio Triuulzianae principis hoſpitium ſumſit, breuique poſt cum caſtellum inuiſeret, quatuor cohortes equeſtres aduenantem exceperunt, ipſe vero eodem adhuc die legionem Saxo-Gothanam luſtrauit. Poſtero die in aedibus Ciceri comitis ſumpto prandio Laudem Pompeiam nouam * reuerſus eſt. Päſſerinum comitem, nomine imperatoris feuda Langharum ſibi tradentem rex Sardiniae mille aureis Venetorum ** donauit, cui inuitos ſubeſſe vaſallos, vel ex eo coniicere

re licet, quod ſolemni formula traditionem deteſtari non dubitarint. Mantuam, cuius prouinciae praeſes erit inque Italia vniuerſa imperatori a commiſſionibus primariis, Stampa comes XII. Kalend. Oct. inter tonitrua tormentorum Vindobona veniens intrauit.

* *Lodi*. * * *Zecchinen.*

Lutetia Pariſiorum. IV. Kalend. Oct. Quae menſes grauiditatis vix ad dimidium peregerat, Contia princeps, Louiſia Diana nata dux Aurelianenſis, anno aetatis vigeſimo paucos ante menſes adimpleto, naturae debitum ſoluit, nimio, vt aiunt, rigore illud exigentibus naturae miniſtris medicis venam brachii ſexies ſemelque pedis ſecando, culpam deuoluentibus in febrim malignam, qua laboraſſe eam perhibent. Borbonia quoque princeps grauiter aegrotat eamque in vitae periculo verſari non pauci ex eo coniiciunt, quod ſatiati ſanguine qui curam valetudinis eius habent, ab vlteriori venae ſectione abſtineant. Summi militiae naualis ducis vicarius Guetrouinus eques, luce heſterna in vrbe noſtra, morbo diuturno & difficili confectus, annum aetatis ſexageſimum tertium viuendo qui attigit, vita defunctus eſt.

Londino. IV. Kalend. Oct. Cognito plebis Edinenſis tumultu, celebrata Kenſingtoniae ſunt ſanctiora conſilia, quibus ad finem perductis, curſores bini, Edinum alter, alter Hanoueram, ablegati fuere. Publicando in edicto ſtatuendum dicitur praemium quinquaginta librarum Sterlingicarum, quod conſequetur pro ſingulis, quos quis ſceleris auctores & complices detegere nouerit, dumque hæc ſcribimus, fama percrebuit, quatuordecim datos eſſe cuſtodiae, quorum tres in vinculis publicis remanſerunt, reliquis cauſam ſuam ita perorantibus, vt libertate digni habiti fuerint. Proximis comitiis, quibusdam animus eſſe dicitur exhibendi libellum ſupplicem pro lege ſancienda publica, vt medici in ordinandis medicamentis horumque formulis lingua patria vtantur.

Lugduno Batauorum. XV. Kalend. Oct. Qui e Suecia ad nos tanquam ad mercaturam bonarum artium venit, Jungius nomine, praeter ingenii ſui foetum, quem edidit gratulando regi magnae Britanniae de nuptiis filii principis haeredis cum Saxoniae Gothana principe, inſcriptione non minus eleganti memoriam ſummi herois Eugenii Sabaudorum ducis poſteritati tradidit, quae ita ſe habet:

MortVVs est
franCIsCVs eVgenIVs
Vere genIVs
prInCeps pIVs IVstVs
feLIX InCLItVs
VICtor gLorIosVs
d. XXI. Aprilis.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. V. Id. Oct. Problema Juris Canonici X. *An Clerico ſecundum Statuta loci, vbi degit, ſuccedatur?* praeſide D. TRAVGOTT THOMASIO expoſuit CHRISTIANVS FRIDERICVS WIESE. Litteris Breitkopfianis. pl. 3½.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLII. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Genua. VIII. Kalend. Oct. Credula fama inter gaudentes facile locum habet & incurioſos, qui, quem optant, nuntio aures praebent, etiam ſi fundamento careat. Caruit, inquam, fundamento, quicquid relatum fuit de Corſis rebellibus male animatis in regem ſuum Theodorum, deque legibus, quas ſcripſerint ei, niſi intra conſtitutum terminum promiſſa auxilia adueniant. Silent de hoc epiſtolae pridie Id. Sept. Baſtia ad nos datae nuntiantque e contrario res eius minime collapſas, quodque Genuenſes numero vndecim Rubram ad inſulam captos ſupplicio adfecerit iure talionis vtens, vbi reſciuit, Baſtiae nonnullos Corſorum ſuae factionis idem fatum ſubiiſſe. His Verdi Aleriae geſtis Portum Vecchium petiit tribusque poſt diebus cum trecentis peditum equitumque quinquaginta Sartenam, cuius itineris ratio nulli perſpecta ac cognita eſt. Veniſſe ad eum dicitur quidam cognatione cum ipſo coniunctorum, qui in exercitu Galliarum regis facit ſtipendia, huiusque ex conceſſione iter ſex menſium aggreſſus Nicaeae ad Varum * nauem conſcendit. Ad querelas ſenatus noſtri rerum Sardiniae regis apud nos procurator reſpondiſſe fertur, iter facienti ex indulgentia regis ſui non potuiſſe denegari, quo minus in hoc regiae ditionis loco nauem conſcenderet. Iisdem ex litteris cognouimus, cauſam Baſtiae in iudicio tractari Marchelli tribuni, qui infelici ad Rubram inſulam expeditioni praefuit, atque e carcere in caſtellum deductum eſſe, quem vero collegam habuit, Moratum, tribuni vicarium, natione Corſum, fuga ſibi conſuluiſſe. Callidus hic petierat a militiae praefecto, cuius curae captiuus traditus erat, veſtes mutandi licentiam, qua impetrata per poſticum aedium exceſſit inque templum confugit. Noſtri in inſula mi-

milites admodum copioſi caſtra deſerunt perfidorumque turmae non ſatis fuit e praeſidio diſcedere Fani S. Florentii, ſed quoque ſinguli bina ſecum ſclopeta ſumſerunt.

* *Nizza.*

Mantua Carpetanorum. XIV. Kalend. Oct. Nudius quintus curſor aduolauit ex Italia cum faſciculo litterarum Caroli principis, Montemarii ducis nec non Fuenclarae comitis, habitis itaque de argumento illarum protinus conſiliis ſanctioribus, eodem ille adhuc die veſperi, eo, vnde venit, cum reſponſo remiſſus fuit. Nudius tertius Londino quoque venit curſor ad Keenium, regis magnae Britanniae apud nos legatum, qui nuntium ſocietatis Anglorum auſtrum verſus mercaturam exercentis ſine mora aulae noſtrae adminiſtris expoſuit. Dies, quo Montiius comes Londinum legatus regredietur, nondum definitus eſt, Minasque marchio, futurus ad Galliae regem legatus, ſub finem demum proximi menſis Lutetiam Pariſiorum iter aggredietur. Patinhus, aulae noſtrae optimatum princeps, per dies iam aliquot febre laborat. Johannes Idiaquezius, comes Salazar, dux Granatae Eganus, Yeſtae & Tayuillae praefectus, eques ordinis, cui de S. Jacobo nomen eſt, Hiſpaniae proceribus, qui in praeſentia regis tegunt capita, adſcriptus ex numero primi ordinis, archithalaſſus regius, centurio militiae praetorianae, Aſturiaeque principis aulae praefectus, V. Id. Sept. ad Fanum S. Ildephonſi, annos natus ſeptuaginta & duos, vitam cum morte commutauit, cui rex ſucceſſorem dedit Gandiam ducem, qui Aſturiae principis aulae praeſit.

Lutetia Pariſiorum, Kalendis Oct. Litterae e Longobardia verbis exprimere ſatis non poſſunt ingens gaudium, quo Mediolanenſis diffluxit ciuitas, vbi ſe imperatoris imperio reſtitutam animaduertit. Germanis vrbem ingredientibus, ciues pileos faſciculo ligamentorum viridis coloris exornando & quibuscunque potuerunt modis animi ſui tranquillitatem expreſſerunt. Montemarius dux domum quidem reuocatus traditur, quo indies mouente nouas difficultates, & claſſe Hiſpanorum Speccianum tenente portum, in ea ſunt opinione multi, inſtructum eum eſſe mandatis occultis plane contrariis, accedente & hoc, quod VI. Id. Oct. bellicae Hiſpanorum naues octo, actuariae eaeque incendiariae binae, octo capientes peditum legiones dimidiatas Barcinonenſem portum intrarint. Rebus ita conſtitutis, ſagaciores coniiciunt non Portum Magonis peti, ſed inſulam Corſicam, qua fines regni filii ſui principis Caroli mater regina ampliare ſtudeat. Conſtantinopoli accepimus, imperatorem Turcicum decreuiſſe bellum indicere imperatori Romanorum, pace cum Perſis certo certius inſtante, quam rex nouus Nadirus non minus ac Turci in votis habet,

habet, regnum firmaturus aduerſus magnum Mogolem, qui nepotem ſuum Perſiae regem laborat conſtituere, cui iure haereditatis regnum competere contendit. Hiſpani ſuis in litteris narrant bellum parari non aduerſus Anglos, non ad expugnandam Corſicam inſulam, ſed aduerſus Sardiniam, quod breui dilucidius conſtabit.

Londino. VI. Non. Oct. E terris Hanoueranis qui nudius quartus ad nos acceſſit curſor, litteras regis tradidiſſe dicitur reginae, abſolutam huic concedentis poteſtatem procedendi in cauſa tumultus, quem Edini eueniſſe cognouit. Regina, quas ſuis ſumptibus perita artificis manu fieri fecit, reginarum Angliae duodecim imagines in crypta Merliniana publice exponendas curauit. Proximis diebus Sandyſius medicinae doctor in Belgium traiiciet, futurus a conſiliis Arauſionenſi principi, quae octauum grauiditatis menſem agit. Multorum ex opinione Norriſius eques maris praefecti vicarius creabitur. III. Kalend. Oct. in carcere publico exſpirauit anno aetatis ſuae octogeſimo ſecundo Bernardus, legionis inſtructor, natione Florentinus, in quo delituit ab anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſexto, reus, quod Wilhelmo regi vitae inſidias ſtruxerit. Pluuioſa quia tempeſtas in terris Luſitanicis plurimam corrupit ſegetem, ad praecauendam annonae caritatem multum frumenti eo tranſportatur & Olyſſipponem proxime curſum dirigent naues quatuor, quas annonae procuratores conduxerunt, vt claſſi noſtrae victum neceſſarium ſupportent. Octiduum reſtat, quo praeterlapſo, lex in nuperis comitiis de vino aduſto lata valere incipiet, dubio procul ſine motibus, tandem cum agnoſcant quaeſtum inde facientes aequitatem legis non alium in finem conſcriptae, quam vt plebi ebrietatis amanti frenum iniiciatur.

Haga Comitum. VII. Id. Oct. Legatus aulae cuiusdam in vrbe noſtra profeſſus eſt pacis negotio vltimam proxime manum imponendam fore, Hiſpanos non defuturos in euacuanda Hetruria, nec quid periculi portendere belli, qui Barcinone fit, adparatum, ea ſaltem de cauſa ſuſceptum, vt in Barbaria permutentur praeſidia. Idem nullus diffitetur, reginam Hiſpaniarum extra ſe poſitam fuiſſe, cognito, quod Galli ante tradiderint caeſarianis loca Longobardiae victricibus olim armis expugnata, quam ipſa acceperit litteras, quibus imperator de iure ſuo in vtramque Siciliam decedit. Quae cum XVII. Kalend. Oct. regi Galliarum & tertio poſt die Mantuam Carpetanorum ſint transmiſſae, non dubium eſt, quin curſor ex Hiſpania allaturus ſit Montemario duci mandata, vt cum exercitu ex Hetruria diſcedat diſceſſuque ſuo colophonem imponat operi feliciter abſoluendo, caſtellis ad Rhenum imperio Romano & Galliarum regi Lotharingia traditis.

ditis. Tradenda in hac difficultatem ſupereſſe quidam tradunt, quod rex Galliae agnoſcere & adprobare totus detrectet oppignorationem gemini feudi, quam dux Lotharingiae validam eſſe cupit. Treuorius, Anglicarum qui apud nos res curat, quas ſua manu ſcripſit, litteras regis magnae Britanniae tradidit ordinibus foederati Belgii, quorum implorat opem, vt regis Wilhelmi teſtamento conſtituti tutores & curatores eo perducant Selandiae ordines, ne Fleſſingam atque Teruceriam denegando duci Arauſionenſi videantur partem haereditatis ambire. Nulli dubitarunt ordines totius reipublicae deliberatione dignas has iudicare litteras, ineunda cum ordinibus reliquarum prouinciarum priusquam reſponſorias conſignent. III. Non. Oct. ſigno tympanis dato, Acunha, regis Luſitaniae legatus, inuitauit omnes, vt debiti rationem reddant, ſi quod ipſe, vel, quam alit, familia contraxerit.

Vindobona, pridie Non. Oct. Hebdomade proxime praeterlapſa, Colloredus comes Francofurtum ad Moenum abiit, praeſens vt ſit in comitiis Rhenanis, hisque ad finem perductis aulas frequentabit electorum quorundam & principum imperii, tandem vero Aichſtadii intererit electioni noui epiſcopi, quae, more ab antiquiſſimis temporibus obſeruato, tribus praeterlapſis menſibus adeoque XVI. Kalend. Jan. inſtituetur. Turcicus imperator dignitate ſua priuauit Tartarorum principem, in gratiam, vt vult videri, auguſtae Ruſſorum, erga quam non bene ſe geſſit, ſed aliorum ex coniectura magis probabili, quod effoeminatum in tuenda prouincia ſe exhibuerit. E contrario tumet ſuperbia Perſarum legatus in aula Turcica eiusque ad exemplum totus componitur comitatus, quem valde numeroſum ſecum habet, cuius inſolentiae ſpecimen quam maxime perſpicuum his fere narratur circumſtantiis: Venerat legatus in conſpectum aulae praefecti, purpuratorum aulae principis apud exercitum conſtituti vices gerentis, quibus duumuiris colloquium habentibus, in area palatii imperatoris interea quidam de familia legati indecorum quid commiſerat, reprehendentibus vero eum Turcis, ſurrexit vnus ex legatione Perſica cauſamque pro ſocio dixit, in haec erumpens verba: Non eſt, Turci, de tempore, nos indignum tractare in modum, eſt vero, cedere potenti ſecumque perpendere, quod veſtrae nationis ſeptuaginta & plura captiuorum millia in Perſide vincula iugumque ſeruitutis ſentiant.

Hubertoburgo. III. Id. Oct. Initium ordinis Henriciani nuper expoſuimus, cuius incrementum idque omnium primum adnotare haud alienum erit. Praeter hos, quorum nomina dedimus Saxoniaeque ducem Weiſſenfelſenſem, cui ſors abſenti contigit, lecti ſunt equites: Regii principes Xauierius & Carolus, dux Holſatiae, ſummus excubiarum praefectus, ſummi militum duces Baudiſſius, Lützelburgius, Milckauius, Boſius, Frieſius atque S. Paulus, vt & ſummi militiae ducum vicarii, Caſtellus comes, Frieſius baro & Stutterheimius.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIII. A. P. C. N. — PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. VII. Kalend. Oct. Vni quod licet, non licet alteri, nec leves fecere motus, qui eam, quae Acquauiuae purpurato conceſſa fuerat, licentiam adfectarunt. Nempe ſuperioris hebdomadis feria ſecunda, dies cum feſtus ageretur S. Januarii multis ſolemnibus, haecque per triduum continuarentur, patuit tranſitus per vicos ex mandato aulae cuſtodibus munitos dicto purpurato, regis Hiſpaniae apud pontificem legato, in vrbe noſtra hodie commoranti, indignantibus, qui repulſam tulerunt, reliquis optimatibus, quibus denegatum hoc fuit, ne, concurrente ad ſacra multitudine, aliquid periculi aut damni eueniret. Certo quidam condixerunt pretio ſe comparare velle mille & quingentos lectos in vſum praeſidii, quod in Statu Praeſidii Portuque illius primario impoſterum alendum erit. Prima currentis hebdomadis feria diem Aſturiae principis natalem aula celebravit, excuſſis, quae per caſtella naveſque actuarias diſpoſita proſtant, tormentis.

Roma. III. Kalend. Oct. Prima currentis hebdomadis feria Borgheſia princeps filiolum enixa fuit. Caſerta dux nudius tertius ante ſalutandum duxit pontificem, quam Neapolim abiret, petitum more ſolito vaſallorum beneficiaria, quae ipſi in eo regno ſunt, praedia. Paſſioneus, pontificis in aula imperatoris orator, ratus haud prodeſſe ſuae ſanitati Vindobonenſem aerem & victum, reditum a pontifice petiiſſe dicitur. His diebus Tuſculo * in vrbem noſtram venit S. Aignanus dux, Gallorum legatus, luſtratum conclauia palatii ſui, quae ex mandato regis ſui quam elegantiſſime exornantur. Qua occaſione conuenit eum in colloquium Ottobonus purpuratus, hoſpesque temporarius ſole ad occaſum vergente Tuſculum iterum conceſſit. Praeterita nocte, diui Franciſci

ciſci

ciſci qui regulam ſequuntur, ſacerdotes, natione Galli, ſui de coenobii foribus remouerunt inſignia purpurati, curiae fiſci praeſidis, cuius in tutela ſunt.

* *Fraſcati.*

Liburno. IV. Kal. Oct. Hiſpani ſub finem praeterlapſae hebdomadis ſeptem dimiſerunt naues, quas conduxerant, vt milites alio trajicerentur, e contrario Specciano in portu conduxerunt aliam eamque Anglicam nauem, qua ſibi ſupportandum curant bis coctum panem, qui noſtra in vrbe in vſum claſſis colligitur. Germani iterum iterumque vrgent ducemque Montemarium hortantur, vt tandem cum ſuis copiis Piſano ex agro diſcedat, ſed ſurdo narratur fabula delitiasque ſibi, non itineris moleſtias, ille curae cordique eſſe ſinit. Portum longum inuaſit morbus contagioſus, noſtra igitur ex vrbe eo miſſi ſunt medici & chirurgi, qui vehementiam morbi infringant, totique inuigilent, ne malum latius ſerpat. Ex edicto pontificis merces, noſtro ex portu quae in ditionem ſedis Romanae transportantur, redimendae ſunt pretio maiori quam antea, ita, vt duodecim de centenis nummi cuiuscunque valoris pendendi veniant, quae res mercaturam exercentibus non poteſt non oneri eſſe. Nauis Anglorum bellica, Olyſſippone quae ſoluit pretioſis onuſta mercibus, intrauit hodie portum ſimulque nouum nationis Anglicanae conſulem ſiue praefectum advexit. Corſica ex inſula nihil noui, quodque Baſtienſes de diſſidiis rebellium inter ſe referunt ſuis in litteris, non apud omnes fidem habet, quam illi habendam cupiunt.

Mediolano. VI. Non. Oct. Feria praeteritae hebdomadis quinta, Kheuenhüllerus comes, vrbe noſtra relicta, Ticinum * proficiſcebatur, vnde redux aduentum Traunii comitis, ſummi militum ducis, apud nos praeſtolabitur, vt cum ipſo res noſtrae prouinciae bene ordinandas ſuſcipiat. Interim ſenatui ſummo imperauit reſtitutionem munerum publicorum, quibus omnes, qui ante bellum, denuo perfruentur, dimiſſis, quos rex Sardiniae iisdem digniores iudicauerat. Oliuazzius marchio cancellarii ſupremi ſpartam tenebit, donec aduentarit ſenatorii ordinis praeſes; ſenator Trottius comes ab imperatoris erit commiſſionibus primariis, cauſarumque patroni Colla & Cauallus fiſci procuratores conſtituti ſunt. X. Kal. Oct. Noallius, regni Galliae mareſchallus, Auguſta Taurinorum domum reuocatus iter Lutetiam Pariſiorum aggresſus eſt, ſique opus fuerit, legatus regis Galliae apud Sardiniae regem, ſummos inter caeſariani & Hiſpanorum exercitus duces Kheuenhüllerum comitem atque Montemarium principem concordiam promouere allaborabit. Mora, quam faciunt Hiſpani in euacuanda Hetruria, potiſſimum tribuitur clauſulae pacto nouo inſerendae de ſucceſſione vtriusque ſexus e domo Lotharingica, quam rex Hiſpaniae nondum adprobauit.

Mantua.

Mantua. IV. Non. Oct. Ipſis Kalendis Oct. die nimirum natali imperatoris, huic per Italiam a commiſſionibus primariis & prouinciae noſtrae adminiſtrator Stampa comes vota ſoluentes viros equeſtres duceſque militiae ſummos audiuit, quos in conuiuium lautiſſime inſtructum adhibuit. Sub veſperam eiuſdem diei idem ad lapidem vnum obuiam proceſſit Julio Viſcontio comiti, aulae imperatricis praefecto, quem tertio poſt die diſcedentem quoque comitatus fuit, cuius acceſſum aeque ac diſceſſum tormentorum fragor populo ſignificauit. Nudius quartus Montus marchio, Galliarum regis quondam in aula Polonica legatus, Lutetia Pariſiorum ad nos venit inque aedibus Sordi, quem cognatione coniunctum habet, hoſpitium ſumſit eodemque adhuc die, ſumpto apud Stampam comitem prandio, patriam ſuam vrbem Bononiam petiit.

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Oct. Poſt ſolis heri occaſum corpus defunctae principis Contiae Iſiano ex praedio in aedem delatum fuit Andreanam, inferendum ſepulchro maiorum gentis ſuae, in quo ampliando operarii deſudant. E contrario, pridie Kalend. Oct. filiolum in lucem protulit coniux Mutinenſis * principis haeredis, cuius recens nati fratri germano, puero nouem annorum, ſponſa quinque aut ſex annorum aetate maior Maſſa - Carrara princeps multorum ex opinione tribuitur, quae ipſi cum dote redituum quotannis centies mille imperialium veniet, Carignania autem princeps eiuſdem aetatis duci Contio, quem modo coniuge orbum nominauimus. Nudius tertius, Noallius mareſchallus ex Italia rediit inque vrbe noſtra per aliquot horae momenta commoratus iter proſequutus eſt Verſaliam, vbi regem, Muetana e villa reuerſum, ſibi quam maxime faventem offendit pariterque reginae regiaeque gentis in conſpectum venit, ſuoque reditu renouauit ſpem pacis proxime publicandae, quae omnes alit atque delectat. Barbanſonia marchio, filia Biſſii marchionis ex Chauuelinia, regni ſigilli cuſtodis ſorore germana, VI. Kalend. Oct. filiolum enixa, pariter ex erroribus medicorum, vt aiunt, diem obiit ſupremum. Carnuti,** Brodeauius, ſenior procuratorum dictae vrbis, integrum viuendo attigit ſeculum menſesque ſeptem, viribuſque ingenii valens ſenio tandem confectus naturae debitum ſoluit.

* *Modena.* * * *Chartres.*

Petroburgo. VIII. Kalend. Oct. Ventus ſeptentrionalis ad occaſum inclinans, ortus nocte, quam dies XI. Kalend. Oct. excepit, ad meridiem illius diei Neuam fluuium adeo turgentem effecit, vt ab hora decima, vrbs vniuerſa ad vlnae menſuram inundationem ſenſerit opinione citius ceſſantem, adeo vt hora poſt meridiem quarta audita per vicos vrbis ſicco iterum pede incedere datum fuerit. Oſtermannus comes, vices qui gerit cancellarii, omnibus,

quos

quos vrbs noſtra capit, exterorum principum legatis cognitum fecit atque palam, ſtatutum cum animo ac deliberatum habere auguſtam hac in vrbe hyemem transfigere. Idem cum magnae Britanniae Sueciaeque regum & ordinum foederati Belgii legatis ſemel iterumque de abrogando pacis Riſwicenſis articulo quarto, conſultationes inſtituit. Imperatoris Romanorum legatus, Oſteinius comes, colloquio gauiſus eſt auguſtae eique expoſuit, poſita eſſe in agro Hungariae Futaccenſi caſtra ſpeculatoria, ante vero quam quid vlterius ſuſcipiatur exſpectandum videri, quodnam aula Turcica ad conditiones auguſtae Ruſſorum reſponſum datura ſit. Summus caſtrorum praefectus, Münnichius comes, inter alia de ſtatu praeſentis belli quod gerit, ſuis in litteris narrat, Tartaros Crimenſes per Pontum Euxinum ab aulae Turcicae purpuratorum praeſide auctos eſſe quindecim millium manu, vix ſufficiente, vt rebus ſuis adflictis medeantur, minime vero, vt noſtrates aggrediantur, quibus parta tueri aduerſus vires nouas facile dabitur. Dictus aulae Turcicae primas in eo cum eſſet, vt caſtra moueret Babuduckio, noſtrum, quem ſecum habuit paciſcendi cauſa, legatum Conſtantinopolim remiſiſſe traditur, cauſam interferens, ne quid periculi ſubeat in exercitu ex varia colluuie collecto, in quo coercendo multum ipſe difficultatis ſentiat.

Lipſia. X. Kalend. Nov. In gratiam eorum, quibus rerum eccleſiaſticarum notitia in deliciis eſt, adponimus monumentum poſteritatis, quod Londino accepimus & renouatae aedis ſacrae hiſtoriam complectitur:

Sumptu publico
Fauente optimo Principe *Georgio Secundo*
Ex Senatus Britannici auctoritate
Inſtaurata Turre atque refecta
Altius, honore ſuperbiens, attollit caput
Sanctae Margarethae Deo ſacra aedes
Anno Domini MDCCXXXVI.
Honoratiſſimis Viris & ob beneficia in Parochianos
Soepius collecta non ſine laude nominandis:
Arthuro Onslow
Senatus Britannici, maximo ſuo merito, iterum Prolocutore;
Roberto Walpole
Nobiliſſimi Ordinis a Periſcelide Equite
Praefectorum aerarii primo & Scaccarii Cancellario
Viro in Conciliis ac Laboribus publicis
Maxime omnium indefeſſo, vnoque multis pari;
Carolo Wager
Equite aurato
Summo rei nauali praepoſitorum Septemuiro
&
Guilielmo Barone *Sundon*
de Ardagh in Hibernia
Fiſco publico curando Quinqueuiro,
Ornatisſimis Spectatisſimisque
Duumuiris Senatoriis Weſtmonaſterienſibus.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIII. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIɔIɔcc xxxvi.

Gadibus. XIV. Kalend. Oct. Nox, nemini quae creditur amica, amica quam maxime fuit naui Gallicae, quae Maclouio * Alonem ** tendens noſtrum intrare portum coacta fuit euaſitque periculo, noctis adiuvantibus tenebris, vt oculis praedonum Salenſium ſe ſubduxerit, qui tribus eam nauigiis ad fretum Herculis perſequendo praedam ducere laborarunt. Aurum & argentum, binis nuper nauibus ex America advectum mercesque exoneratae deliteſcunt iam in horreis publicis, nec definita hucusque eſt portio, quae regi debetur *** eiusque ex arbitrio dependens variare ſolet.

* *S. Malo.* ** *Alicante.* *** *Indulto.*

Mantua Carpetanorum. VII. Kal. Oct. Nudius tertius natalem Aſturiae principis eumque vigeſimum quartum aula multis ſolemnibus celebrauit. Per vrbem heri noſtram curſore Gallia ad Fanum S. Ildephonſi iter maturauit, maturare quod non deprehenditur Montiius comes, qui ſub medium proximi demum menſis, legatus ad regem magnae Britanniae Londinum proficiſcetur. Aurum & argentum cuditur iam in officinis monetariis, allatum ex America binis nauibus, quibus qui aduentauit prorex Peruanus, vocatus eſt in aulam, vt ſtatum praeſentem noui orbis regi pluribus coram exponat. Sit fides penes auctorem relationis in vulgus ſparſae, quod vndique confluant noſtrae copiae iterque faciant in Cataloniam, quod quatuor peditum equitumque tria millia Barcinone conſcendere teneantur naues vtque conſcendant, paratas ſe exhibere aliae legiones in mandatis habeant.

Lutetia Pariſiorum. VIII. Id. Oct. Hiſpanorum quod claſſis bellica validam peditum equitumque capiens manum, Barcinone ſoluerit, curſum quem ſumſerit ignorantibus omnibus, fama denuo percrebuit, cui fidem

ſidem denegant alii, quibus firmiter perſuaſum eſt, nihil aliud intendi, praeſertim bruma imminente, quam vt Orani Septaeque * praeſidia permutentur. In Hetruria euacuanda Montemarius dux nectit adhuc moras, rumpendas, vt aiunt, mandato regis Hiſpaniarum, quod ſecum habiturus eſſe creditur futurus apud regem noſtrum legatus, qui ſub initium menſis currentis Mantua Carpetanorum profectus ad XIII. vel VIII. Kalend. Nov. apud nos in exſpectatione eſt. Mora etiam quae fit in reddendis imperatori & imperio Romano caſtellis Rhenanis, haud obſcure ſubindicat, ſupereſſe difficultates, quae terminum pacis publicandae procraſtinant nec certum pollicentur. Plura quotidie eaque magna Commercium deportantur ſupellectilis variae domeſticae volumina, quibus exornanda ſunt conclauia Stanislai, qui ſub finem huius menſis domicilium ibidem figere ſecum conſtituit. Meudonia ille in villa IV. Non. Oct. diem feſtum celebrauit diui Franciſci, huius qui regulam profitentur, monachorum in aede frequentando ſacra hisque finitis eorum in coenobio, conuiuis in vniuerſum omnibus huius ordinis monachis, prandium ſumma cum hilaritate ſumſit, quorum in ſanitatem ipſe hauſit poculum idemque in ſuam vt illi haurirent, beneuole conceſſit. Rex Challaiſium principem Bituricenſis ** prouinciae praeſidem conſtituit. Moinius, praeter ſalarium ter mille francorum, quo ipſe ornatus honoribus pictoris aulae primarii perfruitur, ex regis indulgentia & liberalitate quadraginta eiusdem aeris millia conſequutus eſt, mercedem laboris, quem docto penicillo impendit in adumbrando Hercule apud Verſalienſes, qua ſumma non continentur ſumptus, quos rex fecit in comparanda pigmentorum copia & mercede adiutoris, qui aureum quotidie Ludouicianum accepit.

* *Ceuta.* ** *Berry.*

Londino. VII. Id. Oct. Renouatur fama de matrimonio, quod cum Amalia, principe regia, dux Holſatiae ambit. Carnaruanus marchio, filius natu maior Chandoiſii ducis, ſummus ſtabuli magiſter Walliae principis conſtitutus eſt in locum Cholmondeleji comitis, qui de hoc dignitatis gradu ſponte deceſſit. Finchius, per aliquod tempus extra ordinem in aula regis Sueciae legatus, praeteritis diebus iter Holmiam aggreſſus eſt. Eodem qui munere apud Sardiniae regem defunctus fuit, Eſſexius comes, centurio creatus eſt cohortis praetoriae equeſtris ordine ſecundae, mortuoque Bercleio comiti ſucceſſit. Wadius, ſummus militum dux, III. Non. Oct. Edinum profectus Handaſydeum, cateruarum ductorem, itineris ſocium habuit. Hamiltonus Brandonius dux, procerum Scotiae, quos Pares adpellamus, omnium primus, dicto die in matrimonium adſumſit Spenceriam, quae ipſi cum dote quinquaginta aeris Sterlingici millium venit. Non pauci

ci eorum, qui ex vino aduſto quaeſtum faciunt, nomina ſua profeſſi ſunt, vt ad legem in comitiis nuper latam potatorias tabernas aperiendi licentiam impetrarent. Luce heſterna, ad ſolis occaſum, legio Churchiliana propius acceſſit ad vrbem hodieque ſuburbium Southwarthenſe ingrediebatur legio pedeſtris nec non cohors praetoriana, cui de coeruleo colore cognomen eſt, datis inſuper mandatis ad ciues Weſtmonaſterienſes, vt ad nutum equos conſcendant. Poſt meridiem hodie hora tertia ferme audita, militia praetoriana ad palatium Whitehallenſe confluxit omnis, cuius aliquot cohortes peragrarunt vrbem, inuigilantes, ne plebs ad ſeditionem prona aduerſus legem ſupra commemoratam quaeque cras valorem accipiet, moliri quid ſuſtineat. Cauto certe opus fuit in re tam difficili, vt teſtantur ſatyrica paſſim diuulgata ſcripta & audacia quorundam adfirmare non erubeſcentium, fore, vt, populo his delitiis deſtituto deſtituatur Anglia rege.

Haga Comitum. XVII. Kalend. Nov. Epiſtolae ad familiares docent ex ipſa vrbe Romana, finem diſcordiarum pontificis cum aula Gallica, proxime inſtare, in quo promouendo cum quam maxime operam nauarit S. Aignanus, Galliae regis legatus, multorum ex opinione praemium laboris purpuram reportabit. Si fides habenda eſt quibusdam Londinenſium litteris, ſimultas continua Hiſpanorum & Luſitanorum in belli flammam erumpet, ſufflante eam Junone irata, regina Hiſpaniae, quae fert aegerrime, quod rex Luſitaniae conditiones pacis ſubſcribendo firmare nolit litterasque reddere haud ita pridem curſori ereptas, ereptas quas ille ſuo iuſſu fuiſſe negat & pernegat. Aliae eaeque recentiſſimae omnium Anglorum epiſtolae nuntiant, cautelas aulae, curantis vt valeat lex de noxio potus genere abrogando, non caruiſſe effectu, comprehenſis inque vincula publica detruſis, quos milites excubitores offenderunt male feriatos inque eo occupatos, vt hymnis legem traducere & quocunque modo tumultum ciere ſunt auſi. Interim qui frenum hoc remordent lucro inhiantes excogitarunt nouum potulentum in fraudem legis atque ad palatum plebis, cui ſiceram ſiue vinum aromaticum propinant.

Vindobona. III. Id. Oct. Qui nuper admodum aduentauit Hanoueranus legatus, Huiſius baro, inprimis de imperatore eo perducendo cogitat, vt duci Arauſionenſi, certis ſub conditionibus, adminiſtratio prouinciae Naſſouiae Siegenſis interea, donec res haereditatis compoſita fuerit, committatur. Exercitus noſter in Hungaria collectus caſtra mouit ex agro Futtaccenſi, vltraque progreſſus ad terminos Turcicos, prope Paſſarouitium, inque Boſniae & Slauoniae finibus conſedit, quo tutior ſit ab hoſte interno, morborum nimirum frequentia, quae loci mutationem potiſſimum ſuaſit. Vol-

vitur

vitur curioſorum manibus epiſtola belli ducis, incerti nominis, quam huius argumenti Gradiſcano ex oppido dedit: Kiſolouae * ad tertium a dicta vrbe lapidem exſpirauit ſenex quatuor & ſexaginta annorum, qui biduo poſt ſepulturam praeterlapſo rediit ad filium domus paternae haeredem, cibum popoſcit & fame expleta diſceſſit. Nocte altera vbi rediit, die proximo mane filius ingrati hoſpitis ſignum morte praebuit, paucis diebus aliquot dicti pagi incolis idem factum ſubeuntibus. Gradiſcae conſtitutus militiae praefectus, re cognita, ſtipatus artis ſuae peritis ſagittariis ad ſepulchrum conceſſit ſenis, qui auctor mali habebatur, quem cum offenderet in ſarcophago oculis viui inſtar apertis reſpirantem nec imaginem mortui referentem, globo eum traiiciendum curauit, tanto ſucceſſu, vt ab eo tempore nullus pagi incola ſubita & prorſus inopinata morte amplius perierit.

* *Non nudius tertius, tertia tamen vice per duo, & quod excurrit, luſtra fuit recocta haec fabula de Vampyris, vt patria lingua vocantur. Prima eam vice relatam retulimus in nouis noſtris A. 1725. Hebd. XXXIII. Partic. I. pag. 259. Altera vice repetitam dedimus A. 1732. Hebd. XII. pag. 96. Tertia igitur cum occurrat vice, leuesque, quas allegauimus, nouorum pagellae blattis & tineis deſtinatae nulli facile ad manus ſint, lectoris curioſitati medebimur adſcribendo quaedam ſaltem ex his, quae prolixius olim annotauimus: Anno ſcilicet vigeſimo quinto Petrus Plogoiouitius, incola Kiſolouae pagi in tractu Rahmenſi mortuus & more Raſcianorum terrae traditus, intra octiduum nouem tam adultos quam tenerae aetatis homines excruciando in morbum lethalem vix viginti quatuor horarum praecipitaſſe traditur, ex Gradiſcenſium praefecti teſtimonio, quo ad magiſtratum Albae Graecae dato corpus effoſſi hunc in modum delineat: Plane nullus hic aderat pro conditione loci atque ſubiecti foetor, corpus demortuum, praeter naſi procidentiam aliqualem, nec mutilum, nec corruptum, capillos quoad vixerat tam longos non aluerat, barba magis quam olim promiſſa, vngues, prioribus excuſſis, natura nouos produxerat, cuticula recens, ſuperiori ſubalbida atque remiſſa, paſſim perlucebat, facies, manus, pedes & totius corporis compages ea erant perfectione, qua viuus meliori gauiſus non fuit., in ore ipſius non ſine ſtupore offendi ipſe aliquid cruoris, reliquias, vt aiunt, perpetratae caedis.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. V. Id. Oct. Hiſtoriae Decemuiratus quaedam ἀποσπασμάτια *e Liuio & Dionyſio* propoſuerunt M. CAROLVS LVDOVICVS VOLLHART & CAROLVS CHRISTIANVS BECKER, Iauria - Sileſius. Litteris Schniebeſianis. pl. 7.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIV. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. VI. Non. Oct. Nulla fides pietasque viris qui caſtra ſequuntur inuiti, fidesque coacta quacunque vel leuiſſima occaſione frangitur. Nec eam ſeruarunt octingenti & plures Piſcarae milites praeſidiarii tam Heluetícae nationis quam Neapolitani, qui, ne armis quidem relictis, in ditionem pontificis aufugerunt. Vbicunque locorum in vrbe noſtra inſcriptum ſuperfuit imperatoris nomen, delendum illud Carolus Hiſpaniarum princeps iuſſit, ſuumque adponi. Qui primus ordine militiae Hiſpanicae tribunus ſalutatur, Popolius dux, nupero die feſto S. Januarii quod commiſit, delicto carcerem meruit, pro quo deprecantibus apud Charnium comitem nonnullis ducibus militiae ſociis ille reſpondit: Filius regis Hiſpaniarum Carolus dux in iuſtitia adminiſtranda nullum perſonae reſpectum habens, rem, vt geſta eſt, aulae Hiſpanicae per litteras expoſuit.

Roma, pridie Non. Oct. Die, quo cultu diuino auſpicati fuimus hebdomadem, in aede Madonnae Montanae ſacris chriſtianorum initiati ſunt bini recutiti iuuenes, qui patrem agnoſcunt noſtra in vrbe multis diuitiis adfluentem, erogato ſuſceptore purpurato, qui publicis in rebus a ſecretis eſt. Poſtero die in aedibus Barberini purpurati, collegae Guadagnius, Orighius, Spinola & Porcia conſultationes inſtituerunt, quantum conſtat, de dotandis ſumptibus publicis, quae parentibus peregrinis nec chriſtianis progenitae, accedente locorum diſtantia, dotem conſequi nequeunt. Tertia feria e Germania venit curſor ad Harrachium comitem, imperatoris legatum, potiſſimum, vt fama fert, de epiſcope in Germania ſatis opima nuntium adferens, quem ille protinus pontifici aulaeque adminiſtris expoſuit. Hiſpaniarum princeps, tenellus purpuratus, mandata dedit, vt in aede Ma-

Madonnae, cui de Scala cognomen eſt, ſuis ſumptibus, quibus parcendum non eſſe ſtatuit, feſtum S. Thereſiae celebretur. Feria quarta mane apud purpuratum a ſecretis qui eſt in publicis rebus, Corſinus, Gentilius atque Paſſerius purpurati conventum egerunt de rebus, quae fidem propagandam concernunt. Conclauia palatii Farneſani Caprarolae quam elegantiſſime exornantur, quem inhabitabit, Neapoli vbi diſceſſerit, Acquauiua purpuratus, cui ad dies vitae domicilium hoc regina Hiſpaniae adſignaſſe traditur. His diebus Gallorum legatus ex mandato regis ſui omnibus & ſingulis ex ordine purpuratorum per ſecretarium ſignificauit, caueant ſibi, ne in conſiliis, quae de Gallicis rebus agitantur, eum admittant collegam, quem aulae Gallicae minus fauentem haud ignorent, ſecus autem ſi fecerint, concluſa eorum vel hoc nomine irrita fore. Ottobonus purpuratus triginta his, quos in familia ſua alit, veſtes pretioſas comparat vt & carpentum ſumptuoſum, vt magna cum pompa procedat in aedem Ludouicianam die, quo ſolemnes Deo pro pace Europae reddita, grates hymno Ambroſiano ſoluentur. Altempia princeps gemellos vtriusque ſexus heri ſub veſperam in lucem protulit.

Liburno. III. Non. Oct. Noua e Barbaria turbas domeſticas in regno Tunetano perdurare referunt, principe ſpoliato dignitate cum ſuis adſeclis peragrante regionem omnem non ſine incommodis Tunetanae vrbis, quae annonae caritate premitur, pro qua auertenda princeps hodie Tunetanus Ali Baſſa cum copiis ſuis ad hoſtem, regni aemulum perſequendum, vrbe egreſſus eſt. Tantum abeſt, vt Theodorus, ex relatione nupera Baſtienſium, auctoritate & gratia apud Corſos minus quam antea valeat, vt potius concordes atque conſtantes ipſum foveant, iuuent, ſuffulciant, probe gnari quae ſit e contrario diſcordia ad clauum reipublicae Genuae ſedentium, qua fit, vt res ſuas collapſas reſtituere nequeant. Aduentauit nauigium vario victus genere onuſtum in vſum claſſiculae Hiſpanorum, quae, quem tenet, portum Speccenſem proxime relinquet, ignorantibus omnibus, quo curſum directura ſit.

Parma. III. Non. Oct. Multum difficultatis ſupereſſe in euacuanda ab Hiſpanis Hetruria nulli non perſpectum ac cognitum eſt, eſt vero & hoc, breui fore, vt illi, ſine ſolemnibus, quibus alias prouinciae traditio fieri ſolet, aeque ac ex noſtra olim ditione, velut ſponte cedentes inde egrediantur. Quo de modo conuenit inter aulam Vindobonenſem atque Gallicam eo in caſu, ſi paciſcentes diſſentiant vlterius, inque ſua firmiter perſtet ſententia Carolus princeps, iubente patre aut potius matre, vt magni ducis Hetruriae, quae moueri poſſunt, bona ſibi competere contendat atque Parmae, Placentiae & Hetruriae dux, ſi vel maxime poſ-

poſſeſſione careat, dux ſalutari cupiat. E contrario domus Lotharingica ſucceſſionem in magno ducatu Hetruriae ita definiendam vrget, vt, prole maſcula forte deficiente, ſexus quoque ſequior eadem gaudeat. Praeterea rex Galliarum Vindobonenſi in pacto nouiſſimo operam ſuſcepiſſe perhibetur adhibendam omni ſtudio, vt dux Lotharingiae magni ducis Hetruriae facultates omnes conſequatur, aut alio modo ſibi ſatis factum iri ſentiat. Poſito etiam, Hiſpanos in Hetruria opinione diutius remanere, copiae tamen caeſarianae, quae praeſidio illius deſtinatae erant, vt toti ſperamus, Mantuanas in terras regredientur, noſtris valida ſatis manu inſtructis, vt maiori non opus ſit. Speramus, inquam, & hoc, imperatorem nobis peculiarem daturum eſſe praefectum, nec permiſſurum, vt praeſes Mediolanenſis nullum in nos imperium exerceat.

Mediolano. VI. Id. Oct. Summus dux exercitus caeſariani, Kheuenhüllerus comes, Comum atque Arcem Fontanam * luſtratum profectus eſt. Quo etiam abiit Lobkovitius dux, ſummus dux militum & praefectus Parmenſis, poſt peracta in vrbe noſtra cum dicto comite & aliis belli ducibus conſilia de ordinandis noſtrae prouinciae rebus, quid vero concluſum ſit, non liquet, nec ad hunc vſque diem aliqua euenit mutatio. Pontes, quibus caeſariani in his terris vſi fuere, Pallauicinus marchio, ſummus dux militum, Pado in fluuio conſtitutis nauibus deportandos curat, vt Tergeſtum ** atque ad Fanum S. Viti Flomonienſis *** traiecti in Hungaria collectis copiis vſui eſſe queant. III. Non. Oct. Vindobona ad nos acceſſit Julius Viſcontus comes, quem ordinis equeſtris viri principes confeſtim ſalutandum cenſuerunt.

* *Fuentes.* ** *Trieſte.* *** *Fiume.*

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Oct. Vltimum regis ſui mandatum in terris Hetruriae, euacuandis an minus, praeſtolatur adhuc Montemarius, ſummus dux exercitus Hiſpanici, quod non prius adfuturum credunt omnes, quam rex Hiſpaniarum adprobauerit litteras imperatoris, quibus de iure ſuo in vtramque Siciliam cedit, qui, vt Mantua Carpetanorum relatum accepimus, vnum alterumue in his mutandum iudicat. Chauignius non reuertetur Londinum legatus ad regem magnae Britanniae, cumque Claromontius marchio in Angliam traiecerit, multorum ex coniectura legationem illam adminiſtrabit. Fato nuper defunctus Guetrouinus non pauca in chartam coniecta reliquit, quae commentarium de vita eius typis excuſum haud parum illuſtrare poterunt. Summi militiae naualis ducis vicarius eius in locum creatus eſt Saberrius Bonneuillius ab anno vigeſimo octauo claſſis praetor, huic autem Gabaretus, praefectus nauis, ſucceſſor datus eſt. Rex libellum ſponſalio-

ſaliorum, quae Andelotus marchio cum Poleſtroni marchionis, quem Delphinus ephorum ordine ſecundum habet, filia contraxit, ſubſcribendo confirmauit. Fontanellus marchio, Mutinae principis extra ordinem legatus, nudius quartus prima vice ſolitis ſolemnibus regis in conſpectum venit. Ex regis ſententia S. Victoris Maſſilienſis abbatia conuertenda dicitur in collegium, cuius reditibus canonici perfruantur. Praeter opinionem, quod ſecando chirurgi tollere laborarunt, recruduit malum Borboniae ducis, verendum vt ſit, ne mammam nouaculae denuo praebere teneatur.

Londino. IV. Id. Oct. Secunda praeſentis hebdomadis feria, ſummus maris praefectus, Cauendiſhius e villa, quae ipſi in prouincia Hampſhirana eſt, redux, reginam heri ſalutauit, proxima vero hebdomade cum claſſicula Belgium petet, reducturus regem in Angliam, qui Nonis Nov. Hanoueram relinquere ſtatutum cum animo ac deliberatum habet. Ipſo die feſto S. Michaelis, magiſtratus vrbanus, more ſolito contulit ſe in aedem S. Laurentii peractisque ſacris in curiam, annique futuri conſulem ſiue praefectum vrbis regium Johannem Thompſonum elegit. Eodem die lex in comitiis nuper lata de tollendo vini aduſti abuſu valere coepit, clauſis huius generis tabernis, tribus ſaltem exceptis, quibus licentia potum hunc vendendi data eſt ſoluto pretio quinquaginta librarum Sterlingicarum, quod definitum eſt. Non defuerunt quidam tantae audaciae, tantæ dementiæ homines, vt pridie eiusdem diei potum hunc viliori pretio venientem hauſerint vltra modum, dicentes malle ſe vita quam potus huius deliciis carere, voti ſui compotes facti, per vicos enim vrbis proſtratorum alii animam exhilararunt, alii ſemianimes offendebantur. Ex his, qui potum hunc praebendo quæſtum fecerant, alius guttur incidendo fatum praeoccupauit, alii hominum ſe oculis ſubduxerunt, alii exclamare auſi: Rex nullus, nullus vbi vini aduſti potus! in vincula publica detruſi fuere. Interim Kenſingtoniana arx, palatium & Jacobiticum & Sommerſetanum, nec non alia loca duplo maiori firmata ſunt praeſidio militari; in armis ſunt ciues cohorsque praetoria perambulat vicos, ne quid turbarum plebs ſeditioſa moliatur. Nixon ſacerdos, qui auctor habetur libelli famoſi apud Weſtmonaſterienſes inſolito prorſus modo diuulgati, cautionem praeſtando coram Hardwicko equite, iudicii praeſide ſummo, vinculis ſe liberauit.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. IX. Kalend. Nov. Diſſ. Hiſtoricam *de Athenagora Athenienſi Philoſopho chriſtiano*, publico eruditorum examini ſubmiſerunt M. ANDREAS POLYCARPVS LEYSERVS & JOHANNES HARBOE, Glucksb. Cimb. Litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 7.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIV. A. P. C. N. | PARTIC. II. cIↃIↃcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum, VI. Non. Oct. Gratia gratiam parit peperitque haud leuem gratiam habenti Villario duci, qui inſignia ordinis, cui de aureo vellere nomen eſt, quibus pater ornatus inceſſit, regis in manus traditurus cum actione gratiarum, gratia ex regis eadem recepit paternaeque, dignitatis haeres factus, quoties aulam frequentat, frequentat autem quam ſoepiſſime, benigne excipitur ſeque gratia valere animaduertit. Legatus Venetorum, Capellus, poſt aduentum curſoris, protinus Fanum S. Ildephonſi petiit nuntiumque reipublicae ſuae regi expoſuit. Finis diſcordiarum, quae nobis cum ſede Romana intercedunt, quam longiſſime abeſt oratorque pontificis adhuc extremis in regni finibus conſtitutus, regno, vrbe & aula caret. Montiius comes atque Minaſius marchio, hic ad Galliae, ille ad magnae Britanniae regem legatus, itineris ſui Londinum atque Lutetiam Pariſiorum, quem rex conſtituturus ſit, terminum ignorant. Princeps primi ordinis, eodemque tempore foemina honoratior aulae, Olyſſippone clam abiit, exceſſitque, quantum coniicere licet, in fines regni noſtri, in quibus ne aſylum vtrique praebeatur, aula Luſitanica a noſtra petiit.

Lutetia Pariſiorum, Idibus Oct. Rumor raucus factus eſt, Montemario duci in mandatis eſſe exercitum Hetruria educere fidemque meretur maiorem alter, qui nouisſime percrebuit, fore, vt eam per hyemem teneat. Cauſa cuius morae non vna allegatur, princeps vero, quod reginam Hiſpaniarum ſpes alat recuperandi vnam vel alteram prouinciam ex legibus nouae pacis ſibi ſuoque principi filio Carolo ereptam, nec indigne moram ferente Galliarum rege, cui non diſplicet negotium ſupereſſe imperatori in Italia,

ne

ne ſua in Turcos arma penitus vertat. Rebus ita conſtitutis pax opinione tardius publicabitur, coniecturam ſuffulciente regis noſtri mandato, vt conſilium de diminuendo exercitu, proximo demum vere effectui detur retineaturque idem militum numerus, quem bello durante nupero aluimus, alendoque vt ſuppetant ſumptus, decimae dubio procul per annum proximum continuabuntur. Nec eo quo definitum erat, tempore Commerciana in arce domicilium ponet Stanislaus licet ſupellectilem variam praemiſerit, coniecturis interim dediti id menſe proximo futurum contendunt. Lautrecus comes, nuperrime ex Italia redux regis in conſpectum venit, qui rerum geſtarum rationes reddenti beneuolas aures praebuit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Nouum archiepiſcopi vrbis noſtrae breviarium nouis additionibus illuſtratum geminaque forma, vt plagulam quatuor nec non duodecim folia conficiant, recuſum, locis ſolitis adfixum proſtat. Inſtitutum qui improbarunt, aegre ferunt adplauſum, quo liber excipitur ab his quoque, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan, nec vulgi ſunt praeiudicia, accedente & hoc, quod aula epiſcoporum obicem ponere geſtientium quemcunque conatum repreſſerit. Praeſens anni tempeſtas admonuit Chatillonium ducem, ephorum Delphini de huius recreationi dicatis horis immutandis, ita, vt ille, prandio hora vndecima ſumpto, per tres ſubſequentes horas obambulet per hortos penſumque dein quotidiani laboris peragat. Peyronius, chirurgus regius ordine primus, V. Id. Oct. Sullianae principis viduae mammam tubere deformem incidendo artis ſuae ſpecimen edidit. In piſcinae loco adplanando apud Verſalienſes omnis adhibetur induſtria, vt per trimeſtre opus abſoluatur. Noua per aggerem ducetur recta linea Clagnium vſque platea, ſpatio iam ſingulis adſignato, qui ſuis ſumptibus nouas aedes exſtruere cupiunt. Ad introitum conſtitutus ornamento erit fons ad inſtar lunae falcatae, cuius in vtraque extremitate hippopotami e plumbo conflati & aere obducti aquas ſcaturientes emittent.

Londino. XVII. Kalend. Nov. Emanuel Gonſalez de la Cerda, qui, abſente Ludouico Acunha, legato regis Luſitaniae, huius apud ordines foederati Belgii res curabit, V. Id. Oct. Olyſſippone ad nos venit iterque Hagam Comitum proximis diebus perſequetur. Optata, eaque maiori, quam ſperauimus, tranquillitate perfruimur nec amplius loca vrbis noſtrae excubiis militaribus firmantur, praeter Kenſingtonianam arcem turremque Londinenſem, vbi luce heſterna & hodie adhuc duplo maior cohors praetoria excubias egit. Regina denuo, cincta duabus principibus natu minoribus, heſterno die in aedes Rysbracki ſculptoris ſe contulit ſpectatum opus egregium duodecim

cim Angliae reginarum, quas artificis huius peritiſſimi manu ſculptas in crypta Merliniana exponendas curabit. Medicorum vrbis noſtrae collegium in ſolemni, quem V. Id. Oct. egit, conuentu, anni futuri praeſidem ſibi iterum D. Pelletum elegit. Tertio poſt die pariter conventum habuit ſocietas, cui de S. Trinitate nomen eſt, praeſide ſeniore, Caroli Wageri equitis ob infirmam valetudinem abſentis vicario nouosque collegas, Brettum, Hullium & Hunterum, praefectos nauium, adſumſit. Perendie ſummus conuocabitur ſenatus, quaeque VIII. Kalend. Nov. renouanda fuiſſent comitia ad VIII. Kalend. Febr. anni inſtantis prorogabuntur.

Ex eadem vrbe, eodem die. E Penſyluania relatum accepimus, Gordonium, prouinciae totius praeſidis vicarium, morbo paucorum dierum exſtinctum eſſe. Jamaica ex inſula litteris VIII. Kalend. Aug. datis nuntiatur naufragium, quod nomine Mauritii inſignita nauis ad inſulam ita dictam Diabolorum fecit, cum iactura quingentarum ciſtarum, quibus ſaccharum in Angliam transportandum fuit, ſeruatis omnibus, qui ea vehebantur. Nouus eiusdem inſulae praefectus ſummus, defuncto Cuninghamo ſucceſſor datus, Eduardus Trelawneius, hodie iter eo aggreſſus eſt. Maſſeius, praefectus Wilmingtoniae nauis ſocietatis ad Indos orientales mercaturam exercentis, qua Angriam, praedonem maritimum oppugnatum iuit, iuſſus eſt in auxilium vocatis, quae Bombaianum tenent portum, nauibus, hoſtem ſuis in latibulis munitis vi ſumma aggredi. Nauis, cui ille praeeſt, inſtructa eſt peritisſimis nauticam operam praeſtantibus, militibus ſexaginta armisque quae ad exornandos ſexcentos viros ſufficiunt. Societas, quam modo nominauimus, fortiter pugnantibus praemia ſtatuit & quidem libras Sterlingicas quadraginta brachium aut pedem, atque centum prorſus vitam amittentium haeredibus. Edino accepimus, Wadium ſummum militum ducem, in legionibus luſtrandis occupatum atque retractos eſſe nonnullos nuperi tumultus complices e fuga, qua ſibi conſulere tentarunt.

Haga Comitum. X. Kalend. Nov. Imperator ex voto reſpondiſſe dicitur ad litteras, quibus ordines foederati Belgii aliique Proteſtantium religioni addicti reges & principes abrogationem articuli quarti pacis Riſwicenſis flagitarunt, modo idem rex Galliarum faciat, vtque faciat, eius Vindobonae legato Theilio negotium hoc perficiendum fuit traditum. Aula regnoque Luſitaniae qui clam excesſit, perhibetur eſſe princeps, qui regem fratrem germanum agnoſcit profugi precibus locum dare recuſantem, vt foeminam, cuius nomen iisdem in litteris non expreſſum legitur, vxorem ducat, quae & ipſa fugam dedit. Diſcordiae adhuc inter vtramque aulam perdurantes non impediuerunt, quo minus rex Luſitaniae per litteras factum ex-

exponeret Hiſpaniarum regi, qui, vt aiunt, mandata dedit, de principe arcendo a finibus regni noſtri, aut praeſidio militari eum cingendo, ſi eos iam ingreſſus deprehendatur deque virginum ſacrarum in collegium deducenda fugae ſociam quam habet. Interim aliaead familiares narrant litterae, reginam ante cognitam, quam facta eſt, habuiſſe fugam principis cuius & regis fratrum quoque gratia rara fuit. Publicae rei in Hollandia procurator; quem Penſionarium vulgo adpellamus, Slingelandius infirma perpetuo tentatur valetudine. Reluctantibus licet provinciis Hollandia & Selandia coeptum eſt colligi aliquot myriades, quas mutuo accipiet imperator, quantumque conſtat tam copioſi ſua profeſſi ſunt nomina offerentium pecuniam, vt nihil amplius deficiat. Hoeium, noſtrum in aula Gallica legatum, quem nuptiae filiae ad nos vocauerant, reuocarunt Lutetiam Pariſiorum negotia maxime ardua, multisque perſuaſum eſt fore, vt per hyemem ibidem quaedam pacis confirmandae cauſa celebrentur conſilia huncque in finem Acunham legatum regis Luſitanorum eo profectum eſſe.

Lipſia. IV. Non. Nov. Procelloſa tempeſtas, quae XIII. Kalend. Nov. noctu ſuborta per ſubſequentem continua ſaeuiit diem, non potuit non triſtem vndique praeſagire nuntium. Triſtiſſimum ferme omnium accepimus Erfurto, cuius pars magna periculo venti expoſita, cum in diuerſorio, lagenae ſiguo quod a reliquis diſtinguitur, incendium XII. Kalend. Nov. hora ante meridiem octaua audita, ſuboriretur, in cineres conſedit. Iratus nempe Vulcanus per horas ferme quatuor & viginti, nempe ad proximi diei horam mane ſextam vim ſuam tanta exercuit ſaeuitia, vt centum & octoginta aedes priuatae, turres tres, aedes vtraque, Paulina in totum, Praedicantium, vt audit, ex parte conflagrarint aere Campano omni liquefacto, nec maiorem vrbs ab anno ſeculi decimi quinti ſeptuageſimo ſecundo calamitatem pertulit. Pertulit calamitatem pariter inſignem ex inundatione grauisſima, quam eadem venti vehementia peperit, plateis & cellis fluctibus aquarum plane corruptis, auulſis de littore nauibus, ſeptemque ex numero vndecim, qui nauigio vitam crediderant, ſubmerſis. Idem, eodem tempore, eodem venti inſoliti malo, fatum experta eſt Colonia Agrippina, Rheno intumeſcente adeo vt molae nauales aliquot, aliae grauiter concuſſae, aliae funditus ſubmerſae fuerint. In gratiam genealogiae ſtudiorum adnotandum venit, quod V. Id. Oct. vita defunctus & XIV. Kalend. Nov. ſepulchro illatus ſit Penigii Franciſcus Carolus Schoenburgius comes, qui gemellus cum Friderico Erdmanno, XIII. Kalend. Jan. anni octogeſimi tertii ſuperioris ſeculi in lucem editus patrem habuit Wolfgangum Henricum, matrem Julianam Catharinam, Johannis Caſparis Schoenburgii Penigienſis baronis filiam, ipſe vero nunquam matrimonium contraxit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLV. A. P. C. N. PARTIC. I. cIɔ Iɔcc xxxvi.

Neapoli. VII. Id. Oct. Si voluntas habetur pro facto in cauſa quoque homicidii, homicidam merito dixeris Lapiſium comitem ſeniorem, caſtelli Carminienſis praefectum, qui Auellinae principi viduae inſidias vitae ſtruens nihil ſua ex parte neglexerat adductis in conſpirationem de familia occidendae & foemina & viro, quibus, cum a miniſterio cubiculi eſſent, commodiſſime omnium ad facinus nocturnum vti ſe poſſe putavit. Enim vero poenitebat illam facti in quod conſpirauerat ſcelusque detexit dominae ſuae haecque S. Eſteuano comiti, qui curam tradidit Charnio comiti, vt in conſeruatione vitae aduerſus violentum aggreſſorem omnem operam nauaret. Diſpoſitis itaque militibus per hortum & conclauia palatii, cum noctis tempore definito Lapiſius comes, nauticam operam praeſtantis habitu indutus, hortum ingreſſus in eo eſſet, vt aedes ſitiens ſanguinem intraret, offendit ad fores fidum principis cubiculi cuſtodem, qui ſclopeto manuario caedem minabatur adpropinquanti, cui terrorem iniecit tantum nihil tale opinanti, vt pedem figeret vitaeque ſuae parcendum rogaret, accurrentibus, ſtrepitu audito, militibus, qui eum comprehenderunt, comprehenſum in caſtellum Ouanum deduxerunt. Nocte vna, quam ſcilicet VI. Non. Oct. dies excepit, numero vndecim variis ex locis aduolarunt curſores, quorum de nuntiis plus vice ſimplici in conſiliis ſanctioribus actum fuit, quid vero concluſum ſit aeque ac argumentum, minus exploratum ac cognitum eſt. Interim bonum inde capiunt omen plurimi ſibi aliisque perſuadentes fore, vt menſe proximo pax publicetur eaque multum commodi aulae noſtrae allatura ſit. Ex mandato ſenatus ſummi caupones tenentur ſingulo mane nomina eorum indicare, quibus per noctem hoſpitium praebuerint.

Roma

Roma. III. Id. Oct. Vltima praeteritae hebdomadis feria, quidam variorum ſcelerum conuictus, quique in nupero Traſteuerinorum tumultu coryphaeum egit, Morettus nomine, de patibulo ſuſpenſus fuit. Tuſculi * legato regis Galliae atque Albani equite Georgiano commorantibus, copioſi admodum vrbis optimates eo concedunt, inque priori, quem nominauimus, loco degunt Corradinus purpuratus atque Ruſpilioſa Palauicina princeps, Harrachius comes, imperatoris legatus, legatus Venetorum & Ottobonus purpuratus, quos ſalutatum ſe venientes S. Aignanus dux magnificis excepit epulis, cuius cum purpurato curiae fiſci praeſide conciliatio dictos hoſpites conuocaſſe creditur. Idem legatus imperatoris, cognito, quod inſignia caeſariana in reparando theatro Alibertano fuerint deiecta, praefectum theatri eo compulit, vt eadem, quo fuerant, loco exponeret. Cuſtos aerarii pontificis Anconam hodie profectus eſt luſtratum aream, in qua aedes nouae pro ampliando noſocomio exſtruentur. Caprarola ſuperioribus diebus terrae motu ſub ſiliit conterruitque ciues, vt in campum excederent metu periculi, ne repetita concuſſio damno ſit, quod diuina clementia auertit. Montius ex ordine clericorum, quos Praelatos adpellamus, veniam impetrauit Bononiam proficiſcendi ſalutandique fratrem germanum marchionem huius nominis, qui e Gallia aduentauit. Haec dum ſcribimus, fama percrebuit, Orighium purpuratum grauiſſimum incidiſſe in morbum inque praeſentiſſimo vitæ periculo verſantem oleo extremae vnctionis donatum eſſe.

* *Fraſcati.*

Liburno. IV. Id. Oct. Septem Hiſpanorum naues bellicae portum adhuc tenent Speccianum, nec quid certi noſſe datur, quando eum relicturae ſint ex mandato regis Hiſpaniae, quod praefecto claſſiculae traditum eſſe quidam adfirmant, cui interea panis bis coctus victusque varii generis a noſtratibus ſupportatur. De diſceſſu Hiſpanorum noſtra ex prouincia altum ſilentium eſt, quibus qui apud nos ſuccedere geſtiunt, caeſariani ſexies mille ad decimum, ex calculo Italorum, ab vrbe Lucenſi lapidem, caſtra poſuerunt, quæ opinione tardius mouebunt, cum Montemarius dux de deliciis potius quam itineris moleſtiis cogitet. Vincentius Maria Grimaldus miſſus a Genuenſibus ad magnum Hetruriae ducem, negotium vt aliquod perficeret, perfecto hoc & VI. Id. Oct. vltimo illi dicto vale, Florentia ad nos acceſſit atque nauem actuariam Corſica ex inſula praeſtolatur, qua patrios ad lares reuerti ſtatuit. Quem ſua in poteſtate habent Corſi rebelles, Aleriano e portu digreſſa nauis nuntium nobis attulit, auxilia peregrina anxios adhuc circumſpicere Corſos atque Theodorum baronem, fidem ipſi incolis denegantibus, cum paucis adſeclis montana loca petiiſſe. Natio vniverſa

verſa in tres abiiſſe nuntiatur factiones, quarum vna in fide manet reipublicae, altera neutram in partem inclinat, tertia Theodorum ſequitur. Hoc vero promiſſis non ſtante nulliſque ad hunc vſque diem aduentantibus auxiliis, mallent plurimi in gratiam redire cum republica, ſi relatio vera eſt.

Mediolano. XVI. Kalend. Nov. Septimus praeterfluxit dies, ex quo accedentem Piſa obſeruauimus curſorem Montemarii ducis, aliumque extra ordinem Vindobonam abiiſſe. Quantum conſtat, litteras imperatoris, quibus de iure ſuo in vtramque Siciliam cedit, aula Hiſpanica, ſi vel maxime ita comparatae ſint, vt dubio careant, dubiis nouis inuoluit & quaedam mutari cupit, non alia forte de cauſa, quam vt de non reuocando ex Hetruria exercitu praetextum habeat. Ad nutum Kheuenhülleri comitis, ſummi exercitus ducis, ſenatus noſter publicauit edictum, quo prouincia haec intra octiduum, ſub poena executionis militaris, ducenta florenorum millia conferre iubetur in aerarium militare, vt copiis praeſidiariis ſtipendia ſuppetant. Apud Liburnenſes hoſpitium paratur in aduentum Montemarii ducis, qui ſub finem huius menſis in exſpectatione eſt. Hiſpani res ſuas ita diſponunt, vt hyberna ſibi in Hetruria fore haud obſcure prodant, accedente & hoc, quod curſor, quo litteras cambiales centum & quinquaginta millium nummorum, quibus de octonario numero nomen eſt, Montemarius dux accepit, mandatum regis de ſede mutanda ſecum non habuerit.

Lutetia Pariſiorum. XIV. Kal. Nov. Litterae ex Italia Hiſpanorum docent ſtudium procraſtinandi ſuum ex Hetruria diſceſſum, huncque quoties inſtare dicunt, toties rationem allegant, quae obicem ponat. Stanislai regis Commercium abituri entis terminus pariter prorogatus prorogabitur forte vlterius, cum conſtans ſit fama breui fore, vt Coignius mareſchallus regrediatur ad exercitum deque comparanda annona militari regis edictum promulgetur. Ante hos dies quatuor Olyſſippone extra ordinem aduolauit curſor cum nuntio, quod Immanuel princeps, qui regem Luſitaniae fratrem germanum agnoſcit, aula clam exceſſerit, nemine conſcio, quo ſe contulerit. Rex mandata dedit, vt veſtigia eius ſedulo legantur, maxime cum fuga eius magni quid portendat, vtque fama fert, in faſciculo litterarum curſori nuper ſubrepto quaedam huius principis manu exaratae fuere, indicantes conſilia, quae cum aula Hiſpanica decoxerit. Inter conditiones concordiae cum ſede Romana reſtituendae rex noſter flagitaſſe dicitur a pontifice Aueniocenſem prouinciam, ea lege, vt eiusdem pretii portionem conſequatur. Pontificis dictae in prouinciae metropoli qui vices gerit, tandem aliquando permiſit, vt ludus ſcenicus, qui Tartuffe inſcribitur, ſpectatoribus exhibeatur, ea vero conditio-

ditione, vt in ſchedula inuitatoria non Tartuffe ſed fraudatoris nomen legatur. In numero quaeſtum ex ludis chartarum facientium, cuſtodiae quoque nuper tradita fuit, vt ſalutari vult, Megrignia comes, cui qui fauent, eam in libertatem vindicandi occaſionem inuenerunt. Si fabula vera eſt caretque errore calculus, Aſtronomi regii noſtra in vrbe per hebdomades aliquot naturae ordinem turbatum, nempe ſolis ortum per horae quadrantem ſolito tardiorem occaſumque per idem temporis ſpatium praeoccupatum obſeruarunt atque ne quidem, vt ſperauerant, ad aequinoctium in viam eum rediiſſe.

Haga Comitum. VII. Kalend. Nov. Liburnenſes ſuis in litteris delineant ſimulandi artem ducis Montemarii, quod ille, litterarum vbi a Kheuenhüllero, comite, acceperat exemplar exponentium imperatoris in cedenda vtraque Sicilia ſententiam, protinus Piſam ad ſe vocauerit ſummos rei maritimae tribunos, rei tormentariae non minus ac Liburnenſis praeſidii praefectum & quam plurimos exercitus ſui duces primi ordinis, vt nemo non iudicauerit deliberatum iri de itinere inſtituendo, dimiſſis inſuper aliquot nauigiis mercede conductis, ſed fruſtra & opinione citius congregatorum quisque eo, vnde venerat, rurſus diſceſſit. Ad familiares quaedam Gallorum teſtantur litterae, nullam amplius fieri mentionem, quando Stanislaus rex Commercium abiturus ſit, cuius rei cauſa allegatur, quod rex Galliarum in formula ceſſionis Lotharingiae ſcrupulos mouerit non praeuiſos detrectando onus ſuſcipere aeris alieni, quo ducatus ille premitur, praeterque comitatum Falckenſteinenſem, ditionem expoſcendo Credonenſem * cum adnexis & quae ſunt alia. Iisdem ex litteris conſtat, reductionem exercitus dilatum iri, hybernis iam ordinatis, ſuumque agentibus, quibus cura caſtrorum eſt, haud ſecus ac ſi bellum renouaretur. Comitatus Hollandiae ordines, praeuia deliberatione, ad litteras regis magnae Britanniae reſpondendum eſſe decreuerunt, ſe in cauſa haereditatis Wilhelmi tertii regis nihil egiſſe agendum aliter quod quis arbitrari poſſet.

* *Craon.*

Vindobona. IX. Kal. Nov. Noſter in Hungaria exercitus ex agro Futtaccenſi mouit caſtra, Sauumque transgreſſus Paſſarouitium verſus iter fecit, cui non arma modo noſtra ex vrbe ſed ea quoque copioſe ſupportantur, quae curam aegrotorum iuuare eorumque ad numerum imminuendum aliquid facere poſſunt. Qui ab exteris haud ita pridem ad nos venit pontium naualium ſtructor peritiſſimus nouae artis nauem confecit quindecim capientem viros, cuius per tria foramina, quae inferius adparent, aquarum vis nulla intrat, factoque experimento, imperatore & reliquis aulae optimatibus illud adprobantibus, digna fuit habita nauis, quae in officina armorum adſeruetur. Qui rei tormentariae tribunus praeeſt, Fiſcherus, cuius eſt explorare, quibus Hungariae caſtella inſtructa ſint tormentis, horum ad pedamenta birotalia* procuranda quatuor & viginti florenorum millia accepit.

* *Lauetten.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLV. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Olyſſippone, Kalendis Oct. Vulnus male tractatum facile recrudeſcit, nec ſimultas fratrum inueterata, aeque ac amantium irae, amoris redintegratio eſt. Commotus illa & nouis, quae eam ſufflarent, cauſis Immanuel princeps, frater regis germanus, XVIII. Kalend. Oct. hora noctis ferme vndecima, praeter ſpem omnem ac opinionem hominum ſe ſubduxit oculis, adſumptis fugae ſociis, ſacerdote ſibi a confeſſionibus, viro equeſtri Rodriqueſio Alincaſtro, famulis binis, quos ſua in familia non aluit, atque monacho Capucino, qui adamantes lapidesque pretioſos varii generis magno numero ſumptibus dicti principis in viaticum collegerat. Rex, interprete Marcaloa marchione, publicis in rebus a ſecretis, omnibus, quos vrbs noſtra capit, exterorum principum legatis & cuiuscunque nationis praefectis ſiue conſulibus vt & nauium praefectis rem ſignificandam protinus duxit deque reducendo profugo ad fines regni mandata dedit.

Mantua Carpetanorum. VII. Id. Oct. Patinhus aduerſa adhuc tentatur valetudine, cumque conſiliorum prae coeteris ſit particeps, horum frequentia valde infringitur. Vaugrenanius marchio, regis Galliae legatus, poſt aduentum curſoris ex aula Verſalienſi, IV. Non. Oct. regis & reginae ad Fanum S. Ildephonſi commorantium colloquio gaviſus, curſorem eo, vnde venerat, remiſit, quid vero ille vel attulerit vel retulerit, minus exploratum ac cognitum eſt. IV. Kalend. Oct. traditae ſunt Aſturiae principi litterae, quibus parens, rex Luſitanorum, fratris ſui Immanuelis principis fugam ei expoſuit, in qua praeuiam habuit anaſiam. Fieri itaque facile cum poſſit, vt ea connubium ipſius ambiat minus dignum regio ſanguine, commendat filiae princi-

pi

pi negotium hoc proponendum regi Hiſpaniarum, ſuam vt in reducendo operam conferat. Monitis illa paruit paternis, regique & reginae confeſtim litteras exhibuit perlegendas, perlectisque rex Duuallium, tribunum militarem binosque curſores ablegauit Neruam Caeſaream * cum mandatis, vt hoſpiti principi, ſi eum forte offendant, omnem exhibeant honorem reditumque ſuadere ſtudeant, amaſiam vero, vt creditur eſſe, in collegium ſacrarum virginum deducant, verum, ſi famae libet credere, ſuo in itinere ad Gallos Baionnam iam vſque peruenit.

* *Ancona.*

Lutetia Pariſiorum. XI. Kalend. Nov. Paucos intra dies varii Vindobona aduenerunt curſores, ad legatos tam imperatoris, Schmerlingium baronem, quam ducis Lotharingiae Steinuillium marchionem, vterque etiam venit in aulam nuntiique argumentum enarrauit, de quo nihil reſcire datur praeterquam quod Theilius, extra ordinem regis noſtri in aula imperatoris legatus, breui domum rediturus ſit. De reddendis imperio Romano caſtellis Rhenanis & vice verſa in prouinciam a nobis redigenda Lotharingia nihil certi conſtat, conſtat vero poſterius non prius futurum, quam Hiſpani Hetruriam reliquerint, relinquere quam nulli maturant. Neminem non in admirationem rapit dilata exercitus noſtri diminutio, quam ratione & numeri & temporis certo certius definitam quisque cenſuit. In vniuerſum mora, quam patitur pacis publicatio, varias parit coniecturas, ſed vel ideo dubias atque incertas, quia, quae aguntur, quae decernuntur in aulae noſtrae conſiliis, ſummo premuntur ſilentio. Plurimi in ea ſunt opinione, bellum, quod imperator aduerſus Turcos parat, praeſens pacificentium negotium valde remorari ſcenaeque mutationem vel ex leuiſſima dependere circumſtantia, inprimis cum rex Hiſpaniarum in retinenda Hetruria extremum experiri intendat. Si vera ſunt, quae narrantur, factionem tacite inierunt quidam aulae noſtrae proceres, in his Noallius mareſchallus, Angeruillerius atque Belislius comes, omnem mouentes lapidem, vt ad clauum ſedentis ſigilli cuſtodis nimiam infringant auctoritatem, quem auro corruptum a regina Hiſpaniae pacis ſtudium depoſuiſſe inque pacis vinculo relaxando totum eſſe contendunt.

Ex eadem vrbe, eodem die. Eſſexius comes, regis magnae Britanniae per aliquod tempus in aula Sardiniae regis legatus, per bimeſtre ſpatium noſtra in vrbe hoſpes, XVII. Kalend. Nov. ſua cum coniuge Londinum iter aggreſſus eſt. Nocte, quam dies XIV. Kalend. Nov. excepit, Fronſacus dux, ducis Richelii filius, ex vlcere ſcorbutico deceſſit, Idibus vero Nov. Bethunia marchio naturae debitum ſoluit. Procelloſa tempeſtas, qua nudius tertius vni-

vniuerſa contremuit ciuitas, laminam plumbi quadratam pedes duodecim longam latamque Luparae arcis de tabulato ſuperiori ad paſſus centum & quinquaginta proiecit tantoque terrore adfecit praetereuntem, vt illaeſus animi deliquium pateretur. Compendienſi in oppido octingenti & plures operarii deſudant in palatiis & publicis & priuatis aulae adminiſtrorum, quibus rex ea in vrbe commoraturus opus habet, magnifice exſtruendis, ciues autem, quorum aedes hunc in finem deſtruendae fuerunt, centum & octoginta aeris noſtri millia regis ex aerario acceperunt. Delphinus princeps regius munificentiae ſuae primitias dedit adſignando mille & ducentorum francorum ſtipendium annuum filiae, cui & ſibi eodem tempore nutricem mammas praebuiſſe cognouit.

Londino. IX. Kalend. Nov. Qui quaeſtum fecerunt ex vino aduſto, nec huius libere vendendi poteſtatem pretio quinquaginta librarum Sterlingicarum in comitiis definito ſibi acquirere geſtiunt, nouum, in fraudem legis, praeparare coeperunt potum, vinum ſcilicet aromaticum, cui Sangreco erit nomen, vtque ad palatum ſit plebis, cinnamomum nucesque moſchatas vino Luſitanico macerant. Pridie eius diei, quo lex modo commemorata valorem nacta eſt, hac ſibi ſubreptum potum exequiis cohoneſtandum quidam duxerunt, dolio paſſim intra priuatos parietes expoſito, quo dependebat pannum luctuoſum collucentibus vndique cereis, ſuperius prominebat nigri coloris criſta. Quod monumentum funebre cingebat corona male feriatorum, qui naenias cantando plena vini aduſti hauriendo pocula ad inſaniam vſque, & ſacris Bacchi vlulatibus, deliciis ſuis iuſta quam maxime iniuſta ſoluerunt.

Haga Comitum. III. Non. Oct. Apud Liburnenſes dux militiae Hiſpanicae, vbi reſciuit, caſtrorum ſuae nationis deſertores aliquot confugiſſe in nauem Anglorum littore in vicino conſtitutam, nullus dubitauit eosdem, omni poſthabito aſylorum iure, inde vi repetere dubioque procul nouum diffidiorum inter vtramque nationem ſemen hoc ipſo ſparſit. Apud eosdem & alios voluuntur e Corſica inſula litterae exponentes inſignia, quibus rex hodie Corſorum Theodorus Neuhofenius baro vtitur. Nempe in baſi coloris nigri exhibentur tres annuli minores argentei, ſuperius Aethiopis caput, quo Corſi ab antiquisſimis temporibus vſi ſunt, circumſcriptis in margine ſigilli huius verbis: THEODORVS REX CORSICAE. Ex quater mille nummis quoque argenteis vnus curioſorum in manus incidit, in cuius facie altera conſpicitur diua Maria virgo, cum epigraphe: MONSTRA TE ESSE MATREM; in altera Corſici regni ipſiusque Theodori inſignia cum ver-

verbis: THEODORVS REX CORSICAE.

Ex eadem vrbe, eodem die. Noſtras noſtrae nationis nauis bellica adpulſa ad oras aduexit vndecim Gallos, religionis cauſa ad remos olim apud Maſſilienſes damnatos, libertate donatos a rege Galliarum, deprecante apud ipſum Stanislao rege, qui ſe munus hoc ſuſcipere velle, Berolini cum degeret, Pruſſiae reginae promiſerat, aduenis itaque ordines foederati Belgii dono ſingulis dederunt ducentos florenos ornaruntque ſtipendio, quo ad dies vitae perfruantur. Vindobona referunt epiſtolae ad familiares, nouas regem Galliarum mouere difficultates, quibus negotium pacis non poſſit non dilatum iri, & quidem ita comparatas, vt imperator ſuo pro arbitrio eas componere nequeat atque e contrario Hiſpanis ſtimulum addant, ne vel latum vnguem ſua de ſententia Hetruriae ſibi vindicandae recedant, probe gnari, quam arcto cum Gallica aula amicitiae vinculo cohaereant. Surinamenſis, quae nobis in America auſtrali eſt, colonia Braſiliam ſua fertilitate refert, vt per ſingulos annos triginta & plures eo naues mittantur, cumque directores commerciorum illius prouinciae ab ordinibus foederati Belgii impetrauerint licentiam noui condendi caſtelli, mutuo accipere ſtatuerunt octingenta florenorum millia, refundenda ex reditibus, quos ſibi certo certius pollicentur. Neapoli in cuſtodia adhuc eſt caſtelli Elmenſis Popolius dux, cuius delictum his narratur circumſtantiis: Feſto die S. Januarii, Acquauiuae purpurato, regis Hiſpaniae apud pontificem legato, ſpectatum venienti illuſtratam lampadibus diui huius columnam atque auditum concentus muſicos, cum aditum intra cancellos concedi animaduerteret Popolius dux eosdem intrare voluit, ratus idem ſibi ius competere. Opponentibus ſe rituum ſolemnium magiſtro & praetore vrbano, argumentum eorum diſſuaſorium non verbis ſed verberibus iratus ſoluit arreptoque baculo & carpento deſiliens vtrumque grauiſſimis adfecit plagis, quibus carcerem meruit, cuius qui cauſam egit, Piccolominus dux pariter domum ſuam carcerem habet.

Lipſia. V. Id. Nov. In diebus adnotandis emortualibus illuſtrium vel virorum vel foeminarum vt morem receptum ſeruemus, vel tribus, vt aiunt, verbis adiicimus, quod Vratislauiae VI. Kalend. Nov. Haugwitzia comes, oriunda e gente comitum Noſtitzia & Reineccenſi, difficili partu, eodem ſimul exſtincto, ipſo aetatis flore, anno nimirum aetatis vigeſimo ſecundo exſpirauerit. Praeter hanc quoque Breſciae Sapieha dux, aerarii apud Lithuanos praefectus, nec non in vrbe, cui praefuit, Lublinenſis praefectus ſiue caſtellanus, vitam cum morte commutarunt.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVI. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↃIↃCC XXXVI.

Neapoli. XVII. Kalend. Nov. Patria quidem vbicunque bene, praevalet tamen patriae amor, cui, praeter natalem, beneficium quoque ſuſtentationis debemus. Hinc, ſenatoris qui apud nos ſiue conſiliarii defungitur munere, Nicolius, dignitati ſuae nuntium miſit breuique reuertetur in patriam, quae ipſi eſt Placentina prouincia, verens ne forte aerario addicantur ſua ibidem bona valde opima, ita vt ter mille aureorum reditibus quotannis perfruatur. Popolius dux & reliqui optimates die feſto S. Januarii, vt nuper enarrauimus, cuſtodiae traditi, in caſtellis adhuc captiui detinentur, Lapiſius vero comes, praefectus caſtelli Carminenſis, auſus Auellinae principi viduae inſidias vitae ſtruere, Ouana ex arce in Baianam translatus multorumque ex coniecturis iam capitis poena adfectus eſt. Nudius tertius herique aliquot aduolarunt curſores, in his a Montemario duce miſſus attuliſſe dicitur litteras, quibus imperator Carolo principi Hiſpaniarum ius in vtramque Siciliam vt & in bona, quae moueri poſſunt, domus Farneſanae & Mediceae, ſolemni formula concedit. Idem Carolus dux optime meritis de ſe contulit nouos honores, quorum in numero Caſtropignanus dux Meſſanenſium praefecturam obtinuit.

Roma. XIII. Kalend. Nov. Feria ſexta ſuperioris hebdomadis Caraffa purpuratus Anconam profectus eſt, Neapoli autem traditis aulae noſtrae litteris, Corſinus, Firrauius, Gentilis & Paſſerius purpurati de controverſia quae nobis cum Hiſpaniarum rege huiusque principe filio Carolo intercedit, diu multumque deliberarunt. Idibus Oct. in aede Mariana, cui de Scalan omen eſt, iuſſu & ſumptibus Caroli fratris Hiſpaniae principis iunioris purpurati, qua fieri potuit, magnificentia diem egimus feſtum

S,

S. Thereſiae, ſacraque, quae Miſſae vocantur, ſolemniora adminiſtravit Taſca archiepiſcopus Adrianopolitanus, praeſentibus purpuratis Barberino, Georgio Spinola, Bichio & aliis cleri optimatibus, qui ſceptrum aeque Hiſpanicum ac Neapolitanum exoſculantur, mouitque omnibus admirationem, quod Giudicius quoque purpuratus, protector nationis Germanicae, ſuam praeſentiam non denegauerit. Velitrae nuperi tumultus ſocii iuſtas Clarellio, quem pontifex iudicem delegauit, poenas dant, qui cum mulctam nongentorum ſcutatorum litisque impenſas impoſuiſſet Stephano Coluezzio ſeditionis coryphaeo, huic cognatione coniunctus, haud veritus ſententiam iudicis iniurioſis verbis traducere, in vincula ipſe coniectus eſt. Orighius purpuratus, quem medici candidatum mortis pronuntiauerant, paulo melius ſe habere coepit. Qui haud ita pridem Lutetia Pariſiorum Bononiam venit, Montius marchio, vt fama fert, legatus Galliarum regis ad imperatorem Vindobonam proficiſcetur.

Liburno, XIV. Kalend. Nov. Melita ex inſula relatum accepimus, magiſtrum ordinis Johannitarum comparare claſſem, miſſis in Siciliam nauibus actuariis quibusdam vt annonam conquirant. Hiſpanorum de abitu e terris noſtris altum ſilentium eſt, nec eum ſubindicat cura, quam adhibent in annona transportanda, Speccianum quae tenet portum, claſſis ad vſum inque palatio ibidem Palaucinenſi mutando in noſocomium, in quo claſſiarii aegrotantes alendi ſunt. Praeterea colligunt in vrbe noſtra victum varium eumque copioſum, ſique famae quid libet credere, horreis publicis apta noſtrae prouinciae circumſpiciunt paſſim loca, quem in finem, cui hoc negotium curae eſt, Campillus, ſummus annonae militaris curator, luſtratione peracta, noſtram in vrbem rediit. Portio Germanorum, quae in agro Luccenſi habuit, caſtra mouit perque fines Mutinenſium in Longobardiam iter facit. Nouiſſimae referunt Corſica ex inſula litterae, Genuenſes Corſis rebellibus in vniverſum omnibus, ne primis quidem exceptis auctoribus, propoſuiſſe amneſtiae legem, ſique ad obſequium redierint, decem annorum immunitatem ab omnibus oneribus, hac ſola adiecta conditione, vt manum quatuor aut quinque millium conſcribant, conſcriptamque reipublicae arbitrio permittant, quas tamen pacis conditiones Riuarola marchio, reipublicae in inſula a commiſſionibus primariis & Baſtienſis praefectus, non adprobaſſe dicitur. Interim res Genuenſium valde adflictae habentur, adeo vt ſupplementa militum, quae Genua mittuntur in inſulam, vix ſufficiant ad numerum eorum conſeruandum aut reſtituendum, qui vel transfugiunt ad caſtra hoſtium, vel horum in manus captiui perueniunt, vel denique morbis conſumuntur.

Ferra-

Ferraria. IX. Kalend. Nov. Aſculi Satriani in agris aliisque in regni Neapolitani locis graſſante contagio bouino, publico edicto cautum eſt, ne vel terra vel mari pontificis in ditionem armenti genus inde adducatur. Roma ad familiares datae teſtantur litterae, finem diſcordiarum cum aula Hiſpanica & Neapolitana adhuc quam longiſſime abeſſe, vtraque vrgente, praemittenda eſſe ſolemnia, quibus more ſolito regnum Neapolitanum ſedis Romanae beneficium agnoſcitur; negante e contrario pontifice, qui controuerſa prius reliqua capita iudicat eſſe pertractanda. Sero admodum, quod mireris, Montemario duci venit in mentem gloriae ſuae ad poſteros propagatio, quam intendit cuſo numiſmate, quo ipſius in vna facie exhibetur effigies, in altera vero foemina geminam manu tenens vtraque coronam vtriusque Siciliae indicem, cum lemmate: RECVPERATIS. Rex Sardiniae Auguſtam Taurinorum inter eos, quos ſibi beneficium debere cenſuit, vaſallos invitauerat quoque Saraualleuſes, non vero illi paruerunt monitis, cauſam interferentes, quod Dertonenſis ditionis non ſint.

Lutetia Pariſiorum. VII. Kal. Nov. Spes pacis publicandae tantum non penitus decollat, ad minimum, quae non aufertur, differtur longius per omnes, qui aduentant curſores, quorum nullus non de nouis difficultatibus nuntium adfert. Montemarius dux, in mandatis habere traditur, Piſa relicta, Barcinonem concedere ad ea curanda, quae egreſſum claſſis iuuare poſſunt, vtque fama fert, Mantuam Carpetanorum inde proficiſcetur, nouis iisque maxime arduis inſtruendus mandatis, vel, vt aliis coniicere placet, adhibendus in expeditione publicarum rerum, grauiter aegrotante Patinho, vt ſpes ſalutis exigua vel plane nulla ei ſuperſit. Ex eo, quod rex Hiſpaniarum, quos Carolus princeps filius habuit, ſuper numerum conſuetum, militiae praefectos in Hiſpaniam reuocauerit, haud obſcure ſagaciores coniiciunt, id agi, vt copioſus alatur etiam tempore pacis exercitus, aut, ſi quod bellum immineat, ab huius metu Italia libera ſit. Sit fides penes auctorem in vulgus luce heſterna ſparſi rumoris de nuntio per curſorem extra ordinem allato, quod Barcinone ſolverit claſſis magnoque bellicae rei adparatu onuſta & milites vicies mille pedites atque bis mille equites capiens Minoricam inſulam petierit.

Haga Comitum. IV. Non. Nov. S. Gilleſius, Hiſpanorum apud nos legatus, his diebus ordinibus foederati Belgii expoſuit caſum de repetitis non ſine vi transfugis tribus Hiſpanis ex naue Anglorum, quae portum tenuit Liburnenſem, allegatis, quae factum excuſant, cauſis. *Treuorius* autem, abſente legato, regis magnae Britanniae res adminiſtrans, haec vbi reſciuit, protinus curſorem Londi-

num

num ablegauit. Rationes, quibus rex Hiſpaniarum ſucceſſionem Hetruſcam impugnat, variant pro varietate eas perſcrutantium, rem vero acu tetigiſſe videntur, qui hunc in modum animi ſui ſenſa exprimunt: Sexum ſequiorem rex Hiſpaniae excludendum flagitat, ita, vt, deficiente aliquando prole maſcula in linea deſcendente domus Lotharingicae, maſcula ſtirps collateralis ſuccedat ad morem, quem Lotharingia tenet. E contrario imperatoris eo redit ſententia, vt ſexus ſequior in linea deſcendente praeferatur lineae maſculorum collaterali, quem ſuccedendi modum in terris Auſtriacis recens conſtituta ſanctio pragmatica definit. Non dubium eſt, quin Hiſpanicae faueat Gallica aula in gratiam ſuae nationis principum, qui e domo Lotharingica originem trahunt, nec ea fundamento caret ſuſpicio, ſi quis ſecum perpendit, nulla decoqui ab Hiſpanis conſilia, quorum aula Gallica conſcia non ſit.

Lipſia, Idibus Nov. Obſeruationem aſtronomorum Pariſienſium de corrupto ſolis ſtatu motuque in nouis noſtris ſuperiori hebdomade fabulam diximus nec errore calculi carere, neque nos ſed credulos fefellit opinio, quorum in gratiam interrogati aſtronomi regii figmentum eſſe vno omnes ore profeſſi ſunt. Saxoniae princeps Weiſſenfelſenſis VIII. Id. Nov. hora mane quinta, Saxonicae gentis delicium decusque filiolum enixa principem, felicis puerperae primitias dedit. Recens nato denatum ad latus ponimus principem, cuius memoriam ſera vt loquetur poſteritas, ita recoluiſſe poetam incerti nominis, nemo ei vitio vertet, nec nobis carmen optimae notae referentibus huius argumenti:

Oſſa ſub hoc tumulo EVGENII bene tecta quieſcunt,
Qui toto aeternum nomen in orbe tulit.
Qui Turco flagrum, Gallo triſtiſſima clades
Dum fuit, Europae eſt gloria magna ducum.
Inclita ad Hogſtadium & Ramelaeam praelia teſtes,
Teſtes ſunt vrbes, quae ſubiere iugum.
Conflixit quoties acie, ſpolia abſtulit ampla
Hoſtibus, & dextro Marte reuertit ouans.
Hannibal huic cedat, concedat Scipio magnus,
Nomen Achilleum cedat & Hectoreum.
Europa EVGENIVM defixum mente tenebit,
Quo duce ſunt manibus vincula dempta ſuis.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVI. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum. XVII. Kal. Nov. Tantum abeſt, vt diuturna noſtrae & Luſitanicae aulae ſimultas commune infringat gaudium, quod vtrique ſubnatum eſt ex natiuitate filiae, quam Braſiliae princeps in lucem protulit, vt potius ad litteras, quibus rex Luſitaniae per curſorem extra ordinem miſſum laetum expoſuit nuntium, reſponſorias easque gratulatorias rex noſter protinus dederit, aulamque non modo per biduum ad publicam laetitiam prouocauerit, ſed aedes quoque lampadibus pulchro ordine poſitis illuſtrandas vbique imperauerit. Immanuel princeps Luſitaniae Olyſſippone profugus Valdoletum vbi peruenit, ſacra frequentando pietatem teſtatus haud obſcure ſubindicauit, ſibi gratam valde & acceptam videri ſedem in finibus regni Hiſpaniae, cognito autem, quod hoſpitium dare iuſtis de cauſis aula noſtra recuſet, ſine vlteriori mora Baionam iter proſequutus eſt. Ingens niuis copia, quae ſuperioris hebdomadis feria quinta per integrum diem decidit, nec non morbus ingraueſcens Patinhi, impedimento fuerunt, quo minus aula, vt definitum erat, Scoriacum, Fano S. Ildephonſi relicto, conceſſerit.

Lutetia Pariſiorum. IV. Kal. Nov. Nec fallunt, nec falluntur, qui ſibi aliisque perſuadere conantur incerto caſu pacis negotium pendere, nec dubium eſſe, quin caſtella Rhenana, imperio Romano ex noua transactione quae reſtituenda ſunt, integram per hyemem retineamus. Id tam certum quam quod certiſſimum eſt dubioque caret omni, quod tantum annonae aula in his locis conferendum iuſſerit, quantum per ſemeſtre ad militem praeſidiarium alendum ſufficit; quod per tempus hoc Meudoniana vel Camborienſi in arce, quae hunc in finem exornatur, rex Stanislaus, commoraturus ſit; quod iu-

ſupellex eius varia Commercium deportanda deportataque iam ad Fanum S. Dizierii, reducta fuerit; quod proximo demum vere diminutio exercitus locum habitura ſit; quod abrogatio decimarum plane obliuioni detur; quod in ordinandis rebus ea obſeruentur, quae publicanda de pace opinioni non reſpondent. Immanuel princeps Luſitaniae, cui ſonticis de cauſis in Hiſpania pedem figere non licuit, Baionnam perueniſſe dicitur, iter ad nos proſequuturus, ita tamen, vt per aliquod tempus perſonam diſſimulet, quae res aulae Hiſpanicae cum noſtra concordiam abunde teſtatur. Quae nuper relata ſunt, de inordinato ſolis motu diurno & ſatellitum Jouis vno amplius non conſpiciendo, qui fabulam dicere erubeſcunt, ſatyram eſſe contendunt praeſentes aulae noſtrae adminiſtros adumbrantem, quam aeque obſcuram merito alii adpellant.

Ex eadem vrbe, eodem die. Miſſus a Vaugrenanio marchione, noſtro in aula Hiſpanica legato, curſor, qui XVIII. Kalend. Nov. digreſſus X. Kalend. Nov. aduentauit, Joſephum Patinhum narrauit in agone conſtitutum, quem XV. Kal. Nov. diem obiiſſe fama nudius tertius tulit, tertio ante obitum die lectum a rege in numerum regni procerum, qui regis in praeſentia tegunt capita, poteſtate ſimul data, dignitatem hanc tranſplantandi in eum, quem gentis ſuae digniſſimum iudicauerit. Qui vero luce heſterna ab eodem marchione Vaugrenanio ablegatus ad nos acceſſit curſor, praeſentiſſimae mortis eum candidatum XIII. Kalend. Nov. adhuc vixiſſe nuntiavit. Cui vita defuncto, multorum ex coniectura, ducum ex numero vel Campus Floridus, vel Aguilarius, vel Montemarius, dabitur ſucceſſor, aut ſinguli partem adminiſtrabunt negotiorum, quae Patinhus expedire ſolus adſueuit. Poſtremum Patinhi prudentiae rerumque politicarum peritiae monumentum litterarium habetur ſcriptum, quo euincere ſtuduit, regem Hiſpaniarum nec poſſe nec debere permittere, vt ſibi vel ſuo principi Hetruria eripiatur. Antinus dux, e numero Galliae procerum, quos *Pares* vulgo adpellamus, ſummi militum ducis vicarius, praefectus Aurelianenſis, ordinum regiorum eques regisque palatiorum procurator, anno aetatis ſeptuageſimo primo vitam cum morte commutauit, cuius dignitatum & honorum haeres erit Eſpernonus dux, qui defunctum auum agnovit.

Londino. III. Kalend. Nov. Nudius tertius, Wagerus, ſummus maris praefectus, per integrum, & quod excurrit, horae ſpatium colloquio gauiſus eſt reginae, cum quo quia paucis ante diebus, Robertus Walpolius eques, Neocaſtellanus dux & alii aulae adminiſtri conſultationes inſtituerunt, grauitas argumenti ſumma colligitur, accedente & hoc, quod luce heſterna Robertus Walpolius

polius eques cum quibusdam ſenatui ſanctiori adſcriptis conſilia inierit. VII. Kalend. Nov. ex iudicum ſententia tres capitis damnati ſunt, quinque autem in tumultu Spitlefieldano nupero comprehenſi ad carceres per integrum biennium, vtque per annos ſeptem proximos fidem ſponſoribus datis confirment. Haud ita pridem apud Rushallenſes in comitatu Norfolcienſi quidam praeuia contentione cum vxore ſua, pendens de arbore fatum ſtolidus præoccupauit, cuius corpus demortuum, quod cum licentia ſepulchro inferendi a iudicibus conſecuta fuerat, Xantippe, vili admodum pretio vendidit chirurgo, dimidio nimirum monetae argenteae, quæ quarta parte imperialem excedit. * Nauticam operam praeſtans, Samueli Scoto cui nomen eſt, auri ſacra fame adactus lucrum quaeſiuit ex vino aduſto contra legem nuper in comitiis latam, qua definitam decem librarum Sterlingicarum mulctam ſoluere cum non haberet in aere, per bimeſtre ſpatium in ergaſtulo luendum habet in corpore.

* *Crone.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Nudius quartus poſt meridiem, Eſſexius comes, per aliquod tempus in aula regis Sardiniae Auguſtae Taurinorum legatus, cum gente ſua e Gallia reuerſus poſtero die reginae in conſpectum venit, cui dono obtulit ſportulam ex argento contextam mirae artis, quae fructibus adponendis inſeruit. Norriſius architalaſſus iterata accepit mandata, vt per brumam ſua cum claſſe portum Olyſſiponenſem teneat. Dicta ex vrbe opinio ad nos venit non omnibus probata, Hiſpanos & Luſitanos in colonia Americae, quae de Sacramento nomen habet, praelium commiſiſſe, e quo priores cum clade mille & quingentorum inferiores diſceſſerint. Boſtonia nuntiatur, præfectum illius loci Jonathanem Belcherum a VI. Kal. Sept. ad Kalendas Sept. ſuperioris anni cum delegatis Indorum, inprimis Houſſatonnocenſium & quinque eorum principibus Dierfeldiae Hampshirano in tractu colloquium habuiſſe, atque fidem chriſtianam amplectendi ſtudio flagrantibus paſtorem miſiſſe Houſſatonnocum, nomine Sargentium atque ludimoderatorem, quorum ille pridie Kalend. Sept. ad munus ſacrum inauguratus fuit.

Haga Comitum. VIII. Id. Nov. Mirantur multi terminum parturientis principis Arauſionenſis de die in diem dilatum iri, cum ante aliquot iam hebdomades eam nonum grauiditatis ſuae menſem agere in vulgus ſparſum fuerit. Maritus eius dux Arauſionenſis, praeteritis diebus lectus fuit in numerum ſocietatis Georgianae, quam viri non infimae conditionis profitentur, quibus numiſma eſt teſſera legumque aeque ſilentium ac eorum, quos lingua patria Frey-Maeurer adpellamus. Nulli eſt munus oneroſum, quos enim definito tempore inſtituunt, conuentus epulis peragunt ſumptus ſup-

ſuppeditante aerario, in quod poſt obitum quisque ad minimum quingentos florenos teſtamento conferre tenetur, viuus autem nihil pendendum habet. Nouum hoſpitem collegae octo ad fores aedium, in quibus conuenire ſolent, praeſtolabantur, quo honore ſaltem principes fruuntur, noſtro autem flagitante Richmondus dux pariter ſocius receptus fuit. Quantum ex litteris quibusdam Verſalia ad nos datis conſtat, imperatoris eo redit ſententia, vt rex Hiſpaniarum, nomine principum filiorum, qui in patria adhuc ſunt poteſtate, cedat de iure, quod anno huius ſeculi decimo octauo ex transactione Londinenſi in Hetruriam, Parmam & Placentiam conſequuti ſunt. E contrario idem ab imperatore flagitat rex Hiſpaniae, vt ipſe nomine archiducis filiae iunioris huiusque ſoror germana, quae Lotharingiae nupſit duci, vtriusque de Siciliae iure quoque cedant, quod ipſis litterae Innocentii decimi tertii pontificis adſignarunt. Vtrumque quo magis aequum videtur poſtulatum, eo minus difficultatis pariet atque Hetruriae euacuationem breui futuram pollicetur.

Hafnia. III. Non. Nov. Reſtitutis ex incendio rebus academiae noſtae prima IV. Kalend. Nov. in cathedra iuridica ventilata fuit diſputatio inauguralis. Poſtero die, nimirum III. Non. Nov. iubileum celebrauimus recolendo memoriam lucis euangelicae, quam ante duo ſecula nobis iterum ſuccenſam gaudemus, pietasque magis quam pompa feſti merito diei normam praebuit. Hora ante meridiem decima, rex cum regina ſolitoque comitatu templum Nicolaitanum vbi ingreſſus fuerat, ſacrorum fiebat initium. Wormius epiſcopus ſermonem de ſuggeſtu ſacro recitauit ſecularem hymnusque Ambroſianus, inter tonitrua tormentorum ter repetita per vrbis caſtellique munitiones diſpoſitorum, ſupplici ad Deum mente decantatus fuit, ſacris itaque finitis regia gens hora poſt meridiem prima Fridericobergam rediit. Cuius poſt abitum hoſpitiorum aulicorum deſignator populum ad plauſus excitauit proiectis numiſmatibus, quorum vna exhibebat facies regis imaginem verbis adſcriptis: CHRISTIANVS VI. REX D. N. V. GOTH. altera inſcriptionem vernacula lingua, huius, ſi Latio reddatur, argumenti: *Qui ante ducentos annos nouam euangelii lucem conſpeximus, Deo pro tanto beneficio gratias agamus laudesque eius decantemus; A. R. S. cIↄ IↄCCXXXVI. d. III. Kalend. Nov.* Maioris quoque moduli duo cuſa ſunt in huius rei memoriam numiſmata aurea & argentea, quorum illis aulae proceres, his, qui in aula a miniſterio ſunt, donati fuere. Rex in aula & vrbe noſtra a concionibus nonnullos, nempe Blumium, Dorphium, Huidium, Schreiberum & Holmium a conſiliis eccleſiaſticis eſſe iuſſit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVII. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄ Iↄcc xxxvi.

Neapoli. X. Kalend. Nov. Quemadmodum in caſu non vno, quo plus bibuntur, eo plus ſitiuntur aquae; ita explere & ſatiare cupiditatis ſitim aurique potiſſimum famem non facile datur. Accidit his diebus, vt terram fodientes in deſtruendis aedibus ſuburbanis pro ampliando viuario inuenerint theſaurum quatuordecim auri cuſi millium, haud leue in aerarii incrementum, quod Carolus princeps exhauſerat ſoluendo quinque & octoginta aureorum millia poſſeſſoribus agrorum, quos in gratiam modo dicti viuarii ad promontorium montanum * ſibi emptionis iure comparauit, nec eo contentus, maiorem in terrae viſceribus forte latitantem vt conſequatur, foſſores ſedulo opus facere iuſſit & attentos eſſe, num quid vlterius, in compenſationem ſumptuum, eruere detur. Nudius tertius horrida tempeſtas imbriumque & fulgurum nec non ventorum vehementia totam conterruit ciuitatem. Fulgure tangebatur murus hoſpitii, quod legioni Farneſanae eſt in loco vrbis, qui patria lingua Borgo di Chiaia audit, praefecto militari inferioris ordinis e viuis ſublato tribusque militibus gregariis grauiter vulneratis. Auellinam principem qui inuadere tentauit, Lapiſius comes in examine rigoroſo conuictus quoque fuit ſceleris alia ratione peragendi, veneno nimirum, quod habuit ad manus, ex medicorum effato valde noxium. Poena, quantum colligere licet, eum grauiſſima manet cauſaque tanti facinoris facinoroſa non minus allegatur hunc fere in modum: Nimia vſus familiaritate Trocchiarolae principis, coniugis Ambroſii Caraccioli Auellini, nec morem gerens mandato aulae noſtrae, quo vitare hoc iubebatur conſortium, traditus fuerat cuſtodiae, ex qua liberatus cum niteretur in vetitum cuperetque negatum, Auellina Spinola princeps ſe-

nior, ſocrus amaſiae, cuſtos pudicitiae rem eo perduxit, vt ex aulae decreto haec, Neapoli relicta, ad Surrentinos abire cogeretur. Quae res non potuit non ſtomachum mouere Lapiſio comiti, qui vindictae cupidus, vt haud pridem commemorauimus, ſumta nauticam operam praeſtantis perſona, nec, proditum ſe eſſe, gnarus, per hortum ingreſſurus palatium ſibi vincula contraxit.

* *Capo di Monte.*

Roma. VI. Kalend. Nov. Ad nuntium praefecti Aſculi Piceni, quod pecuariae rei deditus mercator ſexaginta boues e Calabria per vicinos agros ad mercatum alio ducens, quinquaginta ſubito caſu amiſerit, ad fines properarunt famuli publici, curam omnem adhibituri, ne malum contagioſum in ditionem ſedis Romanae transplantetur, inque aedibus purpurati qui publicis in rebus a ſecretis eſt, diu multumque de hoc deliberatum fuit. Nudius tertius, medici vrbis noſtrae primarii Paſcoli prodiit ſcriptum, quo luculentiſſime exponit, qualem ſe agricola praeſenti in malo, quo armentum corripitur, gerendum habeat, quibusque vtendum ſit mediis. Triſtis heri aduolauit nuntius Campo Mortuo, mali huius indicia ibidem haud obſcura ſe prodere, quid itaque ſit conſilii, protinus adflictis ſignificatum fuit. Sub finem ſuperioris hebdomadis famuli publici proxime ad palatium legati Gallorum nonnemi nem diu quaeſitum rapuerunt ad carcerem, carcerem ipſi promeriti violando ius aſylorum, quod legatorum aedibus competit, quod vbi reſciuit S. Aignanus, Galliae regis legatus, Tuſculi * hodie degens, cum honorifica compellatione apud vrbis praefectum deprecando pro captiuis effecit, vt libertate donarentur. Veniam a pontifice petiiſſe dicitur Coſcia purpuratus, ſibi vt per ſemeſtre Neapoli daretur poteſtas commorandi, ſed tuliſſe repulſam cum mandato, nullus moretur in carcerem arcis noſtrae reuerti.

* *Fraſcati.*

Mediolano, pridie Kalend. Nov. Curſor ad Breitwitzium, ſummum militum ducem, qui copiis caeſarianis in agro Lucenſi praeeſt, nudius tertius abiit eique ſignificauit, vt cum ſuis in terras Parmenſes reuertatur. Quod precibus Luccenſes ab imperatore impetraſſe perhibentur, maxime cum Hiſpani in Hetruria ſibi grata & commoda ſatis hyberna peragere inſtituant. Julius Viſcontus comes ex aula Vindobonenſi apud nos hoſpes, nullo non honoris cultu dignus habetur, quem vrbis noſtrae vt & Patauinae, Vigeuanae atque Cremonenſis nec non aliorum locorum delegati ſalutandum iudicarunt. Quae praeſidio nobis erunt, copiae caeſarianae ſua per loca diſponuntur idemque in terris Placentinis & Parmenſibus fieri cognouimus. Non deſunt qui ſibi conſtare autumant, ſummum exercitus imperato-

ris in Italia ducem, Kheuenhüllerum comitem, per litteras certiorem factum eſſe a Noallio, regni Galliae mareſchallo, ſe, Lutetiam Pariſiorum poſtquam rediit, accepiſſe mandata, vt ad vltimam pacis negotio manum imponendam legatus Vindobonam proficiſcatur. In Longobardia non minus ac in regno Neapolitano lues pecoris peſtifera paſſim graſſatur. Mantuae XI. Kalend. Nov. Margaretha Hippolyti Doghii vidua anno aetatis centeſimo atque duodecimo confecta aliquot menſium morbo viuere deſiit.

Venetiis. III. Non. Nov. Conſtantinopoli relatum accepimus litteris ad nos XII. Kalend. Oct. datis, inſignem eueniſſe in Perſide metamorphoſin ita comparatam, vt Nadiro, quam ſibi impoſuit, regiae coronae iacturam minetur. Decreuerat ille dominum ſuum regnique Perſiae legitimum haeredem lumine oculorum ſimulque regnandi iure & poteſtate priuare, quam ſuae ſententiae executionem ſibi familiariſſimo cuidam commiſerat. Qui quo minus ſegnem, eo magis miſericordem ſe exhibuit, non enim abſtinuit modo a facinore precibus pueri commotus, ſed quoque eius, cui pepercit, fugae ſe ſocium praebuit, ſuas in partes adductis ſexcentis, qui miſeri cuſtodiam corporis habuerunt. Digreſſi in prouinciam paulo remotiorem, cuius incolae tantum non omnes conſilium adprobantes tam copioſi ad arma confluxerunt, vt rex, fortunae hactenus nouercae filius, exercitum quadraginta millium contraxerit, contra quem in aciem procedit iamiam Nadirus, vt cum regni aemulo de principatu contendat. Sit ita fabulam narrari, certo tamen certius eſt, optimatum regni Perſiae quam plurimis taedio eſſe venerari regem, quem exercitus ducem virtute inſignem colere nulli dubitarunt. De pace cum Turcis ineunda vel inita nihil certi conſtat.

Lutetia Pariſiorum. IV. Non. Nov. Res Genuenſium in Corſica inſula valde adflictae ſunt atque obfuit magis quam profuit reipublicae mandatum, quo praefectus Baſtienſis Corſorumque in rebus adminiſtrandis a commiſſionibus primariis Riuarola iuſſus nullas ex vrbe in rebelles amplius facere excurſiones optatam his dedit occaſionem fruges colligendi ſua in horrea. Nuntiantur haec litteris Baſtia XIII. Kalend. Nov. datis dataeque Caluio XV. Kalend. Nov. idem confirmant adduntque & hoc, Theodorum Neuhofenium baronem cum quadringentis haud leuis armaturae corporis ſui cuſtodibus adhuc Sartenae commorari ſuaque quam maxime celare conſilia, cui licet deſint vires inuadendae vrbis ſine re tormentaria, verendum tamen, ne vnam vel alteram fame per hyemem ad deditionem cogat ſuamque in poteſtatem redigat. Militiae ſacrae tyro quidam, quem abbatem dicimus, in oppugnandis cupiditatibus ſuis minus

valens frequentauit, ne plane otioſus eſſet, ludos ſcenicos, tantoque Gauſſiniae, quae in ſcenam prodiit, captus fuit amore, vt eum parentes in coenobium S. Lazari deducendum curarent & inde, cum cibum potumque ſumere detrectaret, in praedium, quae ſedes pariter ipſi minus commoda viſa fuit. Euaſit itaque opinione citius & in vrbem redux provolutus ad pedes amaſiae in eo cum illa eſſet, vt aedes, in quibus ludi ſcenici exhibentur, ingrederetur, ſub dio iacens animi deliquium paſſus fuit, quo ſuperato, delatus in tabernam potatoriam, pronuntiauit, fore, vt, conſpecta virgine connubiumque denegante, corpus transfodiendo ſibi violentas manus inferat.

Londino. IV. Non. Nov. Recens nuper electus ſummus vrbis praetor regius * Tompſonus luce heſterna more ſolito cancellarii equitis in conſpectum venit. Eodem die Kenſingtoniae ſenatus conuocatus fuit regius, cui ex mandato reginae Delawarius eques interfuit. Diem hodie natalem Arauſionenſis principis, quae partui proxima perhibetur, multis ſolemnibus celebrauimus. Multorum ex opinione Eſſexius comes, qui ex aula regis Sardiniae legatus rediit, prorex Hiberniae ſalutabitur. Gullino atque Turnero, pharmacopolis mulcta impoſita eſt centum librarum Sterlingicarum, auſis ſub nomine medicamenti cordialis potum lege publica prohibitum vendere, pluresque forte idem manet fatum, niſi alieno periculo cautiores eſſe diſcant. Procelloſa tempeſtas, quae nocte XIII. & XII. Kal. Nov. intermedia euenit, paſſim locorum haud leve damnum dedit. Sic Helſtoniae, vt Volemuto ** accepimus, concidit ſtatua, omnium quae in Anglia habetur celſiſſima, cuius ſub ruderibus infans vitam amiſit, mulier vero proxime adſtans tanto concuſſa fuit terrore, vt minime laeſa ex animi, quod paſſa fuit, deliquio poſt aliquot horae momenta exſpirarit.

* *Lord - Maire.* * * *Falmouth.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. VII. Id. Nov. Diſſ. *de Luca Euangeliſta Medico*, eruditorum examini propoſuit M. JOHANNES DIETERICVS WINCKLERVS, vocatus Eloquentiae & Philoſophiae practicae Profeſſor in gymnaſio Hamburgenſi, Reſpondente CAROLO CHRISTIANO WOOG, Dreſdenſi. Litteris Jo. Chr. Langenhemii. pl. 6.

XVI. Kalend. Dec. Diſſ. Med. *de Oſſium Epiphyſibus*, praeſide D. JOHANNE ZACHARIA PLATNERO, P. P. propoſuit JOHANNES MICHAEL SCHWARTZ, Litteris iisdem. pl. 7.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVII. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↃ IↃcc xxxvi.

E finibus Barbariae. III. Non. Oct. Mulieri ne credas, ne mortuae quidem, ſi quid valet tritum vetuſtate prouerbium, quis crederet callidae, quae blanditiis ſuis dira quaeque vel ipſam mortem minatur? Minantem itaque interitum, fraude non minor, non minor blandimentis, euitare nouit praefectus Tangerenſis, matrem Marochani regis Muleii Abdallahi, quae huius in manus illum tradere laborauit, rata, hunc ſolum eſſe, qui filio regi obſequium negaret, negarentque vt alii omnem moueret lapidem. Praeſidio illa centum aliquot militum cincta, vt pietatis ſub ſpecie fraudem celaret, venit in agros Tetûanenſes voluitque videri pia, quae ſancti cuiusdam Muhamedanae religionis ſepulchrum inuiſeret. Conſtituta ibi inuitauit dictum modo praefectum in colloquium de rebus maxime arduis, verum non credidit ille mulieri, cuius fraudem ſentiens morbum ſimulauit miſitque fratrum e numero quendam, qui dona ei offerret atque arcana ſibi exponenda peteret conſilia, ſicque quicquid fraudis plena tentauerat, in fumum abiit. Algeriae qui agit nationis Suecicae conſulem, ad Tunetanos conceſſit, quorum principi dono obtulit tormenta aliquot bellica, globos tormentarios bis mille variique generis adparatum bellicum, vt hac captatione beneuolentiae meliores conſequatur conditiones pacti, quod Suecia cum Tunetanis inire parat.

Mantua Carpetanorum. X. Kalend. Nov. Luce heſterna Fano S. Ildephonſi relicto, Scoriacum aula omnis petiit. Idibus Nov. Patinhus, qui regi publicis in rebus a ſecretis eſt, adeo male ſe habuit, vt extremae vnctionis viaticum acciperet. Eodem die, rex, ſingularem vt teſtaretur gratiam, praemium ei laborum miſit litteras patentes, quibus in ago-

ne conſtitutus lectus fuit in numerum procerum regni, quos primi ordinis regis in praeſentia caput tegentes animaduertimus, eodemque tempore conſignatum fuit regium edictum, quo conſobrinae eius, Fuenclarae comiti, annuum ſtipendium mille & quingentorum aureorum adſignatur. XVII. Kalend. Nov. idem ex morbi vehementia aegro imminebat vitae periculum, quod poſtero die ſuperaſſe videbatur, ſed breue ad tempus, veſperi enim recrudeſcebat malum nec vllo infringi potuit medicamento. XIII. Kalend. Nov. Vaugrenanus marchio, regis Galliae legatus, eum inuiſendum duxit nec omnibus deſtitutum viribus offendebat. Heſternus iterum dies ipſi lethalis viſus fuit, qua morbi varietate fretus dum ſpirat ſperat, atque Ceruium reginae archiatrum donauit annulo ter mille nummorum, quibus de octonario numero nomen eſt. Ante aulae diſceſſum medici agitarunt conſilia, concluſumque fuit aegrum curae tradere Aſturiae principis archiatro, cui tres aut quatuor artis eiusdem periti dati ſunt collegae, relictis quoque ſecretariis, qui in expeditionum quocunque genere ipſi ad manus ſint.

Lutetia Pariſiorum, *Nonis Nov.* Litterae Hiſpanorum omnium noviſſimae VIII. Kalend. Nov. exaratae teſtantur, Patinhum adhuc viuere morbumque remittere, vt ſpes ſanitatis recuperandae adpareat, ex aulae noſtrae voto cum gratiam omnium ſibi conciliarit. Altum apud nos ſilentium eſt de pacis negotio abſoluendo proxime an minus, de Lotharingia nobis & caſtellis Rhenanis imperio tradendis deque termino, quem ſedis ſuae alio transferendae Stanislaus rex conſtituerit. Fama perdurat, Montemarium ducem reliquiſſe Hetruriam, rebus tamen ante abitum ita ordinatis & a Macedi marchione abſentis vicario continuatis, vt dubium non ſit, quin, Germanis quoque e finibus Luccenſium in terras Parmenſes regreſſis, Hiſpani in Hetruria ſumere hyberna decreuerint. Omnium quoque in ore eſt praeter ſpem omnem atque opinionem Turcorum cum Perſis conſtituta pax, hocque ipſo noui in Europa belli ſemen ſparſum iri conjecturis dediti praeſagiunt. Legio, cui Picardiae nomen eſt, Gratianopoli * luſtrata iter in Languedociam proſequitur ex Italia, vbi ſua reliquas virtute antecelluit, teſte Sardiniae rege, qui delegatos ex ordine ducum, cum per agros Auguſtae Taurinorum iter faceret dicta legio, vltimum dicentes vale fronte hilari excepit dimiſſosque magnae cum beneuolentiae ſignificatione apud Suſium marchionem in conuiuium adhibendos curauit.

* *Grenoble.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Novum archiepiſcopi vrbis noſtrae breviarium impugnantes ſpe ſua exciderunt infringendae auctoritatis illius, publicis enim, vt aiunt, litteris pontifex libellum ſine omni exceptione

ceptione in totum adprobauit. Multi in ea ſunt opinione, litteras has flagitaſſe aulam noſtram inter alias conditiones, quibus concordia cum ſede Romana ſit reſtituenda. Coeterum hoc breuiarium habetur commentarius conſtitutionis *vnigenitus*, ſudes in oculis aduerſantium, qui forte, vt Janſeniſtae dictam conſtitutionem, ſolemni formula illud impugnare conabuntur. Lucionenſis * epiſcopus, academiae Gallicae adſcriptus, heri vitam cum morte commutauit, quam ſibi ex nimio pridie piſcium eſu contraxit. Venierius, Venetorum, qui haud ita pridem ad nos acceſſit, legatus, eiusdem dignitatis viros variorum principum iam ſalutauit. Hoeius, ordinum foederati Belgii legatus, Haga Comitum pariter in vrbem aulamque noſtram rediit. Cambiſius comes, ſummi militum ducis vicarius, quam olim in aula regis Sardiniae, impoſterum apud magnae Britanniae regem adminiſtrabit legationem. Ex noua regis conſtitutione reditus praefecturarum vacantium per omnes regni prouincias in aerarium colligendi ſunt. Theſis, quam Malouetus ordini medicorum Pariſienſium adſcriptus, defendendam publice ſibi ſumſit, quod chirurgia prae medica arte minus certo nitatur fundamento, chirurgos aeque ac medicos ad arma vocauit inque ſcriptis eriſticis potiſſimum epiſtola, quam chirurgus quidam hoc de argumento conſcripſit, omnium adplauſum meruit.

* *Luçon.*

Londino. VII. Id. Nov. Prima currentis hebdomadis feria, aula noſtra mutauit veſtes, quibus per octiduum ex obitu Contiae principis, ſororis germanae ducis Aurelianenſis, luctum teſtabitur. Edini IV. Non. Nov. Broadalbinus comes, Perthenſis prouinciae praeſes, Saltashanus ad comitia delegatus, cumque adhuc Gleonarchus eques ſalutaretur, in aula Danorum legatus, nullo contradicente in numerum lectus eſt Scotiae procerum, qui numero ſedecim in comitiis Britannicis locum habent. Hanouera per curſorem relatum accepimus, regem in eo occupatum eſſe, vt articulos connubiorum & quidem Holſatiae ducis cum Amalia principe filia, nec non Friderici Haſſiae ducis cum Carolina conſignandos curet. Johnius, quem rex Danorum rerum ſuarum apud nos procuratorem dixit, ipſis Kalendis Nov. prima vice Kenſingtoniae, aditum parante Harringtono equite, in conſpectum reginae venit. IV. Non. Nov. cancellarius regni iudicesque primum poſt feſtum S. Michaelis iterum inſtituerunt conuentum Weſtmonaſterii, in quo, praeter alios, cauſam dixit Nixonus ſacerdos, de quo, vt aliquoties commemorauimus, ſuſpicio eſt, quod libelli famoſi apud Weſtmonaſterienſes ſi non auctor certe conſcius ſit. Robertus Praterus, qui de fama regis & reginae iniurioſis verbis detrahendo carcerem meruit, cum ab Hgheſio affine reprehenderetur de malis, quibus vſus ſit, conſortiis, indigna-

dignabundus ſiniſtrum pectoris ſui latus ſcalpello grauiter laeſit.

Temeſwaria. III. Kalend. Nov. Abbatia, quae patrio idiomate Szent Tob olim, hodie Szent Job adpellatur, a Ladislao rege in memoriam inuentae manus dextrae primi Hungarorum regis condita, vt refloreſcere coepit Waradino armis victricibus Leopoldi imperatoris recuperato, ita auſpiciis Nicolai Czakii comitis exornata eſt anno praeſenti, cuius ipſe primum fundamenti lapidem poſuit templo parochiali, huiusque ſtructurae memoriam ſera poſteritas ex recondita more ſolito cognoſcet inſcriptione ſequenti:

Has aedes honori
InteMeratae
DeI genItrICIs
ab
AngeLo ſaLVtatae
eXtrVXIt
octauo Calendas Octobris,
SS. Domino noſtro Clemente Papa XII.
Pontifice maximo;
CAROLO VI. Romanorum Imperatore & Hungariae Rege
Auguſtiſſimo;
Emerico e Comitibus Eſzterhazy
de Galantha,
Legato nato, Primate Hungariae,
Archiepiſcopo Strigonienſi
S. R. I.
Principe celſiſſimo;
Johanne Okoliczany de eadem
Eccleſiae Varadienſis
Praeſule illuſtriſſimo;
Nicolaus e Comitibus Czaky
de Kereszteſzegh,
Perpetuus Terrae Scaepuſienſis
Electus Epiſcopus Nouienſis,
Cathedralis eccleſiae Varadienſis
Praepoſitus maior & Canonicus,
Sac. Caeſ. Reg. Maj. Conſiliarius
Et Abbatiae huius
Praelatus Exemptus.
HIs sIt oMnIbVs
DIVtVrna gVbernatIo
FLorens & LongaeVa
ConſerVatIo.

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae. XVI. Kalend. Nov. Malachiae Prophetae Cap. II. Commatis XVII. cum Targum Jonathanis, & Radaki, Raſchii ac Aben - Eſrae Commentariis Interpretationem, praeſide D. JOHANNE CHRISTIANO HEBENSTREIT, P. P. propoſuit JOHANNES FRIDERICVS WITTICHIVS, Schnebergenſis litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 2½.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVIII. A. P. C. N.

PARTIC. I. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. III. Kalend. Nov. Sibi nocuit aliis prodeſſe qui voluit ſuamque male rem geſſit alterius cauſae incautus patronus, Marcus Lombardus, qui nauticam quorundam operam praeſtantium cauſam perorans iudices admonere auſus, caueant ſibi, ne aduerſam ferendo ſententiam tumultum damnatorum prouocantes male ſibi conſulant, protinus cuſtodiae traditus fuit. Praeterita hebdomade in conſignanda ichnographia occupati fuerunt architecti pro exſtruendis aedibus publicis, dicatis vſibus Caroli principis, eodemque quo hodie coenobium Conuentualium conſpicitur, conſpiciendum erit ſtabulum, quod ter mille capiet equos. VI. Kalend. Nov. mane iter Romam aggreſſus eſt Liria dux, vnde Piſam concedet ad Montemarium ducem, cum quo de rebus maxime arduis deliberabit. Nudius tertius ſex recens fuſa tormenta bellica explorata ſunt ſtudiumque indefeſſum ponitur in fundendis pluribus & inſtrumentis varii generis bellicis parandis, cum copiae in Hetruriam proxime traiiciendae veniant. Legionum numerus per omnes regni prouincias tyronibus ſuppletur, Torellana vero ad iter ſe accingit, nec, quo digreſſura ſit, liquet. Torellae ducis, noſtri in aula Gallica legati, teſtantur litterae, pacis negotium omne confectum & huius conditiones inprimis binas ita comparatas eſſe, vt non poſſint non omnibus admirationem mouere. Carent hucusque effectu conſultationes admodum frequentes de contagio bouino, quod ex Aprutia in vicinos agros irrepſit. Quod itaque venale proſtat, per delegatos quam accuratiſſime exploratur, horumque in praeſentia mactatio inſtituitur, remiſſis in quibus aliqua deprehenditur macula, mali vero huius origo nimiae ſanguinis abundantiae tribuitur.

Roma.

Roma. III. Non. Nov. Vltima ſuperioris hebdomadis feria tredecim Velitra noſtros in carceres publicos delati ſunt, in his Barigellus Caraffonus atque fartor, qui nupero in tumultu dictae vrbis ciuium aedes diripuerunt, quos variae petulantiae poena manet. Qui eo miſſus fuerat iudex delegatus, Clarellus, rebus ſuis ſtrenue geſtis, proxime ad nos reuertetur dabitque rationem poenarum, quas de vnoquoque ſumſerit. Eodem die Neapoli venit Bercouicenſis dux ſumptoque per breue tempus hoſpitio in aedibus equitis Georgiani, iter in Hiſpaniam proſequutus fuit. Omnis cura & ſolertia adhibetur in auertenda lue pecuina, quem in finem cum poenae comminatione mandata acceperunt ruricolae, vt intra triduum quisque conſignet numerum pecoris ſui, diſtincte notando, quot perierint contagio boues, quotque ſuperſint. Praeterea pontifex in ſacris, quae Miſſae vocantur, cum indulgentia per integrum ſeptennium, neglectam hactenus pro peſte animalium, vt inſcribitur, formulam adhibendam imperauit. Caietanus Roſſius, cuius curae traditum erat indagare naturam & vehementiam huius mali, nudius tertius e finibus regni Neapolitani redux nonniſi boves corrumpi narrauit breuique finem fore praedixit ex cauta procedendi ratione, quae vbique obſeruatur. Prima feria bini curſores, Neapoli in Hiſpaniam alter, alter noſtra ex aula Neapolim iter maturarunt, quantumque fama docet, diſcordiarum finis proxime adparebit. III. Kalend. Nov. Octauia Corſinia princeps filiolum enixa fuit, qui ſacra baptiſmatis vnda adſperſus confeſtim exſpirauit.

Mediolano, VII. Id. Nov. Quae manus duce Breitwitzio, Luccenſes tenuit agros, pridie Non. Nov. fines intrauit Parmenſes, e quibus tot numero copiae ad Cremonenſes iter fecerunt. Noallius mareſchallus, nouiſſimae vt teſtantur litterae, opinione tardius Vindobonam proficiſcetur, moraque haec nouis difficultatibus ſubortis tribuitur. Montemarius dux vltimum quidem regis ſui de relinquenda Hetruria mandatum ſe praeſtolari contendit, omnes tamen produnt circumſtantiae, ipſi certo certius in mandatis eſſe, ad minimum hyberna in Hetruria vt peragat, regina Hiſpaniarum omnem lapidem mouente, vt rem ſuam cunctando reſtituat. Diſpoſiti per agros noſtrae prouinciae milites caeſariani paſſim oppidis praeſidio eſſe coeperunt. Praeteritis diebus iterato Vindobona aduentarunt quidam de familia, quam alit Traunius comes, qui praeſes noſtrae prouinciae in exſpectatione eſt, qui Khevenhüllero comiti litteras quoque tradiderunt. Malum, quo pecudis iacturam in finibus Longobardiae patiuntur agricolae, in dies accreſcit, verendumque merito ne latius ad nos quoque ſerpat.

Lutetia Pariſiorum. V. Id. Nov. Florentia relatum accepimus, Khevenhüllerum comitem, ſummum exercitus caeſariani in Italia ducem, Montemario Hiſpanorum duci exemplar miſiſſe litterarum, quibus imperator ad dubia reſpondet aulae Hiſpanicae, cum clauſula, vt prius exercitus Hiſpanorum ex Hetruria diſcedat. Enim vero nihil ille hoc argumento commotus paucis reſpondit, ſe litteras has per curſorem extra ordinem velle Mantuam Carpetanorum ablegare, cuius ante reditum diſceſſum ſuum haud poſſe locum habere. Colligunt inde ſagaciores, reginam Hiſpaniae ſtudium nectendi quaſcunque moras ſedulo inculcaſſe Montemario duci, ſpe fretam fore, vt Carolus princeps filius, cum ſponſa archiduce Hetruriam conſequatur. Tandem nec Hiſpanorum ad nos litterae diffitentur claſſem Barcinone eum potiſſimum in finem comparatam eſſe, vt, ſi quae neceſſitas vrgeat, ſupplementum exercitus in Hetruriam traiiceretur, fieretque palam, haud deeſſe vires, quibus cauſa Caroli principis defendi queat.

Ex eadem vrbe, eodem die. Si quo vnquam, certe hoc tempore res Genuenſium in Corſica inſula deſperatas eſſe, datae ad nos VI. Kalend. Nov. ipſorum litterae narrant. Nimium enim confidentes diſcordiis Corſorum inter ſe mutuis, ſpem decollare probe perſpiciunt lucri inde capiendi, quia redierunt inuicem in gratiam cum repetita coniuratione de ſanguine fundendo pro patriae ſalute gentisque ſuae libertate, hancque nouam concordiam, nouum foedus hymno Ambroſiano publice decantato omnibus palam facere non dubitarunt. Rebus ita conſtitutis, etiamſi promiſſis non ſtans in procurandis auxiliis Theodorus exciderit dignitate regia, haud tamen ad obſequium redirent, qui implacabili in Genuenſes odio flagrant. Antinus dux, cuius nuper mortem indicauimus, regi teſtamento ſuam legauit arcem Petitoburgenſem, quam ei venatum exeunti valde commodam eſſe cognouit. Ante dies non ita multos ſex liberi eadem in domo, eodem tempore & inciderunt in febrim malignam & deceſſerunt vita & ſepulchro illati fuere.

Londino. V. Id. Nov. Rumor percrebuit Walliae principem ferre vterum. Luce heſterna, nouus vrbis praefectus regius, Johannes Thompſonus eques, ſolito pro more fidem iureiurando dedit. Nudius quartus Cantimirus princeps, auguſtae Ruſſorum apud nos legatus, cum Harringtonio per multum temporis protraxit colloquium, cuius vero argumenti, non liquet. Eodem etiam die quatuor lucro inhiantes ex venditione vini aduſti transgreſſores legis in comitiis nuperis latae & quidem, quam haec definit, centum librarum Sterlingicarum mulctam ſoluerunt. Georgius Kellius, qui Ruffenſi epiſcopo a ſecretis

cretis inque vitae inſidiis Georgio primo regi octo annorum ſtructis a conſiliis & expeditionibus fuit, damnatus ad carceres perpetuos, nudius tertius veſperi euaſit erupit & nauigio piſcatorio in Galliam transfugit tam callida ratione, vt, poſito ducentarum librarum Sterlingicarum praemio, e fuga retrahi non potuerit, tam audax, vt poſtero die per litteras abſentiae ſuae cauſas Neocaſtellano principi exponere nullus erubuerit. Si quid famae libet credere, rex Hiſpaniarum imperatoris flagitat conſenſum, vt Corſica inſula, Carolo principi filio beneficium ſiue feudum concedatur imperii Romani, ad modum, quo rex Sardiniae ex legibus nouae pacis feuda Langharum accepit.

Lipſia. V. Kalend. Nov. Nomen ſpectes famamque ſiue viri, cuius laudem continet, ſiue auctoris, qui cecinit, locum in nouis meretur epigramma D. Werlhofii, quo obitum, qui V. Non. Oct. euenit, academiae Wittebergenſis ſenioris & regis Poloniarum archiatri, D. Johannis Godofredi Bergeri, defleuit ſequentem in modum:

Curta nimis querimur mortalis ſtamina vitae,
Contractas longae plangimus artis opes.
Quum toties domitis BERGERVS cedere morbis,
Et praeda indomitae cogitur eſſe neci:
Ille ſui generis decus & virtutis & artis,
Muſis promerita nobilitate nitens;
Ille noui Celſus ſecli, quo vindice paſſim
Barbaries medicas liquit abacta ſcholas;
Ille ſagax pictor naturae & myſta ſagacis,
Ipſa ſtylo myſtae quae ſibi picta placet;
Ille ſalutiferae ferri cum ſulphure luctae
Scrutator, calidas quae medicauit aquas;
Ille Meditrinae cuſtos, ne vinceret error,
Neue artem valida deſpoliaret ope,
Ille ſalus aegrae cita, blanda & tuta cateruae,
Ille ſalus populo, regibus ille ſalus;
Ille, per ingenii monumenta, per artis alumnos,
Orbi immortalis doctor opisque dator,
Gloriolae ſtudiis vacuus ſectaeque lucrique,
Candidus & veri plenus amore boni,
Natus in exemplum medicus; praeſtantior alter
Haud fuit, haud viuet. Reddite fata parem!

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLVIII. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum. III. Kal. Nov. Si, ex vulgi opinione, praepoſtera mortis promulgatio aegri vitam portendit longiorem, hanc ſibi merito promittendam haberet mortuos inter relatus Patinhus, regi publicis in rebus a ſecretis; ſed, vt fallunt ſoepe prognoſtica, miſerum hodie tam infirmum eſſe accepimus, vt ex naturae legibus vix ad craſtinum trahere ſpiritum valeat. Superioris hebdomadis feria quinta natalem eumque quadrageſimum quartum regina Scoriaci multis ſolemnibus celebrauit. XII. Kalend. Nov. Ildephonſana ex arce per Galliam curſor Vindobonam abiit, cuius, plurimorum ex coniectura, erit nunciare imperatori, quod aula noſtra eius in conditiones pacis tandem condeſcenderit. Prorex Peruanus, haud ita pridem ad nos reuerſus rationem reddidit prouinciae adminiſtratae & illius quis in praeſenti ſit ſtatus expoſuit, nec aureos pollicitum eſſe dixeris montes, dona qui aurea varii generis magnique pretii reginae, Aſturiae principis coniugi, vtrique & Mariae Thereſiae & Mariae Antoniae, principi filiae ſecum attulit. Qui legatus in Galliam proficiſcetur Minaſius marchio vltimum in aula exterorumque principum legatis dixit vale, non tamen prius iter aggreſſurus, quam morbi, quo Patinhus conflictatur, euentum cognouerit, e contrario de abitu Montiji comitis ad regem magnae Britanniae legati altum ſilentium eſt. Immanuel Luſitanorum princeps pridie quam Valdoleto Baionam abiret viatico inſtructus fuit aliquot mille nummorum, quibus de octonario numero nomen eſt, nec noſſe datur, hoc eum quis dono adfecerit. Olyſſippone Braſiliae principi recens nata filia peperit ſolemnia, Nonisque Oct. quo die hora mane ſeptima ferme audita in lucem edita fuit, rex, Braſiliae princeps princepsque

regia

regia frequentarunt ſacra in aede patriarchali, quae hymno Ambroſiano obſignabantur, per triduum autem vrbs vniuerſa pulchro lampadum ordine egregie illuſtrata fuit.

Lutetia Pariſiorum, *Idibus Nov.* Ad ſingulas horas in exſpectatione eſt curſor IV. Kalend. Nov. Vindobonam ablegatus cum nuntio, quod rex Hiſpaniarum litteras, quibus cedantur inuicem prouinciae, adprobauerit ad modum, quem Smerlingius baro legatus eius pridie Non. Aug. conſignauerat. Montemario duci in mandatis eſt diſcedere cum exercitu Hiſpanorum ex Hetruria, quam primum cognouerit, quod imperatorem inter & regem Hiſpaniae conueniat de pacti noui conditionibus. Rebus ita fluentibus, breui componendas fore multi credunt difficultates, quae moram iniecerunt, quo minus Lotharingia nobis caſtellaque Rhenana imperatori & imperio traderentur, nec caret fundamento coniectura, cum rex Barrenſis ducatus praetorem prouincialem dixerit Galaiſerium, eiusdem dignitatis virum apud Sueſſionenſes,* qui ſupremum redituum regis collectorem affinem agnoſcit. Si quoque fides habenda eſt litteris Mantua Carpetanorum ad nos datis, ex mandato regis Hiſpaniarum, nullus amplius Barcinone fit belli adparatus, ſique res ita ſe habet, Anglorum & Belgarum naues vel iam dimiſſae vel dimittendae ſunt proxime, quae ad militem traiiciendum detentae fuerunt. Rex, quam Antinus dux teſtamento ei legauerat, arcem Petitoburgenſem non acceptauit, ſumptibus vt parcat, quibus opus haberet ad illam reſtaurandam & praefectos alendos, qui reſtitutam conſeruarent.

* *Soiſſons.*

Ex eadem vrbe, eodem die. Diem obiit his diebus Glucquius Portus, ſummo ſenatui adſcriptus, qui, vt aiunt, clandeſtinum contraxit connubium cum Verua comite, quam olim ſubtraxit amori Victoris Amadei Sardiniae regis, ex qua Carignaniam ſuſceperat principem, in praeſenti autem eadem difficili morbo laborat. Dignitas ſummi aedium regiarum praefecti, Antino duce mortuo, abrogabitur, quod negotium Maurepaſio comiti traditum eſt, qui, quos ille habuit a commiſſionibus & expeditionibus huius generis, tantum non omnes dimittet. Genuenſibus licuit eſſe tam fortunatis Corſica in inſula, vt armis victricibus ſuis expugnarint turrim Paludellam, quam protinus foſſa circumdedere & cuſpidatis ſtipitibus firmaruntque praeſidio militum quadraginta, vt partam tueantur ſibique commodam valde, ad prohibendum, ne quid annonae Corſis rebellibus per terminos illos ſupportetur. Magna omnes tenet exſpectatio cognoſcendi ex litteris Italorum, an Hiſpani abitum ex Hetruria parare incipiant. Academia Inſcriptionum & bonarum artium praemium anni trigeſimi octaui adfectantibus thema propoſuit: Quibus Cretenſes vſi fuerint

rint legibus, eas Lycurgus in Lacedaemonenſibus condendis adhibuerit, nec ne? & quae vtriusque gentis legum deprehendatur conuenientia?

Londino, Idibus Nov. Vltima ſuperioris hebdomadis feria, nempe IV. Id. Nov. ſolitis ſolemnibus diem celebrauimus regis natalem, veneratque Kenſingtonia palatium in Jacobiticum regina, vt legatorum, quos vrbs noſtra capit, aulaeque procerum & optimatum gratulationes benigne audiret. Nudius tertius, Robertus Walpolius eques non ſine virorum illuſtrium comitatu Houghtonhalenſem conceſſit in villam, quae ipſi Nortfolcenſi in prouincia eſt. Luce heſterna apud Whitehalenſes conventum egerunt, qui coloniarum Americae curam habent hodieque congregati res maritimas adminiſtrantes decreuerunt Elthami nomine inſignitam atque Depfordiae reſtauratam nauem bellicam quinti ordinis ad iter inſtruere, eique Auguſtum Fitzroium, natu ſecundum Grafftoni ducis filium, praefecerunt.

Ex eadem vrbe. XVI. Kalend. Dec. Qui nudius tertius e Gallia redierunt Kingſtonius dux & Cholmondeleius comes, Kenſingtoniae heri reginae in conſpectum venerunt. Memoriam natiuitatis & nuptiarum Wilhelmi tertii regis luce heſterna, hodierna vero eiusdem olim in Angliam aduentus nec non detectae coniurationis ſulphureae, more recepto recoluimus. E legatione apud regem Sardiniae redux Eſſexius comes in dignitate centurionis praetoriae cohortis equeſtris ſecundae Berkleio comiti nuper defuncto ſucceſſit, ſuccedet autem illi in legatione, quam adminiſtrauit, Wilhelmus Finchius breuique Auguſtam Taurinorum proficiſcetur. Florem commerciorum loquitur inſignis nauium numerus, quarum, per menſem proxime praeterlapſum centum quinquaginta & ſeptem aduentaſſe, nonaginta vero & ſeptem ſoluiſſe adnotauimus.

Haga Comitum. XII. Kalend. Dec. Nuntius de futuro ad ordines foederati Belgii legato Luſitaniae regis Gonſalezo de la Cerda, ſpem omnem de reditu Ludouici Acunhae, eodem apud nos munere defuncti, tollit. Regis Sardiniae legatus, Chavaneſius comes, his diebus egit cum delegatis ordinum reipublicae noſtrae, noſtrae nationis in Sardinia de conſtituto praefecto ſiue conſule, qui dicto a rege repulſam cum tulerit, patrios ad lares reuerſus eſt. Cum iisdem deliberationes inſtituit Ganſinotus, electoris Palatini legatus, de lapidibus pretioſis pignori poſitis narrauitque nomen expedire eum velle refundendo quingenta florenorum millia, quam primum ordines foederati Belgii ſoluerint ſeptingenta eiusdem aeris millia, iuſtam mercedem, qua in bello vltimo copias electorales conductas fuiſſe meminerint. Ginckelius baro, per multum temporis in aula regis Pruſſiae legatus, multorum ex opinione non rediturus eſt Berolinum, vt munere hoc rurſus de-

defungatur. Defunctus eodem apud nos Canaleſius comes ab Vhlefeldio comite de meliori commendatus regis Sardiniae legationem adminiſtrabit Vindobonae regique ſuo Lotharingiae principem ſponſam expetet.

Alba Graeca, *Kalendis Nov.* Conſtantinopoli veniens curſor ſuo in itinere, Vindobonam quod maturavit, certiores nos fecit de pace, quam cum Perſis Turci ante menſem & quod excurrit, praeter ſpem omnem atque opinionem inierunt, legato Perſarum vaſa iam colligente, vt domum regrediatur. Summus maris praefectus, non tam rebus geſtis quam fatis aduerſis nulli non notus, Gianum Coggia, quarta vice dicitur gratia excidiſſe & officio, mulctatus exilio, quod cum claſſe Tartaris Crimmenſibus auxilio miſſus res ſuas minus ex aulae ſententia geſſit. Palfius comes, ſummus caſtrorum praefectus, eo alacriorem ſe exhibuit in mandato imperatoris effectui dando de concedendis exercitui hybernis, quo maiorem ſibi neceſſitatem impoſitum iri animaduertit frigore, cuius vehementiam in caſtris perferre miles haud potuit. Id agitur itaque in praeſenti, reliquis in Tranſylvaniam, Temeſwarienſem ditionem atque Hungariam ſuperiorem digreſſis legionibus, vt aegrorum aliquot millium noſtram in vrbem & caſtellum receptorum cura habeatur.

Vindobona. XV. Kalend. Dec. Nuper ex Italia qui aduolauit curſor, praeter litteras Kheuenhülleri comitis, ſummi ducis exercitus, quasdam tradidiſſe dicitur Cardenaſio principi, quibus ei Liburnenſis Hiſpanorum praefectus, nationis ſuae militum ex Hetruria diſceſſum certo certius breuique futurum ſignificauit. Qui nuntius peperit laetitiam non modo inſignem ſed nouam quoque coniecturam fore, vt, rebus ita perfectis, ſponſalia Caroli Hiſpaniarum principis iterato in deliberationem veniant. Nonnullae e terris Rhenanis epiſtolae referunt, quendam ex ordinibus imperii Romano-Germanici, ſibi tradenda expoſcere caſtella Philippoburgenſe atque Kehlenſe, quae ſuis ſumptibus firmare velit & conſeruare, ne, vt experientia docet, non tam facile ex oſcitantia, ſi quod bellum ſuboriatur, in poteſtatem Gallorum perueniant. Rationes, quae Immanueli Luſitanorum fugam tam celerem, tam inopinatam ſuaſerint, duae potiſſimum allegantur: altera quod a rege, quem fratrem germanum agnoſcit, ſibi oblatam dignitatem patriarchalem recuſauerit vitaeque genus ſacerdotale amplecti; altera quod a rege impetrare non potuerit licentiam inuiſendi reginam Hiſpanorum viduam, quae Baionnae degit, cuiusque hereditatem magna ex parte conſequendi ſpem habere traditur. Quem in itinere ad nos conſtitutum eſſe alii adfirmant & quidem, vt deſponſatam, dum viueret, Eugenio Sabaudiae duci iuniori Maſſa-Carrarenſem principem, dote inſtructam valde opima, vxorem ducat.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIX. A. P. C. N. PARTIC. I. cIↃIↃCC XXXVI.

Neapoli, *Nonis Nov.* Lucrum ceſſans damnumque emergens quo magis oneroſum eſt, eo minus querelae locum habent, ſi lucrum non omne, omne vero damnum ceſſat. Sine praeda itaque, feria currentis hebdomadis prima, portum in noſtrum regreſſae naues tres, aliquid certe lucri dederunt damnum ceſſare facientes arcendo a littore noſtro praedones maritimos, a quibus mare tutum vt redderent, ante aliquod tempus armatae exierant. Maiorem quoque nobis ſecuritatem pollicemur ex transactione cum Turcis, quam, operam ſuam conferente aula Gallica, haud irritam fore toti confidimus. Maurus, praeſes in tollendis iudiciorum abuſibus occupatus, lites potiſſimum abbreuiandas cenſet, vtque fama fert, lis, quaecunque quingentos non excedet aureos ſolidos, decretoria iudicum prouinciae cuiusuis ſententia tam abſolute decidenda erit impoſterum, vt prouocandi ad iudicem ſupremum nulla detur licentia. Vltima manus impoſita eſt collegio, cuius conſcendere cathedram coeperunt docentes, hancque in publicam bonarum artium officinam tenentur parentes mittere ſuos liberos, nec priuatis committere doctoribus, qui, vt ex ſutore medicus, thraſonicis verbis ſpem fallere parentum & iuuentutem corrumpere haud raro ſolent. Sub finem praeteritae hebdomadis coeptum eſt ſolui pecuniam poſſeſſoribus aedium, quae pro ampliando palatio regio deſtructae ſunt inque vniuerſum centena aureorum millia accipient. Coenobii eadem de cauſa funditus delendi nonniſi vnicum relinquetur ſacellum, in quo ter per ſingulos dies ſacra celebrabuntur, quae Miſſae vocantur, inque vicinia tribus ſacerdotibus, in his Aſturiae principi qui a confeſſionibus eſt, domicilium adſignabitur. Decreuit aula pretium tabaci minuere, fremen-

tibus

tibus licet qui monopolium acquiſiverunt, ex quo diteſcere malunt ipſi, quam aequitatem ſeruare.

Roma IV. Id. Nov. Ante octiduum Caſerta dux Ciſterna ad nos venit, poſteroque mane, ſalutatis pridie purpuratis quibusdam, gente Corſinia & familiaribus, Neapolim iter proſequutus eſt, vt ſua in finibus regni illius praedia beneficium Neapolitanae aulae agnoſcat, quem eodem animo Borgheſius princeps proxime ſubſequi ſtatuit. Apud purpuratum, qui publicis in rebus a ſecretis eſt, praeſente collega Corſino, plures frequentant conſilia de contagio bouino, decretumque fuit numerum eorum, qui hoc in caſu a commiſſionibus ſunt, augere ſex aliis, qui etiam VIII. Id. Nov. cum medicis tribus totidemque fabris Campum mortuum eaque in loca conceſſerunt, in quibus malum vires ſumſit, inque his infringendis toti deſudabunt. VII. Id. Nov. ante meridiem pontifex inſtitui iuſſit obambulationem religioſam ex aede Mariae Mineruae in alteram S. Antonii abbatis & ex hac in Marianam, quae maioris cognomine venit & indulgentias ſecularibus pares conceſſit omnibus, qui Deum precibus flagitabunt, vt mali finem faciat. Qui huius generis mercaturam exercent, triginta ad nos heri mane adduxerant boues, quibusdam vero paulo poſt concidentibus, reliquorum habita eſt ratio, ne vel ſemen contagioſum ſpargatur, vel in victum minus ſalubrem cedant. Ex eo, quod Lampaggia vir equeſtris, natione Luſitanus, per aliquot dies Maglianae cum purpurato curiae fiſci praeſide habuerit colloquium & inde in vrbem noſtram redux cum Gentilio purpurato, colligunt multi finem diſcordiarum cum aula Luſitanica adpropinquare.

Liburno. V. Id. Nov. Mora, quam faciunt Hiſpani, non parum confirmat eorum coniecturam, qui eos proximo demum vere Hetruriam relicturos eſſe contendunt. Accedit & hoc, quod naues conductae, tantum non omnes Anglicae, portum conſtanter teneant noſtrum, quorum praefecti veniam abeundi impetrare nequeunt, neglecto etiam conductionis pretio, quod ipſis debetur. Mille & plurium ſcutatorum facti ſunt ſumptus in futuro Montemarii ducis hoſpitio, praemiſit quoque ille variam ſupellectilem, attamen de aduentu eius ſubdubitant non pauci eique in mandatis eſſe dicunt, vt, Piſa relicta, apud Senenſes potius quam noſtra in vrbe hyemem tranſigat. Ex Armenia oriundi noſtrae vrbis mercatores Smirna ſibi relata referunt, quod Perſae cum Turcis pacem inierint, cuius in conditionibus mentio quoque Ruſſorum facta ſit. Poſterius aeque incertum ac commentum de Corſis, quod, poſthabito Theodoro rege ſuo, cum delegatis reipublicae Genuenſis tranſigere coeperint.

Mediolano.

Mediolano. XVIII. Kalend. Dec. Noſtros valde ſolicitos reddit agricolas lues pecoris, quae vicinos Cremonenſes Laudisque Pompeiae nouae * agros inuaſit, mouitque archiepiſcopum vrbis noſtrae, vt ad omnes, quos habet vicarios, dederit mandata, nulli intermittant publicis precibus Deum exorare, velit tanti periculi malum clementiſſime a nobis auertere. Kheuenhüllerus comes, ſummus exercitus caeſariani in Italia dux, adhuc apud nos commoratur, quique praeſes ab imperatore conſtitutus eſt vrbis & prouinciae noſtrae, Vindobona proximis diebus, vt ſperamus, aduentabit. Acceſſit quoque Mantua ad nos ex mandato imperatoris Stampa comes, ſummus militum dux, conſcius vt ſit ſociusque conſiliorum, quae laudatus modo Kheuenhüllerus, Julius Viſcontius atque Pertuſſatus, quem ad ſingulas horas praeſtolamur, de ordinandis prouinciae noſtrae rebus celebrabunt. In itinere conſtitutam eſſe cognouimus legionem Pallauicini pedeſtrem, quae per agros Parmenſes noſtram in ditionem veniet. Relationes mirum in modum variant de copiis regis Sardiniae imminutis vel non, in eo autem conſpirant omnes, Auguſtam Taurinorum diffluere adparatu ſolemnium, quibus ille ſponſam ſuam, Lotharingiae principem, excipiet.

* *Lodi.*

Lutetia Pariſiorum. XVI. Kalend. Dec. Genuenſium pridie Non. Nov. ad nos datae docent litterae, binas Corſica ex inſula rediiſſe naues actuarias, cumque his Saluzzanum epiſcopum nec non Octauium Grimaldum, Aiaccii praefectum, quantumque noſſe datur, res Genuenſium in inſula ea valde deſperatae habentur. Ciues oppidorum quatuor, quae in fide manſerunt, annonae caritate premuntur, rebellibus aditus omnes occludentibus, quaeque Genua illis ſupportatur, vix ac ne vix quidem ſufficiet, vt fidem bene animatorum confirmare ſatis valeat. Theodorus, quem regem ſalutant, Sartenae in praeſenti degit gaudetque acceſſu ad Veccianum portum, quem ingredientur, quae ſuis pollicitus eſt, auxilia; ſecum habet principes nationis ſuaeque factionis, qui ei a conſiliis ſunt, ſine eo nihil agunt magnique eum faciunt. Rex Sardiniae, minoris quam ipſe cupit, ſtaturae milites dimittit, dimiſſos ad fines transferri curat Genuenſium, qui eos conſcribunt aduerſus Corſos, quae paucis placet expeditio, & quibus placet, placet donec caſtra deſerendi ſe prodat occaſio. Florentia nuntiatur Hiſpanorum aſſidua in numero legionum tyronibus ſupplendo cura, manifeſtum indicium, regem Hiſpaniarum nullo argumentorum pondere eo perduci poſſe, vt in conditiones imperatoris ſponte deſcendat. Iisdem animus eſſe adparet hyberna ſumendi in Hetruria, nec eam prius relinquendi, quam lis de Farneſanae & Mediceae domus compoſita fuerit

rit bonis, quae ad feudum non pertinent.

Ex eadem vrbe, eodem die. Intra triduum bini extra ordinem aduolarunt curſores, Vindobona alter, alter Mantua Carpetanorum, anſamque licet praebuerint ſanctioribus conſiliis, horum tamen de concluſo nihil innotuit. Innotuit vero ex altero horum, per tantum temporis praeſentiſſimae mortis candidatum, Joſephum Patinhum, aulae Hiſpanicae optimatem, tandem III. Non. Nov. exſpiraſſe, virum, quo maioris dexteritatis in rebus adminiſtrandis poſt hominum memoriam Hiſpania non habuit, quem morti proximum rex donauit honoribus procerum ſummis, in quemcunque ſuorum, cum in coelibatu vixerit, pro lubitu transplantandis dignumque iudicauerit, qui optime meritus, in ſignum gratiae regiae, ampliſſimo extra ordinem funere efferatur, vt pateat omnibus, quantum ſui deſiderium reliquerit. Vita ille longiori digniſſimus ſeptimum circiter & ſeptuageſimum aetatis annum viuendo attigit, qui, tantis ornatus honorum titulis, procerum Hiſpaniae primi ordinis e numero, eques aurei velleris, procurator ordinis equeſtris, cui de diuo Jacobo nomen eſt, conſiliarius intimus, curiae fiſci praeſes eoque ſpectantium iudiciorum, redituum totius Hiſpaniae director ſummus inque rebus cum exteris, bellicis, publicis, Indicis, atque aerarium concernentibus, a ſecretis, plurium onus ſuis humeris magna cum laude ſolus geſſit. Pluribus itaque idem defuncti munus varium diſtributum eſſe cognouimus, ita vt Sebaſtianus de la Quadra in rebus cum exteris, aerarii praefectus Torre - Buona in reditibus publicis futuri ſint a ſecretis, qui de omnibus, quae aguntur, reginam certiorem facere tenentur, bellicarum autem rerum expeditio nulli hucusque credita eſt. Ab eo, quo ſupra commemorati curſores aduentarunt, tempore fama percrebuit, ex mandato regis Hiſpaniae Montemarium ducem in Hetruria hyberna ordinare & Barcinone nauibus imponi copias, vt, quocunque viſum fuerit, traiiciantur. Reſtitutio caſtellorum ad Rhenum plane obliuioni data eſt, vtpote quibus proſpectum eſt annona nouisque praeſidiis & horrea publica in vicinia adimplenda dicuntur. Idibus Nov. academia ſcientiarum regia egit conuentum, inque eo ſub incudem vocare coepit primitias obſeruationum, quas ex ordine ipſorum in Lapponiam, ad Peruanos & Chilenſes miſſi iamque de reditu cogitantes fecerunt. Aedium quae regi paſſim ſunt, curam interim habet Fleurius purpuratus, cumque Mottius expreſſerit nomina eorum, qui in munere concurrunt & ſeptingentis aeris noſtri millibus aluntur, non dubium eſt, quin plurimis dimiſſis reliqui operi ſufficiant.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. XLIX. PARTIC. II.
A. P. C. N. cIↃIↃcc xxxvi.

Scoriaco. VIII. Id. Nov. Plerumque quidem gratia pro meritis debita nulla redit, rediit tamen Patinho nuperrime defuncto, quem optime meritum rex collaudauit publice, quod huic parem in expediendis prompte rebus nullum vnquam aulae ſuae adminiſtrum habuerit, dignum, qui ſingularis in gratiae ſignum, amplisſimo haud ſecus ac princeps Caſtellae efferatur funere. Funus itaque ſumptibus regiis ei faciendum ſtatuit in aede ſacerdotum ſocietatis, cui de Jeſu nomen eſt, quod valde magnificum, non, vt ſimili in caſu fieri ſolet, per delegatos, ſed in vniuerſum omnes tenentur comitari regni Hiſpaniae proceres ſummi, quos vrbs & vicinia noſtra capit, vt & quicunque collegiis aut variis iudiciorum ordinibus adſcripti ſunt. Munus quod ille ſolus adminiſtrauit, pluribus rex contulit, & quidem nudius tertius veſperi expedienda cum exteris Sebaſtiano Quadrae, herique redituum publicorum curam Torrebuonae, qui interim quoque maritimis praeerit rebus & Indicis, cui vero bellicae res tradendae ſint, non liquet. Heri prima omnium vice cum Sebaſtiano Quadra, a ſecretis qui eſſe coepit, conſultationes inſtituit regis Galliae legatus, Vaugrenanus marchio, iisque ad finem perductis, curſorem Lutetiam Pariſiorum ablegauit, quo proximis diebus Minaſius marchio regis noſtri legatus proficiſcetur. Diem quoque heſternum, quo nomen Caroli principis filii, cuius legatum agit, in faſtis legitur, Sora dux celebrauit ſolemnibus epulis, ad quas vtriusque ſexus hoſpites centum & quatuor inuitauerat, choreis ad alterum mane ductis.

Auguſta Taurinorum. IV. Id. Nov. De ſponſalibus regis noſtri cum Lotharingica principe altum ſilentium eſt, quem animum mutaſſe multi contendunt deque reginae defunctae

ſorore

ſorore germana in matrimonium adſumenda cogitare. Nec omni carere fundamento coniecturam rex ipſe prodit, qui dictam principem quotidie inuiſere, donis valde ſumptuoſis adficere ſolet, eiusque in gratiam ludos choreasque frequentes inſtituit. Imo aulae adminiſter primi ordinis quidam lectiſſimum familiae ſuae curat inſtructum, qui, vt aiunt, legatus Romam proficiſcetur petitum a pontifice diſpenſationem vel ideo neceſſariam, quia rex ex ſponſae futurae ſorore germana filium principem ſuſcepit. Coppa, praetor regius isque ſummus Nouarenſis, oppidi huius munitiones nouis quibusdam augere in mandatis habet, ad modum, qui in chartam coniectus ipſi ſimul exhibitus fuit.

Lutetia Pariſiorum. XIII. Kalend. Dec. Rediit ad nos, Vindobonam qui IV. Kalend. Nov. miſſus fuerat, curſor, vtque fama fert, cum nuntio, adprobaſſe imperatorem quae conſignauerat Schmerlingius baro in cauſa cum Hiſpanis ventilatae quaeſtionis de bonis Farneſiae & Mediceae domus, quae ad feudum ſiue beneficium prouinciae Toſcanae non ſpectant. Hinc litteris ſibi ex Italia relatum quidam adfirmant, quod Montemarius dux de reditu cum copiis ſuis in Hiſpaniam XVI. Kalend. Dec. ſuſcipiendo cogitauerit, quibus tamen nouis pauci admodum fidem habent, neque litteris VI. Id. Nov. Barcinone datis, quae dimiſſas referunt variarum nationum naves, quas ad traiiciendos milites mercede conduxerant. Zenius, per aliquod tempus Venetorum apud nos legatus, nudius tertius ad patrios lares iter aggreſſus eſt. Eodem die in palatio Luxemburgico in cuſtodiam rapti ſunt bini quaeſtum facientium ex ludis, quibus marſupio aluum leuare ſolent, pluresque huius furfuris paſſim in vrbe noſtra latitare perhibentur. Luce heſterna Veruea comes, quae regi Sardiniae Carignaniam peperit principem, & paucos ante dies Aubeſpineus, nauium actuariarum praetor, naturae debitum ſoluerunt. Valor pecuniae veteris idem qui hactenus fuit, ad finem vſque anni, qui proxime inſtat, ex ſenatus ſupremi conſulto prorogatus denuoque confirmatus eſt. Ex eodem, quod Helueticae nationis militibus publicatum eſt, mandato pedites in vniverſum omnes veſtitum Pruſſorum ſument, ſumſeruntque iam quatuor legiones nouis ornatae veſtibus, quas ſuo tempore reliquae imitabuntur.

Londino. XII. Kalend. Dec. Claſſis noſtra, quae ſummo maris praefecto, Norriſio praetore, portum Olyſipponenſem tenet teuebitque per hyemem, tribus adhuc nauibus bellicis augenda dicitur. Eiusdem claſſis militum duces nuntiantur ciuium ſibi contraxiſſe odium praepoſtero artis amandi exercitio, cumque hoc ipſo concitata plebs per plateas vrbis incedentibus ſoleat inſultare, Norriſius querelas detulit ad regem, qui frenum petulantiae in-

iniiciendum curauit. Tres militiae praefecti, qui pro exteris conſcribendo tyrones carcerem meruerunt, habita deprecantium pro ipſis ratione, menſe demum exacto, libertate donabuntur. Vltima ſuperioris hebdomadis feria, Walliae princeps eiusque coniux drama muſicum cum frequentarent in loco Couent-Garden patria lingua dicto, offenderunt ſedem ſuam Attalico obductam panno albi coloris, cuius frontiſpicium exhibebat flammam cordis duas inter taedas nuptiales, lemmate adiecto: *Mutuus ardor.* XVII. Kalend. Dec. bini nauticam operam praeſtantes in diuerſorio quodam, auctorem libelli famoſi ſtatum publicum perſtringentis, pridie aedibus mercatorum quem adfixerat & exemplaria eius diſtrahere non erubeſcentem comprehenderunt, comprehenſum vero manibus eorum eiusdem ſceleris ſocii vi ſumma eripuerunt. Vocatis hodie in ius Sayero, Ruddio & Buttlero, legis nuper in comitiis latae de potu vini aduſti non vendendo transgreſſoribus mulcta ordinaria & quidem centum librarum Sterlingicarum ſingulis impoſita fuit. Rex Carolum Crauenium equitem Carolinae auſtralis in America praeſidem dixit.

Francofurto ad Moenum. V. Kal. Dec. Noſtra in vrbe, vltima praeteritae hebdomadis feria, ſolito tympanorum cum ſtrepitu, publicatum fuit imperatoris edictum, quo venia delicti datur omnibus, qui, ſiue pedites ſiue equites, caſtra caeſariana deſeruerunt, ſi intra menſes quatuor nomina ſua profiteantur, tyronum inſtar habendi nec reddendi, in quibus olim militarunt, legionibus, ſin minus, termino gratiae praeterlapſo, immorigeros poena grauisſima manet. Qui ex vrbe noſtra Manhemium conceſſit, regi Pruſſorum a conſiliis publicarum rerum ſummique militum ducis vicarius, Degenfeldius comes, aulam electoris Palatini quotidie frequentare nuntiatur cumque eius adminiſtris aliquoties iam deliberaſſe de negotio, quod curae ipſius traditum ſummo celatur ſtudio. Decreuit elector Palatinus numerum exercitus ſui ad octodecim augere millia, idque in praeſenti agitur, vt media excogitentur, quae ad alendum his in terris praeſertim tempore pacis inſolitam manum ſufficere poſſunt. Colonienſis elector, vt fama fert, Bonnam certis de cauſis mille & quingentorum praeſidio firmare ſtatuit. Düſſeldorpio legio Palatina Juliacenſe in caſtellum transmigrauit, cuius in munitionibus reficiendis ſedula ponitur opera, per agros vero Juliacenſes diſpoſiti equites catapultarii in ducatu Montenſi hyberna ſumſerunt. Apud Treuirenſes qui ſuperſunt Galli ſex numero millium ſuis alimenta ſibi ſumptibus comparare coeperunt, nec certi quid de eorum diſceſſu ad hunc vsque diem conſtat, cuius terminum valde remotum eſſe prodit cura, quam in publicis per eam ditionem horreis conſtituendis adhibent.

Vindo-

Vindobona. VIII. Kalend. Dec. Ex litteris poſt initam cum Perſis pacem, Conſtantinopoli III. Non. Oct. ad nos datis cognouimus, quod ſummus imperii Turcici cancellarius * atque Belikamus legatus Perſicus non modo de rebus feliciter confectis ſibi inuicem gratulati ſint, ſed etiam, poſthabito omni religionis diſſenſu, in templum Sophiae ad ſacra ſolemnia ſe contulerint epulisque magnificis repetitum vtriusque nationis concordiam declararint. Ex lege nouae pacis imperator Turcicus dedit mandata, vt quisque ſeruos ſuos natione Perſas liberos dimittat cum facultate in patriam reuertendi, ſique nonnulli ſeruitia praeſtare malint quam domum abire, eos non habendos eſſe vt glebae adfixos, ſed dignos, qui aeque ac indigenae ſalario perfruantur. Praeterea captiuos vendendo mercaturam exercentibus nullos amplius venales licet in mercatu quocunque ſiſtere vtriusque ſexus Perſas, ſed offerre viro a commisſionibus, qui ſingulos quinquaginta ſolidis argenteis * * redimet. Metu licet belli cum Turcis depoſito, Martis tamen ſtudium non plane ceſſat, pasſimque ad Danubii ripas reparantur naues, militum traiectioni inſeruientes, ſi necesſitas vrgeat. Imperator precibus auguſtae Ruſſorum commotus, non modo per derum legatos iudices incolarum Croatiae querelas benigne audiuit, ſed nuperrime etiam ſacra Graecae eccleſiae profitentium templa occluſa recludenda iusſit. Dici non poteſt, quanto gaudio ſingularem hanc imperatoris clementiam natio vniuerſa exoſculata fuerit, ſancte pollicita fore, vt cum decem equitum millibus accedens ad exercitum caeſarianum fidei ſuae gratique animi documenta exhibeat.

* *Reis-Effendi.* * * *Piaſtres.*

Lipſia. VII. Id. Dec. Si fides habenda eſt relationi, quod Vindobonae in exſpectatione ſint duumviri legati Hiſpanorum aeque ac Gallorum, Fuenclara comes atque Noallius mareſchallus, nullo vnquam tempore ſpem pacis certiorem merito dixeris quam praeſenti, nec ante horum aduentum certi quid definire licet. Hamburgum conterruit IX. Kalend. Dec. poſt ſolis occaſum procelloſa tempeſtas, quam poſtero die excepit grauis vrbis inundatio, quae pasſim aedes ad menſuram, quam viri ſtatura definit, inuaſit tanta celeritate, vt ſua vix ciues bona altius promouere potuerint. Holſatiae princeps Ploenenſis XV. Kalend. Dec. filiolam in lucem protulit. Rex Danorum IV. Non. Nov. nouam publicauit conſtitutionem, qua profeſſores theologiae academiae Hafnienſis vt & epiſcopi Daniae ac Norwegiae quotannis tenentur aulae exhibere teſtimonia, quales ſe gerant miniſterii ſacri candidati & quidem ad normam praeſcriptam, quae vno & triginta articulis ſiue quaeſtionibus inſtituendis abſoluitur.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. L. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIɔIɔcc XXXVI.

Neapoli, Idibus Nov. Cum non exitus rerum, ſed hominum conſilia legibus vindicentur, non fuit non puniendus Lapiſius comes, etiamſi caedes perfecta non ſit, quam animo eum voluiſſe, in recenti adhuc omnium memoria eſt. Ex ſenatus bellici conſulto, veſte militari, gladio & baculo publice priuandus eſt manu carnificis, trudendus inſuper huius pede toties, quoties ſingulas, quas nominauimus, partes ab eo repetit. Quae iudicum ſententia quo minus effectui hucusque data fuerit, cauſa allegatur deprecatio pro ipſo non vna, potiſſimum vero reginae Hiſpaniarum, interim arctiori in cuſtodia caſtelli noui detinetur. VII. Id. Nov. hora ferme duodecima audita, Carolus princeps, excuſſis per caſtellorum munitiones tormentis bellicis, veredariis equis vſus, ſolemni cum comitatu, venatum profectus eſt. Subſequutae ſunt eum naues actuariae octo, vna Liburnica, & varii generis nauigia, quibus manus venatoria Procidam in inſulam traiiciet, tantumque hoſpitem cum ſuis hoſpitio commodo vt excipiat, Vaſtus marchio nullis parcit ſumptibus. Exactis ibi diebus quatuordecim Caietam * concedet luſtratum munitiones oppidi, & inde Bouinum, vt iter, quibus coepit, venationum deliciis abſoluat, conſtituto vrbis noſtrae totiusque regni praefecto Charnio comite, qui per abſentiam eius prorex ſalutatur. Naues aliquot, quae Barcinone ſoluerunt, Baianum intrarunt portum, capientes legionis Bourgeſiae in ſupplementum collectos tyrones, quos transportabunt Liburnum, quo etiam actuariae quaedam ex littore Procidae inſulae curſum dirigent, quem vero in finem, non liquet.

* *Gaeta.*

Romae. XV. Kalend. Dec. Bercovicenſem ducem iter facturum eſſe in

in Hiſpaniam, conſtans fuit opinio, quam fefellit euentus, triduo enim Albani apud equitem Georgianum conſumpto, ex mandato aulae illius Neapolim rediit. Cognatione coniunctus cum defuncto duce Ormondio, per aliquod tempus qui tribunum in exercitu Hiſpanorum egit, noſtra in vrbe ſagum mutavit cum cucullo Capucinorum ingreſſusque Ceſenanum coenobium, pecuniae multum pauperibus diſtribuit. Pontificis colloquio gauiſus eſt Giudicius purpuratus, Albano redux, quo ſe contulerat ad ſacra celebranda ſolemnia in aede Mariana, die, quo nomen imperatoris faſti expreſſerunt, ex iis autem neminem adfuiſſe obſeruatum eſt, qui Hiſpaniae, Siciliae vtriusque & Sardiniae regum aulis addicti ſunt. Ne quid pecoris lue infecti in macello venale exponatur, cautum eſt lege, vt carnis ſectae particula quaeuis ſigno quodam notata diſtinguatur. III. Id. Nov. repetita fuit de contagio bouino conſultatio, poſtquam illud nequaquam ceſſare per curſorem nuntiauerat, qui hoc in negotio a commisſionibus Campum mortuum abierat. Cognito etiam, quod paſſim in regno Neapolitano ſues corrumpantur malo aeque noxio, publico edicto mulcta ſtatuta eſt imo corporis poena in eos, qui carnem ſuillam, vel recentem, vel ſalſam, farcimina lardumque inde lucri cauſa adportare auſi fuerint.

Liburno XVI. Kalend. Dec. Breitwitzius, ſummus dux militum caeſarianus, eo ipſo, quod Piſam per vrbem Florentinam fecerit iter, peperit coniecturam, non alium in finem id fieri, quam vt de ordinando Hiſpanorum ex Hetruria diſceſſu, cum Montemario duce ſermones miſceat vltimamque operi tam diuturno manum adhibeat, nec deſunt, qui nouum illius prouinciae praeſidium cæſarianum in itinere iam conſtitutum eſſe adfirmant. Prima currentis hebdomadis feria Barcinone ad nos venit nauis, cuius praefectus ait, ſe, antequam ſolueret, centum ferme numeraſſe nauigia traiectoria, ſed vacua ſingula & quidem nec milite nec adparatu bellico onerata. Poſtero die eoque ſecundo praeſentis hebdomadis Corſica ex inſula accedens nauigium Gallicum in continentem expoſuit triginta Genuenſium milites captos in praelio ad Roſſam inſulam a Theodorico, qui in exercitu Caroli ducis apud Neapolitanos ſtipendia mereri malunt quam in patriam reuerti. En! nouum omnium nouorum nouiſſimum; Theodorus Neuhofenius, qui Corſorum rex ſalutari cupit, ſumpto abbatis habitu, cum Coſta, qui ei in ſanctioribus expeditionibus a ſecretis eſt atque aliis quibusdam factionis ſuae adſeclis, noſtrum ad littus adpulſa naue, deſcendit in continentem iterque ſine mora in Galliam, vel, vt alii volunt, Romam proſequutus eſt. Pauci itineris huius inopinati comites, qui apud nos remanſerunt, ſparſerunt in vulgus, quod

quod ille abitum parans tribus Corſorum male animatorum principibus imperium per abſentiam ſuam tradiderit, qui cum pluribus aliis ſemel iterumque conuenerint diſceſſurum in colloquium agitatisque conſiliis, ſuam amplexibus iterque auſpicatum adprecando conſtantiam declararint, ab hoc e contrario facti certiores, breui fore, vt in inſulam reuertatur.

Mediolano. XII. Kalend. Dec. Sub finem ſuperioris hebdomadis, in aedibus Stampae comitis, ipſum inter & Salaburgum comitem, imperatori in bellicis rebus a commisſionibus primariis, nec non Vermium comitem, de rebus Parmenſis vrbis & prouinciae ordinandis coeptum eſt deliberari. Nulli ferme amplius dubitant de proxime futuro Hiſpanorum ex Hetruria diſceſſu, quem ipſe Montemarius dux eorum ſummus, litteris ſua manu exaratis Khevenhüllero comiti ſignificaſſe perhibetur, non ſine manifeſto indicio, quod de bonis, quae moueri poſſunt, domus Farneſanae & Mediceae, inter paciſcentes conueniat. E terris Pedemontanis accepimus, regem Sardiniae, quam decreuit, inſignem militum exauctorationem iam inchoaſſe.

Venetiis. VIII. Kalend. Dec. Qui magnae Britanniae regis apud nos res curauit, Eliſaeus Bourgeſius, tribunus militum, anno aetatis ſeptuageſimo quinto, vitam cum morte commutauit, ſuique memoriam apud omnem quam aluit familiam, largis admodum legatis conſeruare ſtuduit. Mantuam rediiſſe conſtat Stampam comitem, prouinciae Mantuanae adminiſtratorem caeſareum, confectis feliciter rebus, in quibus imperatori a commiſſionibus Mediolanum profectus fuerat. Genuenſes non penitus deſperare de reducendis ad obſequium Corſis, docet ſtudium bene animatis ſuccurrendi, quo ducti miſerunt nuperrime eo tria armata nauigia victu vario, farina & bellico adparatu onuſta, occupati inſuper in binis aliis inſtruendis, quae littus inſulae lambendo prohibebunt, ne quid annonae male animatis ſupportetur.

Lutetia Pariſiorum. IX. Kal. Dec. Regina vterum rurſus ferente, vix ac ne vix quidem locum habebit iter aulae Marlium, vbi Januarium menſem integrum conſumere definitum fuerat. Nullius ferme fidem meruit opinio, quae ad nos his diebus venit, Hiſpanos, adpulſa ad Minoricae inſulae littus claſſe, Portum Magonis expugnare velle. Redonibus * nuntiatur, comitia prouincialia Britanniae, pridie Iduum Nov. ſumſiſſe initium tanta animorum concordia & in regem fide, vt, quam ille fecit, conſtitutionem de numero & qualitate eorum, quibus ius in comitiis ſuffragia ferendi competat, poſtero ſtatim die, ſine mota controuerſia, ad acta publica retulerint ordines congregati, nec quid valere praeſumitur concluſum de mittendis, qui ſero medicinam parent, ad regem delegatis, eorum

ſaltem

ſaltem ad animos pacandos factum, qui legem nouam faſtidiunt, ſi vel maxime firmam fore praeuideant. Froulaia comes, quae eadem in vrbe paulo liberius animi ſui ſenſa eodem de argumento expreſſerat, im memor dicti, mulier taceat in eccleſia, quidni in ſolemnis ordinum quoque congregationis loco publico, ſolum vertere iuſſa fuit. Interim ex aulae ſententia fluxerunt conſilia, nam congregati Britanniae ordines geminae myriadis donum, vt adpellari ſolet, gratuitum regi offerendum ſtatuerunt, tam prompti alacresque redditi perſuaſionibus Eſtreeſii mareſchalli, qui ſtatim poſt aduentum regis nomine eiusque in commodum diuulgauit, nullum eſſe dubium, quin, pace Europae tantum non penitus confecta, decimarum exactio cum anni proxime inſtantis initio finem habitura ſit.

* *Rennes.*

Haga Comitum, pridie Kal. Dec. Qui regem Hiſpaniae de deducendo ex Hetruria exercitu ſuo mandata dediſſe ſibi aliisque perſuadere conantur, prouocant ad litteras, eiusdem rei teſtes, quas VIII. Id. Nov. Montemarium ducem ad S. Gilleſium marchionem, nationis ſuae apud nos legatum, exaraſſe tradunt, diſcedendum ſcilicet fore, quam primum ceſſiones ſolemnes ex pacto peractae fuerint, fuiſſe autem peractas omni caret dubio. Praeterea conſtat, Vindobonae, pridie Id. Nov. in aedibus Sintzendorffii comitis, praeſentibus aulae caeſareae adminiſtris plurimis, actum fuiſſe cum Theilio, regis Galliae extra ordinem legato & concluſum, vt pactio de Lotharingiae rebus menſe Septembri in chartam coniecta valeat, ſique valeat, rex Galliarum ſine mora vlteriori prouinciam obtineat. Concluſum poſtero die ſubſcribendo firmatum fuit, clauſula adiecta de bonis Lotharingiae mobilibus ab ipſo Fleurio purpurato conſcripta, Theiliusque legatus Gallicus XVIII. Kal. Dec. curſorem ablegauit Verſaliam, cuius poſt reditum, quicquid reſtat, facile expedietur, maxime cum, quem modo nominauimus, die, praeliminaria pacis Gallos inter & imperium Romanum apud Metſchium comitem mutua permutatione adprobata fuerint. Fama percrebuit, copias Gallorum nonnullas certis de cauſis ad fines Leodienſes* conuocandas fore, cui ſi fides habenda eſt, non poterit non res ea ordinibus reipublicae noſtrae ſuſpicionem mali ominis mouere.

* *Lüttich.*

NOVA LITTERARIA ACADEMICA.

Lipſiae, pridie Kalend. Dec. Diſſ. Philol. *de Diſcrepantia & Conſenſu Pſalmi XIIX. & II. Sam. XXII.* praeſide D. JOHANNE CHRISTIANO HEBENSTREIT, P. P. ventilauit M. JOHANNES GODOFREDVS HIRSCHIVS, Dippoldiſiluanus Miſn. Litteris Joh. Chr. Langenhemii. pl. 6.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. L. A. P. C. N. PARTIC. II. cIↃIↃcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum, Idibus Nov. Cui tandem mors vltima linea rerum fuit, atque cui, quoad vixit, nulla dies abiit, quin linea ducta ſuperfuerit, Patinho, aulae noſtrae procerum facile principi, VIII. Id. Nov. ſummis poſt hominum memoriam ſolemnibus iuſta ſoluimus ducto funere ampliſſimo, quo reliquiae corporis eius in aede ſocietatis, cui de Jeſu nomen eſt, ſepulchro illatae fuere. Regina in conſiliis ſanctioribus ſibi a ſecretis eſſe iuſſit Quadram huiusque muneris, quo olim Pazius marchio defunctus fuit, ſalarium inſigniter, ter mille nimirum aureis ſolidis, auxit. Torrenueuae marchioni cura tradita eſt redituum publicorum, quique in his colligendis deſudant, praeſidem eum ſummum agnoſcent, nec in aerarii cuſtodia Franciſcus Labatus ſuperiorem habebit. Miſſeranus dux mille aureorum donatus eſt ſtipendio annuo, quod ad haeredes ſuos in linea deſcendeute deriuare poterit. Sora dux, Caroli principis filii legatus, in ſpe eſt proxime conſequendi iura optimatum Hiſpaniae primi ordinis, qui regis in praeſentia tegunt capita. Opinio ad nos venit, operam nauante Galliarum rege, ſopitam eſſe, quae nobis cum imperatore ſuperfuit, controuerſiam, quique his diebus, miſſus a Fuenclara comite, aduolauit curſor, laetum hunc nuntium attuliſſe perhibetur.

Lutetia Pariſiorum. VI. Kal. Dec. Nemo amplius in dubium vocat ſpem pacis tandem publicandae, cognito, quod rex Hiſpaniarum mandata dederit ad Montemarium ducem, vt ſine vlteriori mora cum exercitu ex Hetruria diſcedat, diſceſſus etiam ſui in rebus ordinandis hic iam occupatus ſit. Qui ſubita hac rerum cataſtrophe in admirationem rapiuntur, ſcrupulum ſibi aliisque iniiciunt contendentes fore, vt Hiſpani Liburnum retineant pignus

tranſactionis non penitus confectae de bonis mobilibus, quae Farneſiana gens ſibi competere adfirmat. Lotharingiam quoque cum adnexa prouincia Barrenſi, ante adhuc finem currentis anni nobis tradendam fore inter alia confirmant ſumptus, qui fiunt in carpento ſtruendo valde pretioſo nouaeque artis, vt nouem capiat viros, quo Stanislaus rex Lotharingiae metropolim ſolemni cum pompa ingreſſurus vehetur. Verum hic quoque nodum in ſcirpo quaerunt coniecturis dediti ſibique conſtare autumant, hoc nihil obſtante quamque Lotharingia dedit difficultate ſublata, noſtrae adhuc ditionis fore caſtella Rhenana Germanorum aut ad minimum Treuirenſem vrbem, donec fiat ſatis quibusdam nouae pacis articulis, quos neſcio quid arcani continere arbitrantur. Mantua Carpetanorum ad familiares datae docent epiſtolae, regem Hiſpaniarum ſuos in humeros ſuſcepiſſe onus imperii, Patinho defuncto, cui adſerto pariter contradicunt alii, ſique rumori in vulgus ſparſo fides habenda eſt, Alberonus purpuratus regredietur in Hiſpaniam aulamque pro ſua auctoritate moderabitur.

Ex eadem vrbe, eodem die. Liburnenſium ex litteris cognouimus, Theodorum Neuhofenium baronem, verentem merito ne praeſentiſſimum vitae in periculum incidat, etiam ab hisce pertimeſcendum, a quibus rex ſalutatus fuerat, clam naue conſcenſa, Liburnum aduentaſſe iterque quam ocyſſime Bononiam continuaſſe, vt cum Montio marchione de rebus ſuis habeat colloquium. Miles legionis praetorianae nuper capitis damnatus abſolutus eſt, deprecante pro eo apud regem Ventadouria principe, quae Delphini principis educationi praefuit. Ad hanc ille: Non poſſum non, inquit, precibus huiusmodi dare locum, vereor autem, ne creſcant delicta, ſi delinquentes, quicunque ſint, viam hanc modumque ſalutis quaerant, quaerentes inueniant. Quae XIV. Kal. Dec. anno aetatis ſexageſimo ſexto noſtra in vrbe naturae debitum ſoluit, Johanna Baptiſta Albertina e gente oriunda, vidua Joſephi Ignatii Auguſti Scagliae comitis Veruei, caſtrorum Gallicorum praefecti inque exercitu equeſtri a commiſſionibus primariis, Grimbergio duci atque Duraſiae principi teſtamento legauit vſum fructuum bonorum ſuorum, quae illis vita defunctis Aumontana domus conſequetur. Carignanae principi filiae reliquit litteras, quibus pecunia ſocietati mercatoriae credita cauetur, centum, nec non quinque & quadraginta virgini ſacrae, quae collegio Boiſiano praeeſt, praeterque quadringenta & plura aeris noſtri millia, quibus familiam ſuam donauit, variis memoriam & recordationem ſui conſeruauit legatis. Definiuit ſuo in teſtamento numerum trecentorum pauperum, quorum ſingulis, die ſepulturae, praefecti aedis S. Sulpitii quindecim francos & pan-

ni

ni portionem diſtribuerunt , ſacra vero feralia, quae Miſſae pro defunctis adpellantur , non niſi vnica fieri voluit. Executorem teſtamenti conſtituit ſigilli regni cuſtodem, cui praemium laboris, adamantem magni pretii & candelabrum cryſtallinum adſignauit.

Londino, pridie Kalend. Dec. Cantimirius princeps , auguſtae Ruſſorum legatus, luce heſterna diu multumque deliberauit cum Neocaſtellano duce pauloque poſt reginae colloquio gauiſus fuit. Nudius tertius, Walliae princeps cum coniuge ſua, herique regina, venerunt in palatium Jacobiticum, auditum gratulantium vota die , quo coniugis Walliae principis natalem faſti referebant. Fitzgeraldus eques , qui Hiſpanorum rebus apud nos praefuit , legatus extra ordinem ſalutari coepit , donec alius nationis illius eadem ornatus dignitate ad nos acceſſerit. Marlboroughia princeps vidua emptionis iure ſibi comparauit aedes aliquot, deſtruendas , vt aditum palatii ſui ampliorem reddat. Cognitum habemus Kellium , Roffenſis epiſcopi olim ſecretarium & conſpirationis in regem ſocium,quem e vinculis aufugiſſe nuper commemorauimus, Bononiae deſcendiſſe in continentem fugamque ſuam terreſtri itinere Lutetiam Pariſiorum maturaſſe. V. Kalend. Dec. ephippiarii per praefectum eiusque collegas Walliae principi locum ſua in tribu offerendum ſtatuerunt , qui interpretes hos benigne audiuit, ſuamque & coniugis ſuae imaginem ipſis promiſit, exponendam in conclaui, quod tribus ſuis in deliberationibus frequentat. Publico in loco mercatorum conſiliis deſtinato percrebuit fama , Hiſpanos expugnaſſe in America binas noſtrae nationis Buttleri ſcilicet atque Hillii naues, cuius rei cauſam adhuc omnes ignorant.

Haga Comitum , pridie Non. Dec. Diem obiit ſupremum ipſis Kalendis Dec. Simon Slingelandius , comitatus Hollandiae Friſiaeque occidentalis procurator negotiorum publicorum ſiue Penſionarius , qui XIX. Kalend. Febr. anni ſexageſimi quarti ſuperioris ſeculi in lucem editus, annos duos & ſeptuaginta , menſes decem ſedecimque dies viuendo compleuit. Anno ille nonageſimo patri ſucceſſit coepitque ordinibus foederati Belgii eſſe a ſecretis in publicis rebus , VI. Kalend. Nov. anni vigeſimi quinti ſummus aerarii Hollandiae praefectus, tandem XVI. Kalend. Aug. anni vigeſimi ſeptimi penſionarius creatus fuit. Horatius Walpolius , regis magnae Britanniae legatus , proximis diebus adfuturus creditur , luce heſterna Hanoueram qui relinquere ſtatuit. V. Kalend. Dec. Richmondus dux ſua cum coniuge, Heluoetsluiſano de littore ſoluens, vento ſecundo in Angliam traiecit.

Francofurto ad Moenum. VII. Id. Dec. Electoris Palatini ad ordinum circuli Franconici conuentum legatus, praeter ſpem omnem atque opinionem

nionem quam ocyſſime noſtra ex vrbe Manheimium diſceſſit non alia de cauſa, quam quod in congregatione ordinum, poſthabito ſuffragio Palatino, decretum fuerit publicare ſententiam de abrogando omni aere cuſo nouo & aureo & argenteo, contra quam cum nihil valeret argumentis, reliquit concionem ſibi aduerſantem ſolemni cum formula, ne quid in damnum electoris cedat. Manheimium reduces facti nuntiantur bini legati, Galliarum regis alter Blondellus, qui ſuo in itinere Argentorati atque Landauiae per multum temporis ſubſtitit, quamque ingreſſus eſt aulam & vrbem conſtantem ſibi ſedem fore ſubindicat; alter ordinum foederati Belgii Burmannia, nouis inſtructus mandatis, vt de rebus mercatoriis & aliis cum aulae Palatinae adminiſtris agat. Tantum annonae Philippoburgum congeſſerunt Galli, quantum ſuo praeſidio per hyemem ſufficere iudicant. Quae ad vſum caeſariani exercitus apud Colonienſes conſtituta belli tempore fuerunt horrea publica, non minus omnibus abundant rebus, nec his licentia eſt aliquid vendendi, qui annonae militaris curam habent. Suſpicionem de finibus Leodienſium copiis Gallicis hoſpitio futuris negant alii, alii non plane de nihilo eſſe contendunt. Venit nuper in conſpectum archiducis Auſtriae, Belgium cui hodie paret Hiſpanicum, archiepiſcopus Mechlinienſis purpuratus, vtque fama fert, actum fuit de exigendis a clero per omnes Belgii Auſtriaci prouincias decimis, quae a pontifice conceſſa & litteris publicis ad dictum purpuratum ſignificata exactio per integrum continuabitur luſtrum, nec ſine inſigni aerarii commodo, in quod per ſingulos annos quadringenta imperialium millia redıtura eſſe calculus ductus pollicetur.

Vindobona, Kalendis Dec. Mediolanenſes ſuis in litteris referunt auide exſpectari aduentum noui prouinciae ſuae praeſidis Traunii comitis, magnumque fieri adparatum, vt hoſpitem tam gratum non ſine publicae laetitiae ſigno excipiant. Iisdem accepimus litteris, regem Sardiniae, quam ex pacto nuperrime conſequutus eſt, Nouarenſem vrbem munitionibus validis validisque praeſidiis firmare, nouumque hoc, quod ille molitur, opus aulam noſtram haud parum ſolicitam reddit. Seckendorfius comes, proximis diebus Albam Græcam* proficiſcetur luſtratum ſuam legionem pedeſtrem, idemque, vt aiunt, cum ſenectus ipſa morbus ſit Palffio comiti, ſummo caſtrorum in Hungaria praefecto, exercitui ad fines Turcicos collecto praeerit. Victoria Sueſſionenſis princeps, poſtquam autumno in villa Hofana transacto, in vrbem noſtram rediit, nec alios ſalutat, nec ab aliis ſalutari cupit, vnice occupata in diſtrahendis Eugenianae haereditatis rebus pretioſis, recutitis potiſſimum lucro inhiantibus.

* *Belgrad.*

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. LI. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli. XII. Kalend. Dec. Felicem ſi dixeris rempublicam, quae tempore pacis de bello cogitat, felicitatis noſtrae fundamenta ponere cupit Carolus princeps, qui, pace vix conſtituta, militiae naualis rationem habendam ducit. Nam eius ex mandato, prima omnium nauis bellica eaque ſexaginta capiens tormenta, exſtruetur proxime, cuius primum ipſe figet clauum, operiqne, quam primum vltima ei manus impoſita fuerit, nomen dabit. Rediit ille ex venatione ſolemni, quam Procida in inſula inſtituerat, ſuperioris hebdomadis feria quinta, excuſſisque tormentis cum populo aduentus eius ſignificaretur, accidit, vt Elmenſi in caſtello iaculator tormentarius tertia cum vice onerare vellet tormentum, hoc diſrupto deiectus de muro miſere perierit. Ante octiduum ex Hiſpania aduentantes bini curſores iter Procidam in inſulam ſine mora proſequebantur, ex litteris vero, qnas alter horum Charnio comiti, in abſentia Caroli ducis proregi noſtro, tradidit, obitum Patinhi, aulae Hiſpanicae adminiſtrorum principis, cognouimus. Luce heſterna natalem reginae Hiſpaniarum multis ſolemnibus celebrauimus, inque numero gratulantium Spinellus purpuratus vrbis noſtrae archiepiſcopus atque Acquauiua purpuratus erant, purpuratus autem Belluga per delegatum humanitatis officio defunctus fuit. Eodem die Carolo principi donum obtulerunt Carthuſiani monachi, bellaria nimirum, fructusque & aues varii generis vt & machinam, in qua conſtitutus S. Martinus de loco excelſo videbatur Carolo duci benedictionem impertiri. Ex Apulia laetum hauſimus nuntium, quod bouinum contagium in dies magis decreſcat.

Roma. VIII. Kalend. Dec. Gentilius tribunus, Brutianis, quibus praeeſt, ſeptuaginta ſecuritatis conſer-

vandae

vandae cauſa relictis, vt &, delegatum qui egerat iudicem, Clarellus Velitra ad nos redierunt, quorum hic, poſt moram paucorum dierum, ad fines properauit, qui Neapolitanos ſpectant, vt in auertenda pecoris lue omnem curam adhibeat. Damnati ad remos numero duo & ſeptuaginta his diebus Centumcellas * deducti fuere. Coloſſus abbas, ſecretarius iudicii aulici ordine ſecundus, morbo difficili & diuturno confectus exſpirauit, cui Viciguerra ſucceſſit. Die, quo nomen Eliſabethae in faſtis legitur, imperatoris legatus Harrachius comes, vota ſoluentes auguſtae, cui hoc nomen eſt, audiuit, veſperique facibus ſuccenſis, dictus legatus vt & Giudicius purpuratus atque viri ex ordine equeſtri plurimi aedes ſuas illuſtrauerunt. Rure qui rediit eques Georgianus, XII. Kalend. Dec. colloquio pontificis gauiſus eſt, eique, vt aiunt, pluribus coram expoſuit argumentum deliberationis, quam Albani cum Bercouicenſi duce inſtituerat. Idem domum ſuam vbi redierat, donatus fuit ducentis exemplaribus libri forma conſcripti maiori, quam plagula binis foliis conſtans definit, quo auctor, quiscunque ille ſit, defunctae eius coniugis vitam geſtaque inſigniora delineauit, eodemque dono chartaceo in praeſenti etiam purpurati, duces, clerique & vrbis optimates vtriusque ſexus adficiuntur. Campo mortuo redux Canalius enarrauit ceſſare ibidem malum, quo pecus corripitur, correpti autem cum in villa Caeſarini ducis atque intra viginti & quatuor horas conciderint quindecim boues, plures delegati fuere, qui in hoc negotio a commiſſionibus ſint, quantumque conſtat ex cadaueribus diſſectis, vlcera lienis ſtragem tam ſubitam tamque frequentem pariunt. Imperialis purpuratus ſuo e praedio in vrbem redux factus eſt, ſed minus firma valetudine, quae ſeptem & octoginta annorum ſenem in vitae diſcrimen vocare videtur.

* *Ciuitauecchia.*

Liburno. IX. Kalend Dec. Negari non poteſt, Hiſpanos abitum parare ex Hetruria, enim vero excipiendi ſtudio quam maxime deditus ipſorum dux ſummus, Montemarius mouiſſe denuo dubium dicitur in ſuo cum Breitwitzio, duce exercitus caeſariani, colloquio, quod in litteris ceſſionem vtriusque Siciliae exprimentibus, non imperatoris ſed trium ſaltem aulae Vindobonenſis adminiſtrorum nomina ſubſcripta offendat. Qui III. Id. Nov. Corſica ex inſula ad nos inopinatus hoſpes acceſſit, Theodorus Neuhofenius baro in praeſenti commoratur in loco, qui ad vnam veredariorum ſtationem ab vrbe Piſana diſtat. Itineris ſui comites habet cancellarium regni, quod adfectauit, Coſtam cauſarum patronum, virum a ſanctioribus cubiculi perſonam cucullo diſſimulantem, ſecretarium natione Florentinum, binos vrbis noſtrae iuuenes a miniſterio, quod ephebi honorarii in aulis principum praeſtare ſolent. Genuen-

ſes

ſes triginta captiuos, quos ſecum adduxit, Neapolitano militiae duci dono dedit, qui tyrones conſcribit legionis, quam Carolus dux colligendam ex alienigenis ſtatuit. Curta ſupellex minimeque regia, quae Theodoro non multi temporis regi eſt, fugam magis quam iter prodit cum animo reuertendi ſuſceptum, ſique res ita ſe habet, vt narratur, egens aeris Corſorum ille rex atque deſtitutus viatico, vaſa ſua argentea ſexaginta vel ſeptuaginta aureis Venetorum, quos vulgo Zechinos adpellamus, vendere coactus fuit.

Mediolano. IV. Kalend. Dec. Stampa comes, perductis ad finem conſultationibus, quas cum Kheuenhüllero comite, ſummo exercitus caeſariani duce & aliis delegatis inſtituit, Mantuam repetendam ſtatuit, vt hoſpitem excipiat Traunium comitem, futurum vrbis & prouinciae noſtrae praeſidem, quem praeſtolamur Venetamque vrbem ingreſſum eſſe cognouimus. Modo commemoratis in conſultationibus deliberatum quoque fuiſſe perhibetur de ſtatu Parmenſium, Placentinorum vt & Mantuanorum aliquo modo cum Mediolanenſi combinando, quo de conſiliorum ſucceſſu felici multi ſubdubitant. Piſa accepimus, Breitwitzium noſtri exercitus ducem, in eo cum eſſet, vt Luccam reuerteretur rebus infectis, a Montemario ad repetenda inuitatum fuiſſe conſilia, cauſam allegante, quod tandem a rege Hiſpaniarum per curſorem nouiſſimum acceperit mandata de rumpenda omni mora in relinquenda Hetruria, cuius incolae tantum non omnes laetum hunc nuntium exoſculantur.

Lutetia Pariſiorum, pridie Kalend. Dec. Ex eo, quod annonae militaris procuratores mandato ſibi conſtantes defungantur officio, quodque diminutio exercitus ante vernale tempus non videatur habitura locum, mouetur multis ſuſpicio, pacis publicandae terminum quam longiſſime abeſſe, contradicentibus aliis, qui ex obuia vbique occaſione mutuo accipiendi pecuniam atque ex nouis aliunde ad nos relatis ſpem pacis haud dubiam capiunt. Maſſilienſes Conſtantinopoli ſibi relata referunt, quod pax non modo Turcorum cum Perſis conſtituta ſit, ſed & foederis ratio, quae ſocia aduerſus quemcunque hoſtem arma paciſcentibus ſuadeat, de priori vero vt nulli ferme ita de poſteriori e contrario valde multi dubitant. Noſtrum quod attinet ſtatum, fefellit eos opinio, qui in curia prouinciali, aula iubente, publicandam fore dixerunt decimarum exactionem tempore belli ſolitam; interim ne ſpem omnem abieciſſe videantur, initium proxime inſtantis anni finem huius oneris fore ſibi aliisque pollicentur. Diſceſſus Theodori baronis ex Corſica inſula quo maiorem omnibus mouit admirationem, eo minus in cauſa determinanda conuenit inter eos, qui hariolando ſe quaecunque adſequi poſſe putant. Putant rem acu ſe tetigiſſe, qui adfirmant, nulla alia

de cauſa in Italiam eum veniſſe, quam vt de praeſenti inſulae ſtatu colloquatur cum Montemario duce antequam ille in Hiſpaniam proficiſcatur, atque promiſſa vrgeat auxilia deque his certior factus ad ciues ſuos inſulanos reuertatur. Baionna nuntiatur aduentus Immanuelis Luſitanorum principis, ſimul vero & hoc, quod ex aula reginae Hiſpaniarum viduae rurſus abire ſecum conſtituerat. Tantum abeſt, vt furore poetico abrepti apud nos contenti ſint cantibus, vt potius ſanguinem ſitire incipiant. Ne quid dicamus de binis poetis nouellis, qui certamen priuatum inierunt de quibusdam verſibus, furorem certe loquitur Ecluſii audacia. Indigne ille ferens, Boeſtellum, poeſeos cultorem, perſtringere auſum fuiſſe affinis ſui Racini odam, decumbentem eum in lecto baculo caſtigauit verum plane inſontem, cuius amici violentum & temerarium aggreſſorem in ius vocare inſtituunt.

Vindobona, *Nonis Dec.* Rumor raucus factus eſt, quod rex Sardiniae defunctae ſuae coniugis reginae ſororem germanam, non vero Lotharingiae principem in matrimonium adſumere ſtatutum cum animo ac deliberatum habeat. Termino electionis noui epiſcopi Aichſtadienſis adpropinquante eoque die heſterno, breui noſſe dabitur, cui ſpartam hanc ambientium fortuna fauerit. Sunt vero illi Schoenbornius comes purpuratus, epiſcopus Spirenſis, binique barones, Reinachius alter, alter Freybergius, triumuiri qui, vt ſtylo curiae eccleſiaſticae loquimur, e gremio illius eccleſiae ſunt. Quo iure qui non gaudet Theodorus princeps Bauariae, vt gaudeat, pontificis implorauit opem, ſed fruſtra, vt aiunt, vel ideo, quod iam epiſcopus & Ratisbonenſis & Friſingenſis ſalutetur. De abroganda clauſula pacis Riſwicenſis, legati regum & principum, qui ſacra Proteſtantium profitentur, denuo per litteras imperatorem exorandum iudicarunt. Qui ante ſemeſtre ab imperatore in Luſitaniam miſſus fuerat, vt certum conficeret negotium, Lenghcimbius comes, ſub finem ſuperioris hebdomadis Genua ad nos reuerſus eſt. Eadem in aula Luſitanica qui per aliquod tempus imperatoris adminiſtrauit legationem, Waſnerus, multorum ex opinione legatus proficiſcetur Luteтiam Pariſiorum in locum Schmerlingii baronis, qui proxime ad nos reuertetur. Octiduum praeterfluxit, ex quo curſorem obſeruauimus alium veniſſe Conſtantinopoli, alium eo regreſſum fuiſſe, quid vero ille attulerit nuntii, ille retulerit, ad hunc vſque diem minus exploratum ac cognitum eſt.

Lobenſteinio. VI. Id. Dec. Henrico ſecundo Ruthenico comiti ſtirpis iunioris, nudius quartus hora veſpertina octaua, ex vxore Juliana Dorothea Charlotta, natalibus comite Hochbergia, filiola nata eſt, quae ſacra baptiſmatis vnda adſperſa Eleonorae Maximilianae Chriſtinae nominibus inſignita fuit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. LI. A. P. C. N. PARTIC. II. cIɔIɔcc xxxvi.

Conſtantinopoli. III. Kalend. Nov. Pax vna triumphis innumeris potior, quidni bello, quod triumphis caruit, clade non vna inſigne fuit? Pacem itaque exoſculamur cum Perſis III. Kalend. Oct. conſtitutam, cuius auctorem regis Perſarum legatum imperator X. Kalend. Nov. vltimum vale dicentem fronte admodum hilari excepit, donis adfecit multis magnaque cum beneuolentiae ſignificatione a ſe dimiſit. Diebus quatuor aut quinque praeterlapſis, domum ille proficiſcetur, idque in praeſenti agitur, vt legatio Turcica ad Perſarum hodie regem Nadirum, cum firmatis ſubſcriptione pacis nouae articulis eum ſubſequatur. In his non alia Ruſſorum dicitur facta mentio, quam quod illis quieta locorum in Georgia expugnatorum concedatur poſſeſſio. Interim eo, quo Turci arma alio vertenda crepant, tempore legatus imperatoris Romani Dallmannus baro colloquio gauiſus eſt aulae Turcicae cancellarii, Camaican lingua patria dicti, cui quasdam pacis ineundae cum Ruſſis conditiones propoſuiſſe dicitur, factus ab eo certior, quod proxime imperatoris Turcici in conſpectum venturus ſit. Qui aduerſus Ruſſos exercitum duxit aulae purpuratorum princeps adhuc in caſtris commoratur, nec, rediturus per hyemem ad nos ſit an minus, certi quid noſſe datur.

Mantua Carpetanorum. XII. Kal. Dec. Scoriaci aula noſtra, reginae quo nomen in faſtis legitur, diem heſternum multis ſolemnibus peregit. Beneficia equitum ordinis ſacri, quibus Patinhus vſus fuit, & quidem Alcueſianum Johannes Pachacus, legionis reginae pedeſtris tribunus, Villafrancanum Joſephus Ignatius Goynechius conſecuti ſunt. Ex rapto qui viuunt, praedonibus maritimis, tam Salenſibus quam Algeriis, minus per aliquod tempus fauit fortuna, illorum enim nauem

ad

ad Tariſſanum littus expugnarunt noſtrates curſum dirigentes in Africam cum annona militari; horum binas ſecundo Marte aggreſſi ſunt Melitenſes ad littus Malaccenſe caeſisque quadringentis Barbarorum, reliquos, nimirum trecentos & quinquaginta, captiuos duxerunt, praeter ſex & quinquaginta Chriſtianos, quos in libertatem vindicarunt. Paraguaria ex Americae auſtralis prouincia relatum accepimus, quod Indi, qui Ingres nomine veniunt, templum ſocietatis Jeſu furioſo inuaſerint impetu, ſacra, quae Miſſae vocantur, celebrante Juliano Liſardo, quem de altari protractum telis interfecerunt, auulſoque capite imaginis Mariae Tariqueanae aedem ſacram flammis iniectis in cineres totam redegerunt. Multorum in ore eſt cygnea cantio Patinhi, qui morti proximus, corruptis morbo ſenſibus, plus vice ſimplici exclamaſſe dicitur: *Gallia, Gallia, tu mortem meam acceleras*! nec diſſentiunt inter ſe interpretes, qui eum nouam deploraſſe pacem adfirmant. Idem teſtamento cauit, ne rationes exigantur a viro, quem ab expeditionibus ſuis habuit, magnasque corraſiſſe diuitias nemo non videt.

Londino, pridie Non. Dec. Luce heſterna Carolus Wagerus eques & vigiliarum claſsis praefectus ſummus Cauendiſchius Kenſingtoniam abierunt rogatum, quem regina ſtatuendum cenſeat terminum, quo claſsis vela det vento in gratiam regis, qui eam ad reditum apud Belgas praeſtolatur. Ephippiarii pridie Kalend. Dec. natalem Walliae principis, cuius nuper maritum ſuam legerunt in tribum, magnificis celebrarunt epulis, illuſtratis veſperi aedibus, quas ſedem laetitiae elegerant, lampadibus pulchro ordine poſitis, erecta inſuper pyramide quindecim pedes alta, cui impoſita erat caſſis ex inſignibus Walliae principis, quae flammis egregie collucebat. In habendis Kenſingtoniae VIII. Id. Dec. conſiliis ſanctioribus regia publicabitur ſententia de iterandis VII. Kalend. Febr. anni proxime inſtantis comitiis, vt, quae proſtant, negotia expediantur. Qui regis noſtri in aula imperatoris legationem adminiſtrat, Robinſonus eques ad rem ſuam familiarem curandam reuertendi domum conſequutus eſt veniam. Imperatoris quoque in aula noſtra futurus legatus, Joſephus Kinskius comes breui noſtram ingredietur vrbem. Proſtat pasſim libellus, qui inſcribitur: Delineatio foederis Gallos inter & reliquos mari valentes ineundi pro tuendo commercio maritimo aduerſus Barbaros omnesque praedones qui mari praedam captant. Auctor prouocat ad ius naturae & gentium, quo chriſtiani principes teneantur rem ſuam concordes tueri & adunatis viribus aggredi hoſtem, qui non vno eodemque tempore omnes ſimul ſed hunc modo, modo alium laceſſere callidus nouit. Addit, chriſtiano nomine vix dignum eſſe facinus, pangere foedus cum huiusmodi

modi gentibus, quae ſola lucrandi cupiditate ductae mare infeſtum reddunt. Multis perſuaſum eſt, ex mandato aulae Gallicae ſcriptum hoc lucem conſpexiſſe, num forte noſtrates & qui mercaturam mari exercent, ad huius generis foedus perduci queant.

Lutetia Pariſiorum. III. Non. Dec. Vt iugulent homines priuentque bonis, ſurgunt de nocte latrones intra vrbis noſtrae, quod mireris, moenia & quidem tam copioſi, vt duce opus habeant, qui princeps nocturnus ſalutari cupit deditque ſuis legem, caueant ſibi ne quem, niſi extrema vrgeat neceſſitas, vita ſpolient, contenti praeda, quam faciunt. Eadem, ſi fert occaſio, vtentes methodo faciem oculosque eius quem aggrediuntur, maculant laeduntque & a tergo eundem plagis adficiunt. Inciderunt in manus eorum ſenex ſeptuaginta annorum Offreuillius nec non iuuenis militiae praefectus, quem horologio portatili eoque aureo, gladio, baculo & aureis Ludouicianis decem ſpoliarunt, ſpoliato binos illius aeris cuſi nummos reſtituerunt precibus ad miſericordiam commoti conquerentis, nullas ſibi ſupereſſe facultates nec ſe habere, vnde viuat. Eo inſolentiae proceſſit primipilus huius colluuiei, vt litteris publice adfixis ſignificauerit ciuibus, nulli, hora veſpertina decima audita, egrediantur ſique egrediantur, ad vitae ſuae conſeruationem ſecum habeant honoratiores ad minimum imperiales quadraginta, opifices vero tantum octoginta francos. Litem, quam Harlaius, praetor vrbis regius, mouere voluit Mancinio marchioni, rhedarium ſuum quod gladio percuſſerat, Toloſona comes nec non Noallius mareſchallus per litteras compoſuerunt, illa etiam verborum pondere actorem permonente, vt de vocando in ius reo deſiſteret. Pariter ſua auctoritate rem eo perduxit Bernardus, vt, cui filia nupſit, Touchius violatas ab illa connubii leges non iudici diiudicandas tradiderit. Sed pauper vbique iacet nec quis deprecandi munus ſuſcipit pro poetae nouelli Boiſtelli flagellatore E-cluſio, ſi vel maxime errorem potius quam crimen commiſerit, dum inſontem pro ſonte plagis adfecit.

Ex eadem vrbe, eodem die. Nanceio accepimus, Lotharingiae principem viduam VII. Kalend. Dec. feciſſe palam ſponſalia, quae Eliſabetha Thereſia filia princeps natu maior, vtpote quae Idibus Oct. anni vndecimi praeſentis ſeculi lucem conſpexit, cum Sardiniae rege, contraxit. Pridie Kalend. Dec. Lercarius, pontificis extra ordinem orator gratiaeque ſingularis interpres reginae roſam auream * ſolemni ritu conſecratam in Verſalienſium ſacello, ſolitis cum ceremoniis exhibuit, qui actus apud nos a XVIII. Kalend. Oct. anni ſexageſimi octaui non euenit. Praeſens roſa ſeſquipedalis eſt, poſita ſuper baſi, cui argenteae atque inauratae inhaeret caulis ex auro conflatus ſuſtinens roſam, cuius folia exprimit ſapphirus

rus, extremitates adamantibus coruſcant. Rex ſuo in itinere Muettam, VI. Kalend. Dec. ad oppidum Sevenſe ſubſtitit in ponte, quo Sequana iungitur, ſpectator nouae artis, qua quis flumen pedes tranſire tentauit. Muniuerat ille pedes ſuos ocreis ita adornatis, vt ſoleae plumbeae atque pars ſuperior cingulo praedita, quo natantes vtuntur, virum erecto ſuſtinerent corpore, qui inſuper aequali pondere in vtraque manu greſſum firmare ſtuduit. Hunc in modum contra fluctus aquarum armatus noui inuenti auctor ſex intra horae momenta ad alteram tranſiit ripam, velocius autem, nempe quatuor horae momentis, eo, vnde digreſſus fuerat, rediit. Idem ſibi quod licuit, licere adfirmat militibus, nec obeſſe pondus armorum, quo grauati in terris incedunt. * **

* *De ritu hoc ſolemni, quo pontifex roſam auream quotannis conſecrare, conſecratam principibus vtriusque ſexus dono offerre ſolet, conſ. Angelus Rocca Oper. Tom. I. pag. 207. & Zach. Grapius in Diſputatione, quam de Roſa aurea a Papa Romano quotannis ſolemniter conſecrata, eruditorum examini ſubmiſit. Lipſiae A. 1696.*

** *Inuentis cum facile ſit aliquid addere, glaciem noſtro in arte ambulandi per aquas fregiſſe videtur Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius, qui in Epiſtola ad Pet. Valkenierium de Hydraſpide ſua A. 1690. Altd. in 4. edita inuentum hoc primus tradidit, hancque ſuam Hydraſpidem in Epiſtola ad Jo. Fechtium Altd. 1693. in 4. adſeruit aduerſus Dialogiſtam, vt vocat, i. e. contra Joh. Ern. Tentzelium, eiusque ſiniſtrum iudicium in Colloq. Menſtr. A. 1691. pag. 236. Vtraque ad manus ſi cui non eſt epiſtola, lectoris curioſitati mederi poterunt Acta Erud. Lipſ. ad A. 691. pag. 37. & ad A. 93. pag. 222. & Vindiciae Tentzelianae in cit. Coll. Menſtr. ad A. 93. pag. 499. coll. 102.*

Haga Comitum. III. Id. Dec. Conuocati extra ordinem comitatus Hollandiae ſenatores ſuo ex numero quosdam delegerunt, quibus curae ſit defuncti nuper Slingelandi rerum ſuarum procuratoris ſiue Penſionarii perluſtrare monumenta litteraria eaque ſecernere quae ad ſtatum prouinciae pertinent. Horatius Walpolius Hanouera ad nos VI. Id. Dec. rediit curatque aliquod regis magnae Britanniae, cuius legatum agit, negotium, vt illi in reditu ad Anglos per has terras, euentum conſiliorum exponat. Si famae quid libet credere, aula Britannica ex litteris Eboraci noui in America interceptis cognouit clandeſtina, quae Hiſpani inierunt conſilia de inuadenda noua Americae colonia Anglorum Georgia. Dictas modo litteras conſultum viſum fuit tradere Hiſpanorum Londini res curanti, clauſula adiecta, regem magnae Britanniae iuſtum differre dolorem, donec certiora ſe prodant indicia.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. LII. PARTIC. I.
A. P. C. N. cIↄIↄcc xxxvi.

Neapoli, V. Kal. Dec. In principatu commutando vt præter nomen nil mutant pauperes, ita e contrario hoc in caſu inſigniter ſoepe mutatur aula, mutatur a ſucceſſore quicquid ſibi magis quam anteceſſori gloriae eſſe cupit. Hinc caeſariani ne quid nominis apud nos ſuperſit, iusſit Carolus, Hiſpaniarum princeps, penes quem hodie Neapolitanum eſt imperium, portam caſtelli noui nouo exornari frontiſpicio ſuaque, Auſtriacis remotis, exponere inſignia. Idem, ciuium ſuorum captans gratiam, Neapolitanam, quam conſcendit in itinere nupero, nauem cum declararet praetoriam, grauiter offendit vtriusque Hiſpanorum nauis actuariae praefectos, qui dicto audientes eſſe noluerunt Neapolitano praefecto ſummo & remanendum duxerunt ad littus Procidae inſulae, tertioque poſt die demum poſt Caroli principis aduentum aduentarunt. Nemo non in ea fuit perſuaſione, die feſto S. Eliſabethae, aliquam aulae fore adminiſtrorum mutationem, aut ſpem faciendam pacis proxime publicandae; ſed neutrum euenit, vice verſa ſilentium quo premitur nuntius, quem curſor attulit, rei grauitatem loquitur, maxime cum ſine mora ſanctiora conuocata fuerint conſilia. Qui Roma ad nos venit Caſerta princeps, ſalutato Carolo principe, aditum procurante ad eum S. Eſtevano comite, ſua in regni noſtri finibus praedia ſolito ritu beneficium ſiue feudum agnouit. Praeter nauem actuariam quae ſtruitur, in ampliando etiam portu vrbis noſtrae omnis opera ponitur. Ponitur eadem ab architectis in adplanandis viis, quae Bouinum ducunt, vt pateant commodae Carolo duci, qui eo & breui poſt ad Fanum S. Nicolai Barenſis venatum abire ſtatutum cum animo ac deliberatum habet.

Roma,

Roma, *Kalendis Dec.* S. Gemini ducis coniux primum VIII. Kalend. Dec. in lucem protulit filium, imperatoris itaque, quem ſuſceptorem erogauerat, vices Giudicius purpuratus geſſit. Quicquid curae adhibetur, quicquid ſolertiae in corrigendo, quo boues corripiuntur, malo, omni tamen plus valet arte malum atque indies accreſcit. Ad preces igitur confugiendum ratus pontifex iisdem ac in aede Mariana & Antoniana, indulgentiis promiſsis per triduum in aede S. Iſidori hoſtiam exponi iusſit euchariſticam, vt concurrens multitudo Deum precibus fatiget. Secunda currentis hebdomadis feria, legatus regis Galliarum S. Aignanus dux Tuſculo * in vrbem venit ſalutatum equitem Georgianum, aut potius, vt, Albani quae coepit, conſilia, remotis arbitris, continuaret. Querinus purpuratus, ante abitum ad Brixianos, quibus epiſcopus praeeſt, Vangariccanam ſuam in agro Ferrarienſi petet abbatiam, quam Muſarum ſedem eſſe voluit, exſtructo ſuis ſumptibus collegio & dote opima inſtructo, in quo iuuentus gratis bonis artibus & ſcientiis erudienda erit. Luce heſterna innotuit, Theodorum Neuhofenium baronem binas per noctes noſtra in vrbe hoſpitem nulli cognitum, iter Neapolim proſequutum fuiſſe. Aliquot hebdomadum tempus praeterfluxit, ex quo Antonius Azzollius comes in carcerem coniectus fuit, reus, quod vel auctor vel conſcius ſit ſcriptorum, quae ſatyrico ſtylo hucusque valde copioſa provolaſſe cognouimus. Enim vero poſtquam rigoroſum ille examen ſubiit nec quid ſatyrarum in aedibus eius repertum fuit, ſed potius ſciagraphia de adminiſtranda rite prouincia, protinus libertate donatus eſt.

* *Fraſcati.*

Liburno, *pridie Kalend. Dec.* Conductae variarum nationum naues, quae portum tenent noſtrum, certum quidem pollicentur Hiſpanorum ex his terris diſceſſum, vt & initium, quod factum eſt imponendi nauibus panem bis coctum, ſalſam carnem & reliqua quibus iter maritimum facturis opus eſt, attamen terminum noſſe non datur, quo praeterlapſo vela ventis dabuntur. Breitwitzius baro, ſummus militum dux, Piſa relicta in Longobardiam heri iter aggreſſus eſt, eum, vt aiunt, in finem, vt futura Hetruriae praeſidia, legiones nimirum binas pedeſtres vnamque equeſtrem propius ad fines noſtros ducat. Interim non deſunt, qui abitum Hiſpanorum opinione tardiorem fore coniiciunt ex eo, quod Montemarius, ſummus eorum dux, praefecto claſſis Specciano in portu conſtitutae veniam dederit per aliquod tempus Genuae commorandi, quodque nouam mouerit difficultatem ſibi vindicaturus partem rei tormentariae, quam ſecum in Hiſpaniam deducere ſatagit. Nouisſimae Corſorum litterae referunt, principes rebellium, abſente Theodoro, priſtinam ſumere auctoritatem, qua freti eorum depopulantur agros, qui in fide

ſide manſerunt Genuenſium, quibus & locum maritimum Algaliolam eripere ſuamque in poteſtatem redigere laborant.

Lutetia Pariſiorum. VII. Id. Dec: Montemario Hiſpanorum duci in mandatis eſſe, ſuo cum exercitu egredi Hetruria, nullus dubitat, dubitat vero tantum non omnis id tempore hoc brumali futurum, nec forte errant idem qui de Lotharingia nobis tradenda & reſtituendis imperio Romano oppidis tribus adfirmant. Lotharingiam quod attinet, conuenit inter paciſcentes, vt Lotharingiae princeps vidua Commerciaci habeat ſedem noſtraque ex aula quotannis ſexcenta aeris noſtri millia conſequatur, de domicilio autem Stanislai regis, Lunaeuillae an Nanceii conſtituendo, altum ſilentium eſt. His diebus ad nos acceſſit Cambiſius comes, qui finito nuper bello copiis in Delphinatu praefuit breuique legatus in Angliam proficiſcetur in locum Chauignii, qui Bonaco marchioni apud Heluetios legato ſuccedet. Qui, vt nouiſſime commemorauimus, VI. Kalend. Dec. rege ſpectante, Sequanam fluuium ocreatus tranſiit, idem nouae artis ſpecimen nec minus feliciter III. Kalend. Dec. in conſpectu rei mercatoriae apud nos praefecti edidit. Gamacheſius marchio, ſummi militum ducis vicarius, IV. Non. Dec. natus annos quinque & octoginta, naturae debitum ſoluit, tanto autem maturius pridie eius diei filius vnicus Mothii Haudancourtii, qui duodecimum aetatis annum viuendo nondum abſoluerat. Voltairius, qui per annum & quod excurrit in Campania Chateletae marchionis vſus eſt hoſpitio, hac abſente, cum in Lotharingiam profecta ſit, principem quendam ſalutatum in Germaniam iter ſuſcepit. Idem poeta noſtra aetate celeberrimus, ſe totum philoſophiae ſtudio dicauit atque in vertendo Newtoni ſcripto ex Anglica lingua in Gallicam in praeſenti occupatus eſt. Quod opus conſecrandum ſtatuit Chateletae marchioni, Aemiliae cui nomen imponet atque epiſtolam carminice praemittet. Tandem & Ecluſius ſine iudicis ſententia conciliatus eſt Boiſtello, quem virgula cenſoria nimis acriter notaverat eique baculo furorem poeticum tantum non omnem repreſſerat.

Haga Comitum. XIX. Kalend. Jan. Lutetiae Pariſiorum, vt litterae ad nos inde datae teſtantur, in exſpectatione eſt nouus Hiſpaniae legatus Minaſius marchio ad XVIII. Kalend. Jan. cuius poſt aduentum tentabitur conciliatio Hiſpanorum & Luſitaniae regum, huiusque legatum agere incipiet Ludouicus Acunha, qui eodem de argumento cum Fleurio purpurato & ſummo ſigilli cuſtode tantum hucusque priuatus egit. Enim vero minus optatum conſiliorum euentum ſibi perſuadent Angli, cum rex magnae Britanniae nouum claſſis ſuae ad littus Luſitanicum imperauerit augmentum, cognito, quod Hiſpani Luſitanis inſultare in America nulli intermittant.

Gibraltarienſes Tetuano ſibi relata referunt litteris pridie Id. Nov. ad nos datis, quod nouus in Barbaria ſurrexerit rex Marochanus, Muleius Achmetus ben Lariba, frater regis Muleii Abdallahi atque Feccenſium praefectus, a quibus rex proclamatus fuit poſt victoriam, quam cum parte exercitus Aethiopum ſibi conciliata reportauerat ab his, qui fratris in fide manſerant. Rex ille nouus, quem ſatis humanum eſſe praedicant, adſumſerat Feccenſis cuiusdam ciuis filiam in matrimonium, quae ipſi cum dote venit trecentorum quotannis centenariorum argenti, quoad regnum confirmatum fuerit. Quibus regni aemuli ſucceſſibus commotus Muleius Abdallahus rex theſauros ſuos ſexcentis impoſuit mulis ſeque Mequineſiae minus tutum fore praeuidens alio confugit.

Colonia Agrippina. III. Id. Dec. Aichſtadienſes canonici, die, quem electioni noui praeſulis deſtinatum volunt leges, nimirum pridie Non. Dec. ſolemnem egere conuentum, in quo, concordibus ſuffragiis ipſorum ex ordine Johannes Antonius Joſephus Freybergius baro princeps & epiſcopus Aichſtadienſis electus atque poſtero die, Nonis Dec. ſolemni ritu proclamatus fuit. Nempe die priori adeo diffidebant inuicem electorum ſuffragia, vt tres candidati, Schoenbornius comes, praepoſitus templi cathedralis apud Bambergenſes, Vlmius atque Reinachius barones numerum, qui requiritur, ſuffragiorum conſequi non potuerint. Poſtero die, qui pridie binis ſaltem gaudebat, Freybergio baroni, licuit eſſe tam beatum, vt ſpartam obtineret ſufficienti ſuffragiorum numero, quem ſuis augendum, duxerunt vnanimes, qui Vlmium vel Reinachium barones eligendi ſpe exciderant. Qui imperatori in hac electione a commiſſionibus fuit, Colloredus comes & qui collega ipſi dabitur, Palmius baro, multorum ex opinione Lotharingiam petent, vt cum Gallis ad hunc actum delegatis conſtituant terminos, qui Germaniam a Lotharingia diſcernunt.

Mannhemio. III. Id. Dec. Diem heri feſtum eumque natalem Solisbacenſis comitis Palatini noſtra in aula multis ſolemnibus celebrauimus. Bipontinis e terris accepimus, ad lapidem vnum ab ipſa metropoli in pago Einnoth dicto haud ita pridem diem obiiſſe ſupremum Barbaram Leibrockiam foeminam, annos natam centum & quatuor, quae liberos quatuordecim, nepotes duos & quinquaginta nec non ſex & quinquaginta pronepotes conſpexit, atque ne decrepita quidem oculo armato res ſuas expediuit. Nouum quoque naturae benignae exemplum occurrit in praefectura ſuperiori Bipontina, ſenex nimirum octoginta annorum ante aliquot annos morbo difficili caluitiem contraxit ſed temporariam, canos enim mutauit cum nigris, cui vitam longaeuam pollicetur vegetum corpus etiam inter continuos labores & calamitates haud leues, quas nupero in bello ad Spiram, vbi domicilium tum temporis habebat, perpeſſus fuit.

NOVA LIPSIENSIA

HEBDOM. LII. A. P. C. N.

PARTIC. II. cIↄIↄcc xxxvi.

Mantua Carpetanorum. IV. Kalend. Dec. Quo maiorem conſtans, eo minorem fama parit fidem, quae ſemel iterumque communem fefellit opinionem. Imo nullam ferme res fidem habet, nuntiata denuo Barcinone, quod pro ſupplendo, cui in Italia Montemarius dux praeeſt, exercitu plures conquirantur naues, quae militibus traiiciendis inſeruiunt. Gadibus * oneratur mercibus Carthaginem nouam Americae petitura claſſis, quod vero claſſicula nuper inde aduectum eſt argentum cum reliquis opibus, ex regis mandato IX. & VIII. Kalend. Dec. iuſtis poſſeſſoribus ea lege diſtribuendum fuit, vt nouem de centenis nummos in aerarium regis ſoluant. VIII. Id. Dec. Scoriaco Buenretiranum in palatium regredietur aula, nec ante aggredietur iter Minaſius marchio, qui legati in aula Gallica munere defungetur. Qui XIII. Kalend. Dec. Scoriacum abierat, regis Galliae legatus Vaugrenanius marchio, poſt reditum ſenſit furtiua manu ſibi ablatam, quae ſex mille aureorum lapides pretioſos continebat, arculam, cuius in ſceleris auctore detegendo omnis ſolertia adhibetur. * *Cadix.*

Lutetia Pariſiorum. IV. Id. Dec. Magnos fecerunt in aula motus litterae Italorum nobis luce heſterna traditae, quos tamen facile reprimet pacis amans Fleurius purpuratus ſoluendo dubia, quae occurrerunt vtriusque exercitus ducibus in eo cum eſſent vt litteraria inuicem permutarunt monumenta, quibus paciſcentium quisque terras ſibi cedendas putat. Princeps regni Pruſſiae haeres ſua dicitur manu litteras dediſſe ad Voltairium atque ad ſe Berolinum inuitaſſe, inuitatus etiam, vt accepimus, e praedio, quod Chateletae marchioni in Campania eſt, ſine mora iter aggreſſus eſt. Gancienneſius, nauium praefectus, cum quibusdam militiae naualis ducibus, nu-

nudius tertius conceſſit Breſtiam, quo eum breui poſt vt & Rupifortium* atque Telonem Martium ** plures ſubſequuti ſunt, cuius tam inopinati itineris cauſa ignoratur. Villarius dux, quem rex Hiſpaniarum in ordine procerum Hiſpaniae nec non equitum aurei velleris haeredem paternae dignitatis dixit, in reditu ad nos conſtitutus eſt. Noſtra in vrbe primus aulae chirurgus Marechallus his diebus, atque Valentianis*** caſtelli Chauelleſii praefectus VII. Id. Dec. vitam cum morte commutarunt.

* *Rochefort.* ** *Toulon.*
*** *Valenciennes.*

Londino. III. Id. Dec. Poſtrema praeterlapſae hebdomadis feria, comitia ad Kalendas Febr. anni proxime inſtantis prorogatum iri, regina publicis litteris ſignificauit. Eodem die naues Liburnicae, quibus rex ad nos rediturus eſt, duce Carolo Wagero equite, Noranum petiere littus, vnde ſub praeſidio quinque nauium bellicarum Heluoetſluyſianum ad littus Belgii curſum proſequentur, inque his qui obuiam regi ire geſtiunt, Delawarius eques eſt. Regina XV. Kalend. Jan. Kenſingtonia palatium in Jacobiticum cum gente regia omni ſecum conſtituit reuerti. Rex, quam primum aduentarit, multorum ex opinione, longe plurimos militiae duces ad altiorem dignitatis gradum euehet ſuamque forte de augendo exercitu ad proximum annum proferet ſententiam, inprimis ſi locum habet coniectura, quod legionum quatuor cohortes, ad manus vt ſint, in Georgiam & Carolinam Americae auſtralis coloniam traiiciendae veniant. Die hodie feſto S. Andreae, cuius in tutela eſt Scotia, equites trium ordinum Periſcelidis, Cardui & Balnei, habitu ſolemni ſuo ornati frequentarunt aulam pariterque regina, Walliae princeps cum coniuge ſua, filiae principes quatuor atque dux Cumbriae, ornamento crucis inſignes incedebant. Brockius, quam conſcripſit hiſtoriam Chinae vniuerſalem dicauitque Walliae principi, heſterna luce eidem exhibuit.

Ex eadem vrbe. XIX. Kalend. Jan. Nouiſſime ex Americae colonia Georgiana nobis relatum fuit, id agi in praeſenti, vt duo exſtruantur caſtella, quae illam a quocunque hoſtium impetu tueantur tutamque reddant. Quoduis horum firmabitur quatuor munimentis moenium latera ſuſtentantibus * & ſingula horum capient quatuor & viginti tormenta bellica, binaeque ex quatuor cohortibus proximo vere eo mittendis praeſidio erunt. Praetor vrbis regius, &, quos ille habet, collegae III. Id. Dec. Walliae principem ciuitatis Londinenſis iure, auito more, donandum eſſe decreuerunt. Eodem die academiae ſcientiarum regiae adſcripti anniuerſariis ſuis in ſolemnibus, Johannem Sloanium equitem, per tot annos expertae induſtriae & dexteritatis virum, praeſidem confirmarunt, Rogerii Galii, munere ſuo ſponte decedentis, in locum Weſtium aerario praefecerunt denuoque Ma-

chinus & D. Mortimerius a ſecretis erunt. Qui ſtylo curiae noſtrae audit ſolicitator regni diem dixit Nixonio ſacerdoti, reo quod libelli famoſi contra rempublicam eiusque hodie formam in vulgus ſparſi auctor fuerit. Bellica nauis, Victoriae nomine inſignita, quae primi ordinis in integrum reſtituitur, amplior quam antea, tantumque non amplisſima totius claſſis euadet. III. Id. Dec. qui in legationibus ad exteros bis olim a ſecretis fuit Thomas Dunnius, ſenex centum annorum, ſi binos ſuppleas dies, noſtra in vrbe, & quidem ad finem vſque vitae viribus integer, deceſſit.

* *Baſtionen.*

Haga Comitum. XV. Kalend. Jan. Omnes cum flagrarent cupiditate cognoſcendi primordia diſceſſus Hiſpanorum ex Hetruria, nuntius plane aduerſus moram vlteriorem expoſuit. Dux eorum ſummus Montemarius Kheuenhül'ero comiti animi ſui ſenſa ſatis perſpicue expoſuit per litteras, ſibi animum quidem eſſe diſcedendi ex Hetruria, attamen praeſentem anni tempeſtatem nauigantibus periculoſam non poſſe non ſuadere ſuis militibus, vt brumam in Statu Landorum* atque Aethalia in inſula ** tranſigant. Addidit & hoc, rem ipſam requirere, vt Liburnum praeſidio militari magni ducis Hetruriae firmetur inque vrbe vicina conuentus inſtituatur ad tollenda obſtacula, quae omnem Hetruriae euacuationem adhuc impediunt, impediunt vero potiſſimum officia, quae imperator in cedenda vtraque Sicilia non pollicitus eſt, vt ſecuritatem eius aduerſus quemcunque hoſtem praeſtaret. Johannes Obdamus, primus ordine vir equeſtris Hollandiae comitatus, more a maioribus recepto, ſigillorum cuſtodem agit & vicarium procuratoris publicarum rerum ſummi, donec in locum Slingelandi nuper defuncti alius eligatur, eligendus autem creditur menſe demum Martio, quo ordinarius ordinum Hollandiae conventus inſtat, & quidem Heimius, ſi diuinatio vocanda eſt coniectura, quam multi de futuris tanquam de praeſentibus faciunt. Naues, quibus rex magnae Britanniae in Angliam traiiciet, IV. Id. Dec. noſtrum ad littus adpulſae Heluoetsluyſianum tenent portum vt & bellicae naues aliquot, quae ad ſuos reuertenti praeſidio erunt. Res ea protinus per curſorem ſignificata eſt Hanoveram, vnde ad nos datae litterae docent, regem magnae Britanniae ſtatutum cum animo ac deliberatum habere, nocte, quam excipit XV. Kalend. Jan. dies, Hanouera diſcedere, vt XIII. Kalend. Jan. Traiectum perueniat.

* *Stato del Praeſidii.* ** *Elua.*

E finibus Lotharingiae. XVIII. Kal. Jan. Viduae principi noſtrae filius dux omnem conceſſit libertatem, quae moueri poſſunt ex arce Lunaeuillana pro lubitu transportandi Commercium, vbi ſuam impoſterum ſedem habebit, vt & quoscunque velit

velit aulae ſuae adminiſtros atque a conſiliis habere, quorum iam nomina Vindobonam miſiſſe traditur. Duci Lotharingiae, quoad Hetruriam conſequatur, rex Galliae ſoluet myriades quatuor & quingenta aeris Gallici millia, ſoluet inſuper principi viduae, quae definita ſunt, ſexcenta eiusdem valoris nummorum millia, nec non duo & quadraginta quotannis Charlottae principi filiae tandemque & nomina totius prouinciae expediet. Hunc in finem proxime ducendus eſt debiti vniuerſi calculus, quo detracto a ſumma quatuor cum dimidia myriadum, vtrique Lotharingiae duci reſiduum adſignabitur, cuius paucitatem largiſſima adaugebit imperatoris liberalitas & ita quidem, vt ex reditibus Belgii hodie Auſtriaci duas florenorum myriades atque ſexcenta millia accipiat. Accipiet quoque ſponſa regis Sardiniae a duce Lotharingiae fratre ſuo germano dotem imperialium centenorum millium, quae tribus exſoluetur ſolutioni definitis terminis, rex vero dictus ſponſae ſuae viginti aeris Gallici millia quotannis determinauit, quibus libere vtatur, nec non totidem aureorum Hiſpanicorum millia, vt habeat vnde cultum externum regina ſibi comparare valeat.

Vindobona. XVIII. Kal. Jan. Qui rebus aulae caeſareae hodie Romae praeeſt, Harrachius comes, imperatoris quidem ex promiſſis in ſpe fuit conſequendi per annum & quod excurrit vacuam epiſcopen Nitrienſem,* ſed obſtitit ordinum Hungariae interpellatio, qui imperatori ſupplices expoſuerunt, ex omnibus, quae per multum temporis vacuae ſint factae, epiſcoporum dignitatibus, nullam eveniſſe indigenis, quibus leges patriae ſummos hos honores tribuant. Quem ſoluit nodum obitus epiſcopi Varadinenſis, ** hacque occaſione & promiſſis ſtabit imperator & Hungariae ordinum adſurgere poterit precibus, nam, vt fama fert, Varadinenſem epiſcopen eiusdem vrbis templi cathedralis canonicus, Czackius comes, Nitrienſem vero ſupra commemoratus Harrachius comes conſequentur. Conſequetur etiam, quam ambit, aulae Bohemicae praefecturam ſupremam, qui ante aliquot hebdomades hac de cauſa ad nos venit, Stephanus Kinskius comes, multorumque ex coniectura defuncto Noſtitzio comiti ſuccedet. His diebus nulli praeuiſum in Croatiam iter citato curſu aggreſſus eſt princeps Saxoniae Hildburghuſanus, conſtitutus ab imperatore iudex, qui, pro ſua, qua apud nationem illam plurimum valet, gratia, quae reſtant, querelas incolarum audiat, quantumque poterit tranquillitatem illius prouinciae confirmet. Ex mandato imperatoris imperii aulici ſenatus conſultum ſuperiori hebdomade transmiſſum fuit ad nonnullos Romani imperii ordines, dehortandos, ne in re monetaria turbas mouere ſuſtineant.

* *Neutra.* ** *Waradein.*